The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

B171

CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

COMMENTARIORUM IN V. T. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

V

LIBRI SAMUELIS

Class A
Section 2
Book No. 510
Accession No.

COMMENTARIUS

IN

LIBROS SAMUELIS

SEU

I ET II REGUM

AUCTORE

FRANCISCO DE HUMMELAUER S. I.

Cum approbatione Superiorum

LIBRARY FRANCISCAN MONASTERY
8140 Maramec Street.
The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.
STUDENTS' LIBRARY
TEUTOPOLIS, ILL.
WITHDRAWN
220.6
C977c
v.10

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES » 75,

1886

Omnia iura vindicabuntur.

C977c
V, 12

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in libros Samuelis, seu I et II Regum,* auctore P. Francisco DE HUMMELAUER, S. I., aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et Societatis nostrae sigillo munitas dedimus.

Fesulis, die 12 Februarii 1886.

A. M. ANDERLEDY, S. I.
Vic. Generalis S. I.

IMPRIMATUR
Parisiis, die 9 Martii 1886.
† FRANCISCUS Arch. Larissensis
Coadjutor Parisiensis.

TYPIS MANDETUR
Suessionis, die 12 Martii 1886.
† ODO, Episc. Suessionen. et Laudunen.

CORRIGENDA

Pag. **33**, 21 l. אבם. — **39**, 8 puncta שָׁמוּעַ. — **62**, 34 l. להם. — **107**, 29 l. adiectas. — **108**, lin. ult. l. in. — **120**, 30 l. החיל. — **125**, 1 l. post. — **125**, 22 l. ideoque. — **125**, 22 et 23 l. diutius. — **128**, 19 l. deserto. — **128**, lin. ult. l. per.— **142**, 32 l. agriculturae. — **144**, 30 l. diximus. — **210**, lin. ult. l. *omnibus*. — **216**, 31 post *opaco* claude parenthesin. — **308** 8 l. Thamnam. — Nonnunquam literae ve l signa in fine vel initio linearum exciderunt, ם in fine vocum hebr. transiit in ס : sed haec et his similia indulgens lector facile ipse corriget.

INTRODUCTIO

1. — Libri, quos dicimus Regum priores, *nomen* et *distinctionem* nacti sunt a LXX; prius enim *unicus liber* erant, *Samuelis* nuncupatus.

Manuscripta et antiquiores editiones hebr. duos libros non distinguunt; neque distinxit *Aq.*, cf. Hexaplam (15. 1442)[1]. *Orig.* (20. 582), *Athan.* (26. 1177), *Cyrill. Hier.* (33. 500), *Hier.* (Prolog. galeat.) testantur, unicum apud Hebraeos fuisse librum. Librorum distinctio, a LXX primum in usum invecta, per Italam in *Vulg.* transivit atque hinc, simul cum capitum distinctione, in biblia hebr. reflexit iter. Liber apud Hebraeos simpliciter « Samuel » audiebat, a Samuelis historia initio descripta, cf. *Orig.* l. c. et titulos Vulgatae. « Regum », LXX « Regnorum » nomen a materia derivatum, quae in his libris inchoatur, in sequentibus absolvitur.

2. — Libri *auctorem* et *fontes* quod attinet, communem fere habes *antiquorum* sententiam, librum esse originis *propheticae*, a *Samuele, Gad* et *Nathan* conscriptum, adhibitis etiam pro altera eius parte fastis regni Davidici.

Princeps huius sententiae fundamentum habes 1 Par. 29, 29 : « Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, et in libro Nathan prophetae, atque in volumine Gad videntis »; et 27, 24 : « Numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David ». Accedit *Ios.* c. Apion. I. 8 : « A morte autem Moysis usque ad imperium Artaxerxis, qui post Xerxem regnavit apud Persas, *prophetae* Moyse posteriores res sua aetate gestas libris complexi sunt ». *Kimchi* aliique *Rabbini* tradidere, librum a Samuele, Gad et Nathan esse conscriptum. *Theodoret.* (80. 529), librum expositurus, haec scribit : « Plurimi fuerunt prophetae, quorum libros quidem non invenimus, nomina autem didicimus ex historia Paralipomenon. Horum unusquisque consueverat scribere, quae contingebant suo tempore..... Alii autem quidam, cum illa collegissent, composuerunt librum Regnorum ». Quibus verbis Theodoret, iam duplicem distinguit quaestionem : primam, coaluerintne in nostrum librum scripta illa Samuelis, Gad et Nathan; alteram, fueritne horum scriptorum collector seu editor ipse Nathan, trium illorum ultimus, an posterior aliquis Hebraeus. Cum Theodoret. affirmat *Diodor. Tars.* (33. 1588), ita librum Samuelis coaluisse, ut, « quae singuli prophetae sui temporis gesta conscripsissent,

1 His numeris Collectionis Patrum *Migne* tomum et columnam designamus; latini graecive intelligantur Patres, vix non semper patet.

ea, qui post eos venerint, collegerint et compleverint ». *Sanct.* : « De auctore horum librorum nihil habemus certum ex scriptura ; neque auctores, qui variis ducuntur coniecturis, quidquam afferunt, nisi divinando. Sed illorum plerique in eo consentiunt, quod non ab uno, sed a pluribus longum illud opus contextum esse putant..... Est autem communis omnium ferme sententia, a Samuele scriptum esse librum primum ad caput usque 25, ubi de illius agitur interitu. Ab eo loco usque ad finem libri secundi, Nathan et Gad videntes, i. e. prophetae, scriptores existimantur.... Cum a variis libri illi conscripti fuerint, redacta tamen illorum scripta dicuntur in ordinem, et eo modo digesta, quem nunc habemus, sive a Ieremia, sive ab Esdra ; neque deest, qui id factum putet ab Ezechia rege ». Ubi nota, quae recitatur plurimorum sententia, Samuelem scripsisse usque ad 1 Reg. 25, eam intelligendam esse sensu exclusivo, i. e. certe non ulterius scripsisse, et hoc sensu esse evidenter veram ; sensu positivo, ut sc. Samuel omnia illa 25 capita scripserit, nonnisi « divinando » quis eam sententiam affirmare potuerit. Ipse *Sanct.* Samuelem, Gad et Nathan statuit auctores, editorem Isaiam vel Ezechiam coniectat. Concordat *Lap.* *Huetius* (Demonstratio evangelica, Paris 1679. p. 158). *Du Clot* (La Sainte Bible vengée, IV. 6, Paris 1816) sententiam, quae illos tres prophetas scribit auctores, « satis communem » pronuntiat. Eandem *Goldhagen* (Introd. in S. Scripturam. II. 98, Moguntiae 1766) vocabat « maxime communem, quam et Iudaeorum magistri et Patres : Theodoret., Greg. M., Procop., Isid. Pelus., Eucher., et praecipui interpretes cum Serario et Corn. a Lapide sequuntur ». Defenderat *Calm.* « primum, ambos hosce libros ex originalibus authenticis et coaevis monumentis fuisse digestos ; secundo, operis auctorem », i. e. collectorem seu editorem, « coaevum quidem non esse, ac serius (incertum tamen, quo tempore) scripsisse ; tertio, quis potissimum auctor ille fuerit, latere ». Inter recentiores, *Herbst*-*Welte* (Einleitung II. 153, Karlsruhe u. Freiburg 1842), *Scholz* (Einleitung II. 325, Koeln 1845), *Himpel* (Tübinger Quartalschrift 1874 p. 276 sqq.) et *Kaulen* (Einleitung II. 190, Freiburg i. B. 1881) scripta Samuelis, Gad et Nathan fontibus adnumerant, e quibus noster liber prodierit ; annales tempore Davidis exstitisse, contra 1 Par. 27, 24 negat *Herbst*, rationem nullam afferens. E protestantibus accedunt *Haevernick* (citatus a de Wette p. 229) et *Keil* (Commentar, Leipzig 1864 ; etiam Einleitung §. 53, Frankfurt a. M. 1859) ; alter annales Davidi coaevos negans, sed notata quaedam ab eius cancellario conscripta concedens, quae distinctio vix est cuiusquam momenti. Eosdem fontes admittit *Thenius* (Die Bücher Samuels XXII., Leipzig 1842), sed alios arbitrarie affingit.

Licet cum auctoribus catholicis facile concedamus, ex *solis* textibus 1 Par. 29, 29 ; 27, 24 fontes et auctorem nostri libri non *certo* erui, improbandam tamen omnino censemus recentiorum protestantium illorum licentiam, qui, iis textibus penitus neglectis, ope artis pseudocriticae, varios effinxere fontes et fragmenta, e quibus noster liber coaluerit.

Et varios quidem fontes omnes admittunt, hoc iam adiectitio nisi argumento, eiusdem eventus discrepanti ratione repetitas narrationes, vel etiam apertas contradictiones, nisi supposita fontium pluralitate, explicari haud posse. *Eichhorn* (Einleitung II. 512 sqq., Leipzig 1803) annales regni Davidici negavit, eorumque loco supposuit brevem aliquam Davidis vitam, post Salomonem, e documentis tamen coaevis concinnatam, quam tum auctor libri Samuelis, tum auctor 1 Par. suo quisque modo am-

plificaverint. *Bertholdt* (Einleitung III. 903 sqq., Erlangen 1813) putavit, iam duas diversas antiquitus brevis illius vitae exstitisse amplificationes, quarum alteram noster auctor, alteram auctor 1 Par. secutus sit. Postquam dein *Augusti* (Einleitung p. 164) et *Anonymus* (in Paulus's Memorabilien VIII. 61 sqq., ambo citati a Bertholdt p. 911) initium fecere libri Samuelis in varios centones arbitrarie dissecandi, primus *Gramberg* (Religions-Ideen, Berlin 1829, ap. de Wette p. 225) in historia Saulis duas distinctas narrationes secrevit, quarum priori assignantur 1 Reg. 9, 1 - 10, 16 ; 11 ; 13, 1 - 17, 53 ; 18, 6 - 25, 42 ; 28, 3 - 25, 31 ; 2 Reg. 5, 6 - 12 ; 6 - 8 ; 21 ; 24 ; alteri 1 Reg. 8 ; 10, 17 - 27 ; 12 ; 17, 55 - 18, 5 ; 25, 43 - 28, 2 ; 29 ; 30 ; 2 Reg. 1, 1 - 5, 5 ; 9 - 20. Quem *Then.* pronuntiat, partes toto coelo diversas in unum coniecisse. Non absimilem distinctionem adhibuit *Staehelin* (ap. de Wette p. 226), quem laudat *de Wette* (Einleitung I. 228, Berlin 1852). Ipse *Then.* quinque expiscatur documenta : primum, historiam Samuelis 1 Reg. 1-7 ; secundum historiam Saulis ex traditione haustam, 1 Reg. 8 ; 10, 17-12, 25 ; 15 ; 16 ; 18, 6-14 ; 26 ; 28, 3-25 ; 31 ; tertium, brevem historiam Saulis ex documentis concinnatam, 1 Reg. 9, 1 - 10, 16 ; 13 ; 14 ; quae historia quarto ab alio quodam auctore continuata est, addita insuper historia Davidis, 1 Reg. 14, 52 ; 17 ; 19 ; 20 ; 22 ; 24 ; 25 ; 27 ; 28, 1 sq ; 29 ; 30, et ex parte Cap. 18 ; 21 ; 23 ; tandem 2 Reg. 1-8 ; quinto loco accedit historia Davidis specialis 2 Reg. 11-20. Quam methodum non inepte *Graf* (Die geschichtl. Bücher des A. T., Leipzig 1866, VII) appellavit « das gedankenlose Kartenmischen der Fragmentenhypothese » Quae vero ipse p. 97 sqq. profert, totam operis scriptionem Iehovistae et Deuteronomistae attribuens, nihilo meliora sunt. *Bertheau* etiam (Schenkel's Bibel Lexicon V. 164 sqq., Leipzig 1875) in historia Saul duas secernit narrationes A et B.

Si interroges, qua ratione diversi hi fontes in unum fuerint coagmentati, respondet *Bertholdt* p. 893, nequaquam librum esse continuum aliquod, cuius partes secundum unam ideam fuerint invicem copulatae ; *Then.* excusat auctorem p. XVIII, quod aevo vixerit critices ignaro, et totus fuerit in variis documentis more Orientalium compilandis ; *de Wette* e contra p. 222 sq. effuse librum laudat, « quod omnino historiam sapiat, quod sit haustus vel ex coaevis documentis, vel certe ex orali traditione maxime viva et fida, raro tantum obscura et confusa, quod ita excellat in exprimendis hominibus et rebus, ut ea in re optimos historiarum scriptores aemuletur, et quandoque in biographiam transeat, quod naturalem gestorum nexum saepe valde sufficienter, licet non sat clare, exhibeat ».

Si tandem tempus concinnati libri exquiras, auctores recentiores intra eos limites se continent, quos iam antiquiores definierant. Ezechiae tempus assignat *Staehelin*, Iosiae *de Wette*, ultima regni Iudaici tempora *Bertholdt*, tempus ante saeculum octavum *Bertheau*, initium captivitatis *Eichhorn* ; regnum vero Roboam *Then.*, tempus Davidis mortem proxime consequens *Haevernick* et *Scholz*, dum *Herbst* et *Keil* affirmant, se unico textu 1 Reg. 27. 6 prohiberi, quominus librum ante divisa regna conscriptum affirment. — Varias has recentiorum sententias dilucide exposuit et discussit *Himpel*, l. c. p. 265 sqq.

Recensuimus opiniones illas, quae fere usque ad nostra tempora praevaluere. Sed iam aliud animos occupat systema. Cuius initia repetuntur a *L. George* (Die aelteren iüdischen Feste, mit einer Kritik der Gesetzgebung des Pentateuch, Berlin 1835) et *W. Vatke* (Die biblische Theologie, Berlin 1835), et amplificata fuere ab *E. Reuss* (L'histoire sainte et la Loi, Paris 1879. — Die Geschichte der hl. Schriften A. T., Braunschweig

1882) et nuperius a *I. Wellhausen* (Prolegomena, Berlin 1883). Systematis summa haec est.

Pentateuchi Wellh. tres distinguit partes : Deuteronomium ; Librum generationum seu Codicem sacerdotalem, cuius pars potissima Leviticus, et Narrationem Iehovisticam ceteris duobus antiquiorem. Deut. Iosiae tempore repertum et probabilius etiam confectum atque, conspirantibus tam sacerdotibus quam prophetis, vim *legis* nactum est, qua cultus, qui eousque in pluribus excelsis legitimus fuisset, iam ad solum excelsum Sion i. e. templum restringeretur. Codex vero sacerdotalis, Deuteronomio recentior exilioque posterior, eo animo astute est concinnatus, ut qui cultus inde a Iosia per Deut. unice legitimus evasisset, idem Moysis iam tempore ostenderetur in cultu arcae foederis esse observatus : foederis enim arca, qualem Lev. describit, nusquam antiquitus exsistebat. Dein durante item exilio libri historici antiquiores, Iudicum sc., Samuelis et Regum, eo fine fuere ad limam revocati, ut severiori illi posterioris aevi religioni adaptarentur : arcae mentio quandoque inserta, sacerdotum et levitarum eminentia commendata, observatae legis praemia neglectaeque poenae exhibitae. Quibus perspectis haud mirabere, s. textum a Wellh. in plures etiam, quam a Thenio aliisque, centores discerpi. Exemplo sit historia Samuelis 1 Reg. 1-7, quam auctores alii intactam fere reliquerunt, quod tam evidens sit narrationis unitas.

Igitur 1 Reg. 7, 2 sqq. docemur, arcam viginti annis in Cariathiarim substitisse, inde universum Israel Maspham ad Samuelem convenisse, poenitentiam egisse, Philisthaeos proelio fudisse. Cuius narrationis ne verbulum quidem verum esse, affirmat Wellh. : quomodo enim haec omnia unico die (!) agi potuere ? cuiusnam sceleris admissi Israelitae poenitentiam egere ? Haec e Deuteronomii mente fuere inserta ; tota rerum gestarum narratio, uti in Iudicum libro, illi tesserae adaptata, ut defectionem a Deo consequatur adversitas, adversitas generet poenitentiam, poenitentia procuret victoriam et pacem ; Iehova exhibetur tamquam alpha et omega totius historiae populi Iudaici, omnia ad eius cultum revocantur. Cur autem haec Samuelis prae ceteris historia ita fuerit defigurata, accipe. Habebatur siquidem postmodum Samuel (cf. Ier. 15, 1) unus ex praecipuis aevi antiquioris sanctis. Eiusmodi sanctum oportebat operam saltem aliquam contulisse in Dei cultu restituendo : hinc populi infidelitas afficta. Tam sancto imperante iudice, non potuit perdurasse Philisthaeorum oppressio : hinc Samueli insignis de illis victoria attributa, qui 7, 13 etiam affirmentur tota eius vita non esse ausi Iudaeis bellum inferre, cum tamen constet Samuele superstite omnia illis arma ademisse.

Ex quibus iam patet, Wellh. sententiae veterum haud favere, quae Samuelem, Gad et Nathan libri docet fuisse auctores. Qua sententia semel admissa, pessum it hypothesis de libro nonnisi post exilium in praesentem formam redacto. « Errare putaverim eos », inquit Wellh. p. 308 sq., « qui prophetas existimant historiae populi Hebraici scribendae fuisse auctores. Minime omnium a prophetarum coetibus Galgalis vel alibi degentium res gestae tradi coeptae sunt. Narrationem non prophetae concinnavere, sed eandem postmodum interpretati sunt tantum. Non tantopere illis, ne gesta memoria hominum exciderent, intererat, ut eis scripto narrandis manum ipsi admoverent, sed id tantum praestitere, ut eorum narrationem ab aliis profectam retractarent suisque sensibus conformarent.

3. — Variorum opiniones de fontibus libri Samuelis descripsimus : nunc ipsos fontes demonstrare conabimur. Unicus fons explicite citatur,

Liber Iustorum 2 Reg. 1, 18, ex quo desumptus dicitur luctus David super Saul et Ionathan. Alia cantica libri, v. g. 1 Reg. 2, 1-10, indidem esse desumpta, non ausim affirmare. Verum ex libro Samuelis cum 1 Par. collato efficitur, exstitisse *alium quemdam fontem, ab utroque diversum*, ex quo utriusque libri inspirati auctor acta Davidis plurima descripserit.

Accipe utriusque libri pericopas parallelas :

1 Reg. 31	: 1 Par. 10, 1-12.	2 Reg. 6, 1-11	: 1 Par. 13, 1-14.	2 Reg. 11, 1	: 1 Par. 20. 1.
2 Reg. 3, 2-5	: 3, 1-4.	6, 12-16	: 15, 25-29.	12, 29-31	: 20, 2 sq.
5, 1-3	: 11, 1 sq.	6, 17-20	: 16, 1-3. 43.	21, 18-22	: 20, 4-7.
5, 5	: 3, 4	7	: 17.	23, 8-39	: 11, 11-41
5, 6-10	: 11, 3-9	8	: 18.	24	: 21.
5, 11-25	: 14, 1-16	10	: 19.		

Quos locos verbotenus, ut plurimum, inter se concordantes ubi contuleris, illico perspicies, ex communi fonte esse derivatos. Ex communi, inquam, fonte, a libris tam Samuelis quam Paralipomenon distincto : nam iuniorem Paralipomenon librum non hausisse directe ex Samuelis libro, inter alia inde patet, quod 1 Par. in textu narrationis ceteroquin identico quaedam retinuerit momenta, quae ad integritatem narrationis pertinent, neque tamen cum sufficienti ratione adstrui possunt aut ex aliis documentis in 1 Par. esse translatae, aut ex 2 Reg. incuria librariorum excidisse ; et quod 1 Par. longiores quasdam addat narrationes, quae omnino videntur primitus contextae fuisse iis, quae 2 Reg. narrantur, sed, quod ad eius libri ideam non ita necessario conferrent, in eodem fuisse suppressae.

Ad 1m. — 1 Par. 11, 4-6 ita habet : « Abiit quoque David et omnis Israel in Ierusalem, haec est Iebus, ubi erant Iebusitae habitatores terrae. Dixeruntque, qui habitabant in Iebus, ad David : Non ingredieris huc. Porro David cepit arcem Sion, quae est civitas David ; dixitque : Omnis, qui percusserit Iebusaeum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Ioab, filius Saruiae, et factus est princeps ». Haec narratio omnino clara est, optime quadrat cum antecedentibus et sequentibus, et speciatim rationem assignat facti de se nonnihil mirandi, quod sc. Ioab, qui occiso Abner regem graviter offendisset, tamen imperio militari non fuerit privatus : Ioab quippe novo praeclare facto de rege bene meritus est. Iam hanc eandem narrationem 2 Reg. in eodem contextu exhibet : cf. 2 Reg. 5, 3 cum 1 Par. 11, 3, 2 Reg. 5, 9 cum 1 Par. 11, 7. Tamen haud levis est differentia, Iebusaeorum enim verba sic referuntur : « Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos et claudos, dicentes : Non ingredietur David huc. Cepit autem David arcem Sion, haec est civitas David. Proposuerat enim David in die illa praemium, qui percussisset Iebusaeum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset caecos et claudos odientes animam David. Idcirco dicitur in proverbio : Caecus et claudus non intrabunt in templum ». Textus nequeunt corruptione unus ex altero esse orti ; historicam eventuum seriem 1 Par. retinuit : quomodo igitur ortus est textus 2 Reg. ? Adverte libri Samuelis auctorem proverbiis, occasione alicuius eventus natis, libenter uti ad veritatem ipsius eventus firmius in animis legentium stabiliendam : cf. 1 Reg. 10, 12 ; 19, 24. Voluit ergo etiam uti proverbio, occasione captae Sion nati, ad veritatem et rationes illius eventus confirmandas : ideo illud textui fastorum inseruit, omissis quae de Ioabo dicebantur. 1 Par. vero ex ipsis fastis textum mutuatus est, non ex 2 Reg., secus istud etiam proverbium transsumpsisset,

factum Ioabi ignorasset. — 1 Par. 13, 1-5 fusius traditur historia initi a Davide consilii reducendae arcae, quod summarie tantum refertur 2 Reg. 6, 1 : ergo exstabat fons a 2 Reg. diversus, in quo fusius quaedam narrabantur, et ex quo auctor 1 Par. hauriebat. — 1 Par. 27, 24 testatur, auctorem 1 Par. revera usum esse fonte aliquo, tempore ipsius David exarato, in quem regis acta minutim referebantur, qui tamen a 2 Reg. esset diversus : nam ille fons numerum non exhibebat, quem 2 Reg. 24, 9 scriptum legimus.

Ad 2m. — Evidentius argumentum ex illis locis petitur, quibus 1 Par. primitivum narrationis contextum servavit, a 2 Reg. neglectum. Elenchus virorum fortium, qui 2 Reg. 23, 8 sqq. post verba Davidis novissima appendicis instar recensetur, omnino convenienti contextu 1 Par. 11, 10 subnectitur narrationi captae a Davide arcis Sion, et quidem hoc versu, quem 2 Reg. ignorat : « Hi principes virorum fortium David, *qui adiuverunt eum, ut rex fieret super omnem Israel* iuxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel ». — Translatio arcae 1 Par. 13, 1-16, 43 narrari videtur eo ordine, quo reapse habita est et in documentis primitus describebatur, dum 2 Reg. ea fere omnia omittuntur, quae 1 Par. 15 et 16 narrantur. Verba 15, 2 : « Illicitum est, ut a quocunque portetur arca Dei, nisi a levitis », explicite respiciunt peccatum Ozae. Ergo auctor 1 Par. documentum prae oculis habebat, in quo eventuum successio verius et completius describebatur. — Bella contra Philisthaeos, 2 Reg. 21, 18-22 abrupte relata, 1 Par. 20, 4-7 apte bello Ammonitico subnectuntur. — Ex 1 Par. 22 patet, pestilentiae ob numeratum populum subortae eum fuisse finem, ut miraculosa angeli apparitione locus exstruendo templo designaretur ; dum 2 Reg. 24 narrationem truncat. — E contra aliqua, quae ab auctore 1 Par. ignorata liber Samuelis enarrat, suo loco et naturali chronologico contextu inserta esse demonstrari minime possunt ; sic, quae 2 Reg. 9 de Miphiboseth gratiose recepto, 21, 1-15 de fame ob Saulis iniustitiam suborta narrantur.

Ex quibus omnibus efficitur, auctorem 1 Par. non ex libro Samuelis, quae utrique libro communia sunt, desumpsisse, sed aliud documentum adhibuisse, quo eventuum successio verius et, ut plurimum, completius exhibebatur. Cum vero auctorem libri Samuelis et auctorem 1 Par. communi fonte usos esse, ex textus in bene multis capitibus identitate certo constet, ergo ex illo documento ambo hauserunt. Cf. *Eichhorn* p. 508 sqq., *Bertholdt* p. 904 sqq., *Scholz.* p. 419 sqq.

Ille fons, ex quo tam auctor libri Samuelis, quam auctor 1 Par. hausere, probabiliter videntur fuisse illi « *fasti regis David* », qui 1 Par. 27, 24 citantur.

Eo textu docemur, exstitisse documentum publicum, cui nomen « verba dierum regis David », *Vulg.* « fasti ». In illos fastos referri consuevisse regni memorabilia, inde concludimus, quod l. c. specialis proferatur excusatio, cur numerus populi a Ioab recensiti non fuerit illis fastis insertus. Cum igitur hinc certo habeamus fastos Davide rege conscriptos, illinc certe demonstretur coaevus fons, ex quo auctor libri Samuelis acta Davidis plurima derivaverit, summe probabile evadit, hunc fontem eundem esse atque illos fastos. — Accedit, quod eae historicae narrationes, quae aut utrique s. auctori sunt communes, aut a solo 1 Par. auctore, sed cum istis intime contextae, referuntur, omnes respiciant *publicam historiam*, non solius tribus Iuda, sed totius populi Israel ; eae vero, quas 2 Reg. de suo adiicit, ad solam *privatam historiam*, sive tribus Iuda sive familiae Davidicae spectent. Ita 2 Reg. 1-4 historia Davidis nondum ab omnibus tribubus agniti narratur ; 2 Reg. 9 et 21, 1-14, quae domum David inter et domum Saul obtigerunt ; 2 Reg. 11-20 adulterium Davidis atque secutae inde do-

mesticae dissensiones et publicae perturbationes. Hinc non immerito concludimus, illud, ex quo uterque auctor hausit, documentum non aliud esse, quam fastos 1 Par. 27, 24. Fasti quippe regum Orientis nonnisi publica eaque fausta acta narrare consueverant.

Ubi illud advertimus, praeferre nos *fastorum* nomen a Vulgata consecratum, alteri quod frequenter in hac disputatione usurpatur, *annalium*. Annales quippe dicunt eventus ordine annorum chronologice descriptos ; dum fastos non necessario oportet ordine stricte chronologico esse digestos. Cuius rei illustre exemplum nuperius ex oblivionis umbris in lucem prodiit, regis sc. Assyriorum Teglathphalasaris hinc annales, illinc fasti, characteribus cuneiformibus exarati et ab *E. Schrader* (Die Keilschriften und das Alte Testament, Giessen 1871) primum expliciti. Iamvero in historia regni Davidici 2 Reg. 5-10 ex fastis hausta res ordine potius reali, quam stricte chronologico referri, suo loco ostendetur.

Liceat hic paucis expedire sententiam *Eichhorn* p. 512, quae de publica Davidis historia narrantur, non ex fastis immediate esse hausta, sed ex vita quadam Davidis compendio scripta. Rationes exigui sunt momenti. Quare, inquit, fasti nullibi citantur ? Sed compendium istud neque citatur. Liber Samuelis in citandis fontibus perquam est ieiunus, semel tantum 2 Reg. 1, 18 fons citatur. 1 Par. semel saltem 27, 24 non obscure fastos ut fontem citat. — Quare auctor 1 Par. non etiam Saulis historiam ex illis fastis descripsit ? Quia fasti illi erant « regis David », non regis Saul. Concinnatos esse annales regnante Saul, nullo argumento stabiliri potest : in eius aula 1 Reg. 14, 50 sqq. nullus videtur ex officio constitutus fuisse, cui « scribae » aut « a commentariis » titulus esset, cf. 2 Reg. 8, 16 sqq. ; 20, 23 sqq. Tandem non erat auctori 1 Par. mens scribendae historiae regis Saul, id praeter eius scopum fuisset. — Quare stilus in iis partibus, quae utrique libro sunt communes, concisus est, in reliquis diffusior ? Quoad librum Samuelis responderi potest, causam esse scribendi diversam rationem prophetarum et fastorum. Quoad 1 Par. illa diversitas non est ita evidens ; 1 Par. 12 ; 16 ; 22 vix differunt stilo a reliqua narratione. Neque tandem supponere fas est, regem David plus quam triginta annis unico usum esse annalista ; in eiusmodi officiis alios aliis succedere patet, cum ex natura rei, tum ex collatis inter se 2 Reg. 8, 16 sqq. et 20, 23 sqq.

Cum tam auctor libri Samuelis, quam auctor 1 Par. ex fastis plura transsumpserint, dein utriusque libri textus decursu temporum multipliciter depravatus fuerit, sane non paucis in locis alterutrius libri textus ex alterius libri textu emendari potest et debet.

Quod cum per se evidens sit, clarius etiam patet iis textibus, quibus numeralia et propria nomina, quae primitus utrobique eadem fuisse oportebat, nunc diversa leguntur. Aliud insigne exemplum habes 2 Reg. 23, 8, ubi verba 1 Par. 11, 11 « Iesbaam, filius Hachamoni, princeps inter triginta ; iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice », ita defigurata leguntur : « Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse Hadino Hesnita super octingentos vulneratos una vice ».

Verum interpretes aliqui protestantes recentiores in eiusmodi textus emendationibus adhibendis aequo sunt longe liberaliores, quasi pro certo supponere liceat, auctores inspiratos fastos verbotenus descripsisse. Quae suppositio gratuita est et falsa. *Uterque inspiratus auctor fastos*

non verbotenus semper exscripsit; de rebus exprimendis sollicitus fuit, non ita de verbis.

Id proprie de uno *auctore 1 Par.* probasse sufficeret, quo licentia cohibeatur unum ex altero corrigendi. Et primum quidem auctor 1 Par. non dubitavit *orthographiam* antiquioris narrationis suis temporibus accommodare, multo frequentius usus scriptione plena. Nomen Oza constanter scribit עזא pro עזה, 1 Par. 13, 9-11, cf. 2 Reg. 6, 6-8 (cf. tamen v. 3); רפא 1 Par. 20, 4 sqq. pro רפה 2 Reg. 21, 18 sqq. — Variae praepositiones, particulae et pronomina, variae verborum et nominum formae inter se *commutantur*. Cf. 1 Par 17, 16; 21, 10. 17 (in hoc versu *bis*) אני pro אנכי 2 Reg. 7, 18; 24, 12. 17. — 1 Par. 11, 1 הנגו pro הנה 2 Reg. 5, 1. — 1 Par. 14, 8 passivum נמשח pro activo משחו 2 Reg. 5, 17. — 1 Par. 10, 12 hiphil ויביאום pro kal ויבאו 1 Reg. 31, 12. — 1 Par. 16, 1 plur. ויקרבו pro sing. ויעל דוד 2 Reg. 6, 17. — 1 Par. 14, 1 infin. לבנות pro verbo finito ויבנו 2 Reg. 5, 11; item 1 Par. 17, 25 לבנות לו pro 2 Reg. 7, 27 אבנה לך. — Formis *obsoletis* substituuntur magis usitatae: pro ממלכה 2 Reg. 5, 12; 7, 12. 16 (cf. etiam 7, 13) constanter scribitur מלכות 1 Par. 14, 2; 17, 11. 14; — vox אנשי 1 Reg. 31, 1. 3. 6. 7; 5, 6 studiose evitatur 1 Par. 10, 1. 3. 6. 7; 11, 4; — voci גויה 1 Reg. 31, 12 *bis* substituitur 1 Par. 10, 12 גופה; — tam 1 Par. 14, 9 quam 14, 13 loco ויגמשו (2 Reg. 5, 18. 22) legitur ויפשטו; — pro 2 Reg. 6, 16 מפזז, forma uti videtur antiquata, ponitur 1 Par. 15, 29 מורקד. — *Synonyma* in synonymorum locum succedunt. Sexcenties voces מלך et דוד, ישראל et עם permutantur. Frequentissime pro יהוה scribitur אלהים. Etiam pro idolorum vocabulo 1 Reg. 31, 10; 2 Reg. 5, 21, quod in horrore erat, 1 Par. 10, 10; 14, 12 vox אלהים ponitur. Pro 1 Reg. 7, 12 וישכבת את scribitur וללכת עם 1 Par. 17, 11; pro יעשה 1 Reg. 7, 11 ובנה 1 Par. 17, 10; pro ויקהו 1 Reg. 31, 12 וישאו 1 Par. 10, 12; pro לפני 2 Reg. 5, 20 בידי 1 Par. 14, 11; pro בחברון 2 Reg. 5, 5 שם 1 Par. 3, 4; pro ותכונן לך 2 Reg. 7, 24 ותתן 1 Par. 17, 22; pro והוא רדפך 2 Reg. 24, 13 והרב אויביך למשגת 1 Par. 21, 12. Vox ברית 1 Par. 15, 25. 28. 29; 17. 1 (cf. 2 Reg. 6, 12. 15. 16; 17, 2) inseritur. — *Glossae* quaedam adduntur: 1 Par. 11, 3 (cf. 2 Reg. 5, 3) « iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuelis »; 1 Par. 11, 4 (cf. 2 Reg. 5, 6) « haec est Iebus »; 1 Par. 13, 6 (cf. 2 Reg. 6, 1) « Cariathiarim ». — Non raro narratio contrahitur, constructio mutatur. — Quae variantes, tum propter numerum, sunt enim in paucis illis capitibus parallelis fere quingentae — tum propter magnam deviationem, nulla ratione amanuensium incuriae omnes tribui possunt. Sed dicendum est, auctorem Par. in describendis fastis Davidicis magna libertate usum esse, modificando voces et sententias; quod inspirationi nulla ratione officit. Plura apud *Eichhorn* p. 500 sqq., *Scholz* p. 413 sqq.

Auctor libri Samuelis pressius utique videtur textui annalium adhaesisse, non tamen serviliter. Siquidem et ordinem eventuum chronologicum quandoque subvertit, et narrationem aliquoties, quod ex 1 Par. perspicimus, compressit, et vocabulum Baal ex nominibus propriis religiose eliminavit: Isboseth 2 Reg. 2, 8, Elioda 5, 16, Miphiboseth 9, 6 loco Esbaal 1 Par. 8, 33; 9, 39, Baaliada 14, 7, Meribbaal 8, 34; 9, 40.

4. — Expedita iam de fastis David disputatione, reliquum textum examinabimus et eius, quae discerni possint partes, disquiremus. Primum vero aliqua nobis dissecandi textus ratio a *Then.* invecta eliminanda est.

Invenit is 1 Reg. 14, 47. 51 ; 2 Reg. 8, 15-18 et 20, 23-26 tria summaria invicem satis similia. Priori loco Saulis bella breviter recensebantur, uxor, liberi et princeps exercitus describebantur ; altero item loco, Davidis bellis breviter enarratis, potissimi aulae ministri nominibus appellabantur ; iidemque repetebantur tertio loco, quo, uti suo loco ostendemus, narrandae ex ordine historiae regni Davidici finis imponitur. Unde *Then.*, tum quod eiusmodi summaria narrationem convenienter claudere videantur, tum quod summarium 20, 23-26 reapse narrationem concludat, putavit etiam aliis illis duobus locis summariis hinc « breviarium vitae Saulis », illinc « breviarium vitae Davidis » concludi. At fallitur illatio. Primum enim eiusdem formae summaria etiam habentur 2 Reg. 3, 2-5 et 5, 13-16, ubi ne *Then.* quidem narrationem dividit. Insuper duobus locis ultimo appellatis, et etiam 2 Reg. 8, 15-18, illa summaria non ab auctore inspirato excogitata, sed e fastis Davidicis transsumpta sunt ; quod patet comparatione cum 1 Par. 3, 1-3; 14, 3-7 ; 18, 15-17. Ergo non fuerunt in librum Samuelis introducta ea intentione, ut eius varia membra distinguerent. Tandem eorum summariorum diversa omnino est ratio. Sicut sc. noster auctor regni cuiusque initio novi regis aetatem et regiminis annos describit, cf. 1 Reg. 13, 1 ; 2 Reg. 2, 10 sq. ; 5, 4 sq. ; quem usum etiam auctor 3 et 4 Reg. servavit : ita, quoties alicuius regis auctoritas firmitatem nacta est aut insigne firmitatis incrementum, regis familiam s. auctor recenset. Ita 1 Reg. 14, 47 sqq. post Saulis bella feliciter gesta enumerata, liberorum, uxoris, principis militiae nomina tradit. 2 Reg. 3, 1 sqq., ubi de Davide, principatu tribus Iuda potito, dixit « David proficiens et semper se ipso robustior », filiorum eius nomina describit. 2 Reg. 5, 12 sqq. « Et cognovit », inquit, « David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel », et pergit describere nomina filiorum, qui nati sunt Davidi in Ierusalem. 2 Reg. 8, 15 sqq., post enumerata regis bella, et rursum 20, 23 sqq., post compositam Absalomis seditionem, nomina tradit primorum aulae ministrorum. His utique supremo loco narratio absolvitur ; tamen de se eiusmodi summaria non necessario sunt narrationis clausula.

Iam *universae narrationis quinque distinguimus partes* : 1 Reg. 1-7 Historiam Samuelis, 8-16 Historiam Saulis, 17-31 Historiam David exulis, 2 Reg. 1-20 Historiam David regis, 21-24 Appendicem. De singulis iam seorsim partibus tractabimus.

Historia David regis Historiae David exulis tam intime est contexta, ut, si libuerit, eiusdem continuatio appellari queat. Iam divisio narrationis in historiam Samuel, Saul et David perantiqua est et patentissima : sed recentiores non omnes singulas partes iisdem capitum numeris circumscribunt. Sic. v. g. *Vigouroux* (Manuel biblique, Paris 1883, II. 68) historiae Samuelis cap. 1-12, historiae Saulis cap. 13-31 tribuit ; *Clair* (I. 5 sq.) historiae Saulis cap. 8-31. Septem priora primi libri capita ut distinctam Samuelis Historiam statuunt *Bertholdt*, qui primus p. 894 sqq. et 915 sqq. totam, qualem nos, divisionem proposuit, *Then.*, *Keil.* p. 12. *Clair* I. 5. Appendicem *Bertholdt* nonnisi dubitanter admisit ; eum, uti a nobis statuitur, adstruxere *Anonymus* quidam et *Iahn* (apud Bertholdt p. 912. 925), *Then.*, *Bertheau* (p. 166), *Vigouroux* (p. 69) ; tacito appendicis nomine, etiam *Keil* (p. 331) et *Clair* (II. 130). Sed varias eius partes cum praecedente narratione non tamquam eiusdem partes continuas cohaerere, iam agnovere antiquiores suis locis citandi, v. g. *Sanct.*

5. — HISTORIA SAMUELIS 1 REG. 1-7. Haec capita defendimus subtantialiter *unius esse auctoris.*

Ex *una* idea, non sine arte, tota narratio disponitur. Dividitur ea quippe in *septem paragraphos*, quarum *prima* 1,1 - 2,11 Samuelis nativitatem enarrat, reliquae omnes brevi aliqua sententia Samuelis personam attingunt, inde ad alia narranda progrediuntur. *Secunda* paragraphus 2, 11-17 verbis incipit « Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis » ; dein exponitur peccatum filiorum Heli. *Tertia* 2, 18-21, post verba « Samuel autem ministrabat ante faciem Domini », Annae pietatem et fecunditatem commemorat. *Quarta* 2, 21-25 « Et magnificatus est», i. e. crevit, « puer Samuel apud Dominum » ; dein describitur Heli in filios praevaricatores lenitas. *Quinta* 2, 26-36 « Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus » ; sequitur viri Dei in Heli obiurgatio. *Sexta* 3, 1-18 « Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli » ; traditur visio Samueli facta. *Septima* 3,19 - 7,17 « Crevit autem Samuel et Dominus erat cum eo » ; narrata strage apud Lapidem Adiutorii accepta, et victoria in eodem postmodum loco consecuta, concluditur 7, 13-17 summaria quadam descriptione gesti a Samuele iudicis officii. Quae narrationis in septem hisce capitibus *symmetria* tanta est tamque ingeniosa, ut ex illa *ad unitatem auctoris* iusta pateat conclusio.

Auctor horum capitum est Samuel.

1) Ex una parte tota narratio secundum epochas quasi iuventutis Samuelis, diarii instar, distribuitur ; ex altera parte, quae Samueli poterant laudi verti, concinne narrantur, ut eius persona lateat potius, quam appareat. Exemplo sit 7, 8 sqq., ubi nulla Samuelis refertur oratio, licet sine dubio habita sit, et digna fuerit quae referretur, et post septem prima capita 8, 10 sqq. ; 12, 1 sqq. duae eiusmodi orationes referantur. Modestum hoc de se ipso silentium sane dignum est omnino *iuvene sancto*, qualis tum erat Samuel.

2) Nihil narratur, quod non optime nosse potuerit Samuel, imo debuerit ; plura narrantur, quae solus ipse ita nosse poterat : ea, quae familiam Eleanae spectabant, obiurgatio viri Dei 2, 27 sqq., quae sane non fuit publica, visio Samuelis. In qua praeprimis notanda sunt verba 3, 3, tempus visionis describentia illud, quo lampas sanctuarii nondum esset exstincta (*Hebr.*) : qui describendi modus nonnisi ab eo adhiberi potuit, qui tempore visionis intra sanctuarium fuerit. Dices, potuisse haec a Samuele narrata ab altero literis esse mandata : verum, cum ex 1 Par. 29, 29 constet, ipsum Samuelem quaedam conscripsisse, summopere probabile apparet, haec ipsa ex eius calamo prodiisse.

3) Affectus narrationem pervadens Samuelem prodit auctorem : est is doloris de sacerdotum praevaricatione, filialis in Heli pietatis, ardentis amoris legis et arcae. Dum ipse, medelae malis publicis afferendae adhuc impar, adolescit, anxie observat ingravescentem continuo perniciem, contemptam legem, profanata sacrificia, neglectas propheticas voces.

4) Narrator assiduus est in quibusdam factis stabiliendis, quae, ut evidenter demonstrarentur, prae ceteris Samuelis summopere intererat ; et in illis stabiliendis iis utitur argumentis, quae ipso Samuelis aevo plenam obtinebant vim, non item postea. Sunt ea facta, quae amissam arcam et recuperatam attinent. Nonne Samuelis summopere intererat, ut amissae primum arcae ratio, gentis sc. et pontificum sacrilega praesumptio, probe ab omnibus intelligeretur, cum ipse 3, 21 populum ad nefastum illud praelium evocasset et, secuta clade, eius utique prophetica auctoritas apud plures fuisset concussa ? Ergo primis capitibus totus est in illa praesumptione graphice describenda, in futurae cladis vaticiniis enarrandis. Recuperata rursum arca Samuelis

auctoritatem vindicavit viamque aperuit, ut iudex ipse ab omnibus agnosceretur : plurimum igitur Samuelis intererat, ut eius quoque facti mirabilis momenta inconcussis confirmarentur argumentis. Iam argumenta, quibus veluti totidem chirographis noster auctor insistit, haec sunt : 5, 5 usus quidam in templo Dagon observatus, idoli coram arca humiliationem attestans, qui usus uti ex natura rei supponere fas est, aliquanto post abiit in desuetudinem ; 6, 16 satrapae Philisthinorum, qui testes essent oculati mirabilis arcae reditus ; 6, 17 sq. anathemata Philisthaeorum, de quibus in tota posthac scriptura nulla habetur mentio ; 6, 18 lapis quidam magnus, in quo deposita est arca. Verum satraparum testimonium superstitum quidem summam vim obtinebat, non tantam mortuorum vaga traditione transmissum ; lapidis vero tanto minor evadebat auctoritas, quanto longius ab eventibus tempus effluxisset, quantoque incertior evasisset eventuum traditio. Ergo haec argumenta, quibus noster utitur auctor, plenam vim nonnisi pro ipso Samuelis aevo obtinebant.

5) Vera, utpote inspirata, quo tempore cap. 7 primum scribebatur, verba erant v. 13 et 15 : « Humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis.... Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitae suae ». Atqui ea verba nonnisi sat diu ante Samuelis mortem *vere* scribi potuerunt. Ergo scripta sunt ab ipso Samuele, quem gesta quaedam scriptis consignasse ex 1 Par. 29, 29 comperimus. — Teste v. 13 « cunctis diebus Samuelis », qui effluxerunt quoad ille versus scriberetur, duravit ea rerum conditio, ut manus Domini aggraveretur super Philisthaeos, ut Philisthaei humiliati non sint ausi « ultra venire in terminos Israel ». Atqui 13, 19. sqq., adhuc superstite Samuele, altera describitur rerum conditio, ut Philisthaei Hebraeis arma ferrea omnia ipsosque fabros ferrarios ademerint, quod ipsi, nisi terminos Israel ingrederentur, efficere nequaquam potuissent. Ergo aliquamdiu ante Cap. 13 narrata scriptum est Cap. 7. Item, quo tempore 7, 15 scribebatur, vere dici poterat Samuel iudicis dignitatem obtinuisse « cunctis diebus vitae suae » : sed eam dignitatem cap. 12 abdicavit : ergo 7, 15 scriptum est ante abdicatam a Samuele iudicis dignitatem, ab ipso utique Samuele, qui aliqua 1 Par. 29, 29 descripsisse refertur. Ita iam sentiebat *Huetius*, Demonstratio evangelica, Paris 1679, p. 160 : « Ergo commoda adhibenda est interpretatio, nempe ab obitu Heli sacerdotis *ad id usque tempus, quo haec scribebat Samuel,* iudicia ipsum inter Hebraeos exercuisse ».

Samuelis scriptum *immutatum* in eum, qui nunc dicitur Samuelis, librum transivit.

Nullus locus mutatus fuisse ostendi potest. Vel ipse locus, qui maxime omnium mutandus fuisset, immutatus permansit. Est is 7, 13. 15, ubi dicuntur Philisthaei fuisse repressi « cunctis diebus Samuelis », et Samuel iudicis munere functus esse « cunctis diebus vitae suae ». Haec verba vera erant, quo tempore primum scribebantur ; cunctis sc. diebus, qui tunc effluxerant, Philisthaei prostrati erant et Samuel iudex perseveravit. Aliquanto post, et Philisthaei rursum irruperunt, et Samuel iudicis officio se abdicavit. Ille tamen auctor, qui Samuelis narrationem libro nostro canonico inseruit, verba, uti iacebant, transsumpsit.

Samuelis *scopus* in illis septem capitibus erat narrare, quomodo ipse, Dei gubernante providentia, ad iudicis dignitatem fuerit evectus.

6. — Historia Saul 1 Reg. 8-16. *Narratio haec una est,* non ex duobus documentis consuta.

Id inter alios volebat *Then.* (v. s.), unica hac nisus ratione, quod Saul narretur primum a Samuele privatim esse unctus, dein adstante populo sorte esse electus ; alterutrum fictum esse oportere, quod non potuerit prioris unctionis confirmationem a sortibus quaerere propheta, quin Deum tentaret, aut indigne populo illuderet. Quam obsoletam obiectionem citasse refutasse est. Neque solidiora alii proferunt argumenta.

Igitur una est haec nostra narratio. Cap. 8, quod regem a populo petitum refert, fundamentum est totius sequentis narrationis. Verba v. 19 : « Nequaquam, rex enim erit super nos », verbotenus fere repetuntur 10, 19 ; 12, 12 : ergo certe ad eandem narrationem pertinent 8 ; 10, 17-27 ; 12. Item cap. 11, quod expeditionem describit contra Ammonitas susceptam ; nam eorumdem habetur mentio 12, 12, quae nonnisi ex cap. 11 intelligi potest. Ex 11, 3 concludere quidem licet, electionem Saul fuisse Iabesitis ignotam, quippe qui a valente obsiderentur hoste, non autem incolis Gabaae. Immo confirmatur, quod 10, 27 narrabatur, Saulem non esse ab omnibus tum agnitum remque dissimulasse. Errat igitur *Wellh.*, 11,.12-14 tribuens alicui auctori, qui cuperet cap. 11 cum 10, 17-27 ad concordiam redigere : concordant omnia. — Sed etiam 9, 1 - 10, 17 cum reliqua narratione cohaeret ; narratur ibi secreta Saulis unctio, electionem per sortes antecedens. Num secreta illa unctio, a qua vel ipse Saulis puer excludebatur, sufficiens fuisset ad publicam auctoritatem illi conciliandam ? Quodsi aliqua praeterea divina attestatio requirebatur, nonne aeque potuit illa sortium oraculo, quam Samuelis ore pronuntiari ? Quod 10, 6 dicitur « Insiliet in te spiritus Domini », praeclare confirmatur 11, 6 et iis omnibus, quae inde a 16, 13 de spiritu Domini a Saule revocato et in Davidem translato habentur ; expressioni 10, 7 « Dominus tecum est » omnino parallela est altera 16, 18 « Dominus est cum eo » ; 10, 7 « Fac quaecumque invenerit manus tua » illustratur ratione, qua 11, 7 Saul populum ad bellum Ammoniticum coegit, ut etiam *Wellh.* affirmet, sensisse tum Saulem in corde suo stimulum, quem illi verba 10, 7 infixissent. — Rursum 13, 8 explicite provocat ad 10, 8, ubi praeceperat regi propheta, ut septiduo Galgalis expectaret : ergo tota narratio belli Philisthaici cap. 13 et 14 cum praecedentibus cohaeret. Cap. 15 unam expeditionum 14, 47 sq. enumeratarum resumit fusius narrandam, Amalecitarum stragem. Saulis obiurgatio plures expressiones in memoriam revocat prioris orationis Samuelis : cf. 15, 11 et 12, 14. 20 ; 15, 19 et 12, 15. Rursum 16, 1 intime connectitur cum 15, 35, utrobique enim de Samuelis ob reprobatum Saulem luctu sermo est ; Davidis electio iam fuerat 13, 14 ; 15, 28 tacito nomine praenuntiata. — Ergo, cum omnes narrationis partes intime inter se cohaereant, non est, cur narrationem ex variis documentis conflatam esse statuamus. De 13, 1 cf. loci explicationem.

Narrationis unitatem eatenus hucusque descripsimus, quatenus eas in posterioribus capitibus expressiones indicabamus, quae ad priora capita nos revocant : intimius eandem iam perpendamus. Iudaei igitur filiorum Samuelis avaritia exasperati et Ammonitarum incursione in pusillanimitatem acti regem expetunt. Quibus Deus regem concedit in poenam, ex Gabaa civitate exsecrata Iud. 19-21 oriundum, tribu Beniamin progenitum, cuius ergo thronus attenta promissione Gen. 49, 10 permanens esse non posset. Ungitur Saul a Samuele privatim, et signis quibusdam de suae electionis veritate certior fit ; postea in conventu Masphae habito sorte designatus, a pluribus rex salutatur, ab aliis despicitur ; sed fusis brevi post Ammonitis Galgalis ab omnibus agnoscitur. Ibidem Samuel iudicis officium abdicat, fidelibus Dei auxilium pollicitus, simul tamen non obscure futuram regis reprobationem demonstrans 12, 25 : « Quodsi perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis ». Bello dein cum Philisthaeis exorto, Saulis, qui diffidentia deliquisset, posteritas regno ex-

cluditur ; postea ipse, quod in exterminandis Amalecitis Deo non obedivisset, reprobatur ; David successor ungitur et a Saule in aulam adsciscitur, spiritu Dei ab hoc in illum transmisso. Haec narrationis summa, quam apte inscribes : Saulis electio et reprobatio.

Haec narratio primitus scripta est, *distincta cum a praecedentibus tum a sequentibus.*

Praecedens narratio ex 7, 13 scripta iam erat, quo tempore Philisthaei, clade ad Lapidem Adiutorii contriti, nondum ausi fuerant venire in terminos Israel : nostra narratio ex 13, 19 eam supponit rerum conditionem, qua Philisthaei cunctos Hebraeis ademerant gladios et lanceas, quod evidenter supponit, eos terminos Israel esse ingressos totamque gentem subegisse. Neque noster auctor vel verbulo studet, nexum cum praecedentibus reddere magis perspicuum. Ergo scribebat opus ab Historia Samuelis distinctum.

Sed etiam distinctum a *sequentibus* post cap. 16. Nam in fine cap. 16 narratur Saul misisse ad Isai Bethlehemiten : noverat ergo Davidis stirpem ; iuvenemque adscivisse, dilexisse, armigerum fecisse et constanter secum habuisse. 17, 55 vero legimus : « Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthaeum, ait ad Abner, principem militiae : De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner ? Dixitque Abner : Vivit anima tua, rex, si novi ». Hinc patet, utriusque narrationis ordinem esse inversum, prius Davidem Goliam confecisse, quam armiger et psaltes crearetur. Cf. *B. Haneberg*, Geschichte d. bibl. Offenbarung, 2, Aufl., Regensburg 1852, p. 208 sq. Sed ne verbulo quidem inversus ordo asseritur, nulla ex scopo libri Samuelis ostendi potest ratio, cur ordo gestorum fuerit invertendus. Planissime solvitur difficultas, si supponas cap. 16 Historiam Saulis terminari, cap. 17 initium fieri Historiae Davidis. Auctori Historiae Saulis id solum in animo erat, ut Saulis electionem et reprobationem enarraret ; de Davide ea tantum narrat, quae ad eum finem conferunt. Tradita igitur cap. 15 Saulis reprobatione, cap. 16 commemorat Davidem esse in successorem unctum, spiritum Dei relicto Saule in Davidem transiisse, idque causae fuisse, cur David aulae adsciscetur rebusque publicis misceretur. E contra sequentium auctor id in animo habebat, Davidis Historiam narrare ab ovo ; orsus est igitur a facto, quod eius ad aulam accessum antecessit, certamine contra Goliam inito. Quae nostra explanatio non parum inde commendatur, quod alii interpretes singuli fere novas atque ut plurimum miras, ne dicam violentas, excogitaverint solutiones, quas suo loco afferemus.

Historiae Saulis *scopus* is est, ostendere, quomodo primum apud Israelitas regnum fuerit institutum, et quam ob causam Saul primus rex a Deo fuerit reprobatus.

Huius narrationis censemus esse *auctorem aut Samuelem, aut Gad prophetam.*

Adverte, exinde quod supra ostenderimus cap. 1-7 ad Samuelem, quodque infra ostensuri simus 2 Reg. 11-20 ad Nathan revocari auctorem, illico evadere vix non certum, quidquid inter eas duas partes interiiciatur, unius e tribus prophetis 1 Par. 29, 29 esse auctoris. Nathan h. l. excluditur, quod nonnisi post Gad Davidi familiaris

fuerit, et quod aliquam tandem libri Samuelis partem prophetae Gad assignari oporteat.

Iam *pro Samuele* auctore sequentes afferri possunt rationes. Toto hoc tempore superstes erat Samuel ; singula, quae narrantur, probe nosse poterat ; imo quaedam ipsi soli immediate innotuerant, v. g. Saulis unctio, et colloquium 15, 13-30. — Modus, quo Saulis errores (cf. imprimis 13, 9 sqq.) narrantur, eum sapere videtur regis errantis amorem, quo ex 15, 35 ; 16, 1 Samuel afficiebatur ; errores non solum non exaggerantur, sed fere velantur ; nihil, quod in rege nobile fuerit, reticetur. Id ita est verum, ut recentiores aliqui praetenderint, Saulem omni peccato immunem, victimam occubuisse factionis theocraticae. — 1 Par. 29, 29 Samuel adnumeratur iis, qui scripserint « gesta David » ; nihil autem de Davide septem primis capitibus habetur ; oportet ergo, ut, praeter illa septem capita, aliquid Samueli auctori tribuatur. Haec tamen ratio infirmior est. Nam ad gesta David latiori sensu trahi potuit, quidquid regni institutionem spectabat, ergo etiam priora septem capita ; insuper non est absonum, nomine gestorum David 1 Par. 29, 29 designari praecise nostrum librum Samuelis, qui generatim tribus prophetis auctoribus adscribatur.

Contra Samuelem haec videntur militare. Cum inciperent eventus narrati, Samuel 8, 1 iam erat senio confectus ; eventus illi pro ipso fuere pleni laboris, tam in regno primum instituendo, quam in bello Ammonitico et Philisthaico promovendo et dirigendo ; aliunde inter numerosos prophetas non deerant, qui et eventuum optime gnari et scribendis rebus omnino pares essent. Tamen ratio non convincit. — In primis septem capitibus, quae Samuelis sunt, animadvertimus summa tractari modestia, quae Samuelis personam spectarent, et speciatim prophetae non referri sermones ; idem nostris capitibus non ita observatur, imo duae Samuelis orationes in extenso referuntur. Tamen haec etiam ratio minime est peremptoria, aliter quippe iuvenis scribit, aliter senex ; et potuit ipse Samuel senex, ubi eius administratio impugnabatur, necessarium ducere, sua penitius exponere.

Pro Gad id praeterea dici potest, eum, qui postea Davidi comes peregrinationum fuerit, certissime tempore electionis Saul iam vixisse et, quae narrantur, singula vel ipsum vidisse, vel facile et certo ab aliis discere potuisse.

7. — HISTORIA DAVID EXULIS 1 REG. 17-31. *Unam esse hanc narrationem*, patet ex ordine, quo est per suas partes disposita.

Tota facile narratio in *tres partes* dispescitur : 1 Reg. 17-20 David in aula Saulis, 21-26 David fugitivus in terra Iuda, 27-31 David exul apud Philisthaeos.

Prima pars, 1 Reg. 17-20 : *David in aula Saulis*. Ea in *tria membra* subdividitur. Aliquam huius divisionis adumbrationem apud *Then.* et *Keil* reperies, sed confusam tantum et incompletam.

I. 17,1 - 18,5. Hoc membrum *introductionis* loco est ; describit factum, occasione cuius David primum in publicum prodierit, caedem Goliae, eiusque facti faustas sequelas, regis sc. favorem 18, 2, Ionathae amicitiam 18, 1. 3. 4, populi gratiam 18, 5.

II. 18, 6-29 *latentes Saulis insidias* describit, ubi revertitur narratio ad strophicam illam formam, quam cap. 1-7 observavimus. *Duae* sunt eiusmodi *strophae*, quae clausulis dignoscuntur : prior clausula affirmat populi, altera Micholis in Davidem amorem. Sed prior *stropha* rursum in *tres articulos* subdividitur, simili rursum clausula distinctos. Rem schemate accipe.

1ª *stropha*, 1 Reg. 18, 6-16 : insidiarum initia.

a) v. 6-9, inimicitiarum occasio ;
clausula v. 9 : « Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa et deinceps ».

b) v. 10-12, prima infensi animi manifestatio ;
clausula v. 12 : « Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset ».

c) v. 13-15, David specioso praetextu ab aula remotus ;
clausula v. 15 : « Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et coepit cavere eum ».

Clausula strophae v. 16 ; « Omnis autem Israel et Iuda diligebat David ; ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos ».

2ª *stropha*, 1 Reg. 18, 17-28 : insidiae praetextu nuptiarum.

Clausula strophae v. 28 : « Et vidit Saul et intellexit, quod Dominus esset cum David. Michol autem, filia Saul, diligebat eum ».

Clausula totius membri v. 29 : « Et Saul magis coepit timere David ; factusque est Saul inimicus David cunctis diebus ».

III. 18, 30 - 20, 43 *patens iam Saulis odium* describit. Dividitur in *tres articulos*, quorum priores duo 18, 30 et 19, 8 a mentione belli Philisthaeorum pariter initium sumunt.

1) 18, 30 - 19, 7 ostendit Saulem suos ad necem Davidis exhortantem ; reconciliationem efficit Ionathan.

2) 19, 7-24 exhibet Saulem variis modis Davidis vitae insidiantem. Sicut autem ex prioribus insidiis constanter nova Davidi divinitus succrescebant subsidia : 18, 16 populi favor, 18, 28 Micholis amor ; ita in fine patentis huius persecutionis clarissima accedit protectio ipsius divini Spiritus, satellites ipsumque regem invitos abripientis.

3) 20, 1-43 *conclusionis* loco accedit iteratum Ionathae concordiae restituendae consilium, effectu frustratum.

Secunda pars, 1 Reg. 21-26 : *David fugitivus in terra Iuda*. Distinguitur in *tria membra*.

I. 21, 1-22, 23 vagum Davidis vitae genus illustrat, primum Noben secedentis, inde in Geth, in Odollam, in Moab, in saltum Haret. Colligitur circa ipsum nucleus exercitus 22, 1. 2, accedit pontifex 22, 20. Simul in Geth ex ipsis rerum angustiis, in Moab oraculo prophetae Gad divina manifestatur voluntas, Davidi nondum esse terra sancta excedendum.

II. 23, 1-13 narratur factum liberatae Ceilae. Tandem

III. 23, 14 enuntiatur *tessera*, cui probandae tota narratio 23, 15 - 26, 25 subservit. Est autem tessera haec : « Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco ; quaerebat eum tamen Saul cunctis diebus, et non tradidit eum Deus in manus eius ». Cuius tesserae veritatem s. auctor duobus factis particularibus probat, quae in eadem regione, sc. in deserto Ziph, iisdem instigantibus, sc. Ziphaeis, eodem effectu insignis divinae protectionis evenere : 23, 15 - 24, 23 et 25, 1 - 26, 25. Quippe Saul, spe incensus redigendi sub suam potestatem Davidis, bis ipse in Davidis manus incidit, ab illo religiose servatus. Quae insignior illustratio haberi potuit eius tesserae : « Et non tradidit eum Dominus in manus eius » ? Tantum igitur abest, ut ex eorum factorum similitudine bis eundem narrari eventum sequatur, ut potius ex ipsa similitudine, diversos esse eventus, fas sit concludere. Nam s. auctor est in aliquo, ut ita dicam, inductionis argumento proponendo : inductionis autem argumentum ex casibus quidem similibus, re tamen

distinctis coalescit. Abigailis nuptiae cap. 25 ideo inseruntur, quod eae 25, 41 regi occasio fuerint resuscitandarum inimicitiarum inde a 24, 23 sopitarum.

Tertia Pars. 1 Reg. 27-31 : *David exul apud Philisthaeos.* Historice narrat ruinam Saul. Ut primum enim toties quaesitus aemulus terrae Israel vale dixit, veluti sublato salutis palladio, illico praeceps in interitum actus est rex.

Davidis exulis Historia aut cap. 30 aut cap. 31 concludenda est.

Quid praeferendum, ita evidens non est. Ut cap. 31 concludatur, suadere videtur librorum distinctio a LXX invecta, antiquitate veneranda et fortasse antiquiore traditione fundata. Ut cap. 30 concludatur, illud maxime argumento est, quod cap. 31 incipiant excerpta ex « fastis David », quae in 2 Reg. continuantur. Ceterum adverte, Historiam David exulis et Historiam David regis invicem esse contexta, non ita abrupte ab invicem distingui, uti Samuelis Historiam ab Historia Saulis, et haec rursum ab Historia Davidis. In re dubia practice standum esse existimavimus divisioni receptae.

Auctorem si inquiras, *Gad* certe conscripsit narrationem inde a cap. 25, probabilius etiam priora.

25, 1 mors Samuelis refertur. Posset quis fingere Samuelem, usque ad mortis diem, eventus scriptis consignasse ; inde Gad eodem veluti calamo magistri narrationem continuasse. Verum id non satis probatur. Ostendimus enim 25, 1 - 26, 25 et 23, 13 - 24, 23 duas esse unius tesserae 23, 14 enuntiatae probationes : ergo unus idemque auctor Gad asserendus erit totam illam narrationem concinnasse. Rursum David suarum peregrinationum Gad habebat comitem (cf. 22, 5), non Samuelem : ergo facilius Gad res accurate potuit describere. Dubitationi aliquis fortasse locus esset respectu cap. 17-20 : secundum 19, 18 David Ramae narravit Samueli Saulis insidias ; novit illas igitur Samuel ; sed potuit easdem facile nosse etiam Gad, sive a Samuele, sive aliunde.

8. — HISTORIA DAVID REGIS 2 Reg. 1-20. Ea constat narratione fastorum regis David, adiectis aliis, quae aut ante obtentum totius gentis imperium evenere, aut fata domus Saul peccatumque David cum turbis illud consecutis spectant.

En tibi conspectus narrationis nostri libri et 1 Par. :

2 Reg. 1-4, historia David, quamdiu sola ei suberat tribus Iuda.	
2 Reg. 5, 1-10, David a tota gente agnitus arce Sion potitur.	1 Par. 11, 1-9.
	1 Par. 11, 10-46, heroes David, cf. 2 Reg. 23, 8 sqq.
	1 Par. 12, alii Davidis socii.
2 Reg. 5, 11-25, Hirami amicitia, Davidis filii, duo bella Philisthaica.	1 Par. 14, 1-16.
2 Reg. 6, 1-11, arca in domum Obededom translata.	1Par. 13.

2 Reg. 6, 12-20 *a*, arca Hierosolymam translata.	1 Par. 15, 1-24, tabernaculi praeparatio, levitarum ordines.
	1 Par. 15, 25-16, 3 et 16, 43.
	1 Par. 16, 4-42, canticum levitarum.
2 Reg. 6, 20 *b*-23, Michol correpta.	
2 Reg. 7, consilium templi aedificandi, Dei promissio.	1 Par. 17.
2 Reg. 8, summarium bellorum David, aulae proceres.	1 Par. 18.
2 Reg. 19, Miphiboseth in gratiam receptus.	
2 Reg. 10, 1-11, 1, bellum Ammoniticum.	1 Par. 19, 1-20, 1*a*.
2 Reg. 11, 2-12, 28, peccatum et poenitentia David.	
2 Reg. 12, 29-31, finis belli Ammonitici.	1 Par. 20, 1*b*-3.
2 Reg. 13-20, sequelae peccati David.	

Ex hoc elencho collige :

1) Noster auctor quatuor *omisit* documenta, quae 1 Par. exhibet, sive quod ea in fastis non legerentur, sed aliunde ab auctore 1 Par. fuerint petita, sive quod ea minus apta viderentur, quae Historiae David regis insererentur : quippe quae narrationem *eventuum* interrumpant. Sunt enim ea documenta tres virorum recensiones, et unus psalmus.

2) Unum documentum *transposuit*, sc. 2 Reg. 5, 11-25, quod 1 Par. cum elencho levitarum intra narrationem traslatae arcae inseritur ; sed, expuncto levitarum elencho, placuit fortasse continuam tradere translatae arcae narrationem ; quare illud documentum loco cessit.

3) Quatuor documenta *adiecit*. Supplevit historiam David Hebrone residentis, quae in fastis regis *Israel* utique non legebatur. Narrat, quorsum Michol gratia mariti exciderit, et ita penitius exstincta fuerit posteritas Saul. Tradit, quomodo Miphiboseth a Davide in gratiam fuerit receptus, non quod id evenerit immediate ante bellum Ammoniticum, sed quod eius viri mentio facienda esset in regni perturbationibus, quae illud bellum consecutae sunt (16, 1 sqq. ; 19, 24 sqq.). Tandem narrationi belli Ammonitici inserit atque subnectit narrationem peccati et poenitentiae Davidis, cum perturbationibus ex eo peccato natis.

Narratio pro ratione fontium, unde petitur, sponte ita dividitur, ut prima pars Davidem Hebrone, altera Hierosolymis regnantem exhibeat.

Parte priore cap. 1-4 David, post Saulis necem punitam et lugubri cantico comploratam, Deo monente Hebronem concedit tribusque Iuda imperium capessit. Bello civili exorto continuo firmatur Davidis, minuitur Isbosethi potentia 3, 1 : « David proficiens et semper se ipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie ». Idque effectum ostenditur non sola Davidis prudentia, sed magis etiam Dei providentia, cum tam Abner quam Isboseth inscio et invito Davide interimantur.

Pars altera cap. 5-20 rursum bifariam dividitur.

Cap. 5-10, ex fastis Davidicis fere totum depromptum, Davidem exhibet omnium tribuum regem agnitum, in capta Sione regni sedem figentem et palatium exstruentem. « Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel » (5, 12). Funduntur bis Philisthaei, Deo oraculis et portentis adiuvante. Arca Sionem translata, init Davidi consilium domus Deo aedificandae, cui per Nathanem respondetur, id quidem a filio Davidis factum iri, aedificaturum vero Deum Davidi domum, regno apud eius posteros aeternum permansuro. Sequitur breviarium bellorum David ; dein, interiectis quae de Miphibóseth habentur, bellum Ammoniticum fusius traditur.

Cap. 11-20 ex narratione fastorum non derivatur, sed eidem contextum deprehenditur ex 12, 26 sqq., ubi eiusdem narrationis finis habetur. Refertur autem illis capitibus Davidis peccatum in Bethsabee et Uria admissum ; in cuius poenam Davidi indicitur « malum de domo sua ». Hoc deinde malum impletum cernis in stupro et nece Amnon, in fratricidio, rebellione et interitu Absalom. Interempto tandem Seba pax regni instauratur.

Una est totius Historiae David regis idea princeps : *Deus aedificans domum Davidi, David (per Salomonem) aedificans domum Deo.*

Sane ipso Deo manuducente David thronum conscendit. Eo consulto 2, 1 Iudaeam ingressus est atque Hebrone sedem fixit. Postea agnitus est rex ab omnibus atque Hierosolymis capite regni usus est : « Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo... Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius super populum suum Israel » (5, 10. 12). Deo consulto bis Philisthaeos prostravit 5, 17 sqq. In traducenda arca plura edita sunt oracula, portenta plura. David vicissim constanter Dei memor fuit. Ab ipsis maxime regni primordiis id cordi habuit, ut arca e Cariathiarim redux in decentiorem locum atque ipsam regni sedem transferretur. « Factum est autem, cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam : Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium? » (7, 1. 2). En sancti regis consilium : Deo aedificare domum percupiebat.

Ubi adverte, duo in Deut. Deum distincte futura praedixisse, post fixas in terra sancta obtentas sedes : electum iri a Deo *locum*, unicum et permanens centrum futurum totius cultus, 12, 5. 10 sqq. ; 14, 23 sq. ; 15, 20 ; 16, 2. 6. 11. 15 sqq. ; 17, 8. 10 ; 18, 6 ; et constitutum iri a Deo *regem* 17, 14 sqq. Simul cum his duobus promittitur 18, 15 sqq. *prophetici muneris* stabilis institutio. Locus ille opponitur multiplicibus gentium sanctuariis 12, 2 sq., prophetae earumdem pseudoprophetis 18, 9 sq., regi assignatur dignitas cum aliis regibus eadem 17, 14, mores diversi 17, 16 sqq. Haec autem omnia efficienda praenuntiantur eo tempore, quo Israel, devictis hostibus universis, in quietam atque securam terrae sanctae possessionem devenerit, 12, 1. 9 ; 17, 14 ; 18, 9.

Et iam tempora implebantur : iam regnum exstabat Deo acceptum ; iam, ubi rarus pridem fuerat sermo Domini (1 Reg. 3, 1) et vel ipso iudicum aevo intermittens, prophetarum chori saltabant ; vel ipse locus inventus erat, atque arca in Sion fixerat tabernaculum. Non haec sancto regi sufficiebant : *domum* Deo exstruere cupiebat, permanentem, sumptuosam, amplam. Et nunc nomine Dei propheta annuntiat, domum quidem illam a Salomone aedificatum iri, Deum autem vicissim Davidi aedificaturum

esse domum. « Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis : praedicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus » (7, 11), domum utique permanentem, gloriosam : « Et fidelis » (i. e. permanens) « erit domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter » (7, 16).

Facile est, hanc ideam, de domo Davidi a Deo aedificanda, in sequentibus prosequi. Illico David in tota Dei circa se providentia hoc ipsum maxime celebrat 7, 18 sqq. : « Quis ego sum, Domine Deus, et quae *domus* mea, quia adduxisti me hucusque? Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de *domo* servi tui in longinquum..... Nunc ergo, Domine Deus, verbum, quod locutus es super servum tuum et super *domum* eius, suscita in sempiternum..... Et *domus* servi tui David erit stabilita coram Domino, quia tu, Domine exercituum, Deus Israel, revelasti aurem servi tui dicens : ***Domum aedificabo tibi***, etc».

Sed en, bellis feliciter gestis ea iam fere comparata ab inimicis requie, quam Deus 7, 11 conditionem utriusque domus aedificandae assignaverat, ipse David propriam domum seu familiam desecrat, concepto ex adulterio filio. Quare statim renuntiatur in domo sua puniendus 12, 10 sqq. : « Quamobrem non recedet gladius *de domo tua* usque in sempiternum... Ecce ego suscitabo super te malum *de domo tua*, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis huius ». Poenitentia Davidis placatur Deus, promissam domus aedificationem rursum aggreditur. At primum prioris structurae desecratos lapides a se proiicit : Amnon in stupri, Absalom in rebellionis poenam interit. Filius post poenitentiam conceptus seligitur in lapidem angularem aedificandae domus : « et vocavit nomen eius Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus ». In Salomone aedificatur domus Davidi.

Historia David regis scripta esse videtur *Davide nondum defuncto.*

Historia haec ostendit, quomodo Deus, reiectis priorum nuptiarum adulterio desecratarum filiis, ex filio novi connubii, quasi lapide puro et sancto, domum Davidi aedificaverit. Interitus igitur Adoniae, filii David, aeque nostro auctori narrandus fuisset, atque interitus Amnon et Absalom : egregie enim eandem veritatem confirmat, imo ad argumentum auctoris complendum omnino requiritur. Cur ergo non etnarratus? Unica ratio esse videtur haec, quod Adoniae interitus nondum locum habuerit, quando haec Historia primum scribebatur. Ergo scriptam existimamus nondum defuncto Davide, post cuius mortem brevi Adonias occubuit. — Neque iuvat, cum *Bertheau* p. 164 aliisque librum 2 Reg. usque ad 3 Reg. 2, 46 producere, quo mors Adoniae ad nostram narrationem trahatur. Nam praeterea, quod ea productio omni prorsus fundamento tam critico quam historico destituitur, perquam incommode inter hoc additamentum et Historiam David regis intercederet Appendix 2 Reg. 21-24. Adde cum *Himpel* l. c. p. 273, librum, qua ratione nunc concluditur, nonnisi ab ipso primo auctore concludi potuisse ; eam rationem supponendam esse genuinam eadem lege, qua lectionem difficiliorem prae faciliore genuinam praeiudicare consueverimus ; pronum quippe esse lectionem obscuram in faciliorem emendare, non secus.

Cap. 11-20 conscripsit *Nathan propheta.*

1) Nathan non solum aliquam gestorum Davidis partem ex 1 Par. 29, 29 conscripsit, sed quaedam etiam Salomonis gesta 2 Par. 9, 29. Ergo videtur praecipuorum actorum, quae, dum in aula versabatur ipse, evenerunt, ex ordine narrationem contexuisse. Inter quae peccatum David cum turbis illud consecutis praecipuum omnino lo-

cum obtinebat. Aliunde vix dubitare licet, Nathan in scribendis memorabilibus Samuelis et Gad vestigia trivisse, qui eos praecise eventus describendos selegerant, quorum ipsi pars maxima fuissent : similiter igitur Nathan non neglexit peccati David historiam contexere. Nathanis vero scripta ex textibus laudatis eximia omnino apud Iudaeos florebant historica auctoritate. Ergo aut certe noster in narrando Davidis peccato ex illis hausit, aut, quod probabilius est, ipsa nostra narratio Nathanis est.

2) In nostra narratione plura sunt, quae vix quisquam praeter Nathan tam accurate nosse potuit : peccati intimiora momenta (cf. 11, 2. 4. 5), quae David utique supponi potest cum Nathan sibi amicissimo communicasse, nequaquam vero publici iuris fecisse ; Nathanis reprehensio 12, 1 sqq., quam gratis adstrues coram pluribus esse pronuntiatam. Eorum, quae Thamarem inter et Amnonem in conclavi, seclusis testibus, dicta et acta essent (13, 10-16), *genuina* narratio vix aliunde quam a Thamare per Davidem hauriri poterat, Absalomis quippe ea de re querelae a suspicione exaggerationis non omnino fuissent immunes. David autem rem certissime non divulgavit, immo ex 13, 21 silentio pressit, Nathani tamen fidissimo consiliario aperuisse facile creditur. Tota narratio eum prodit auctorem, qui non solum publicos eventus accurate observaverit, sed ipsorum regis consiliorum fuerit gnarus.

3) Constat Nathanem quaedam Davidis acta scriptis mandasse : nostra autem narratio, quod supra suggessimus, scripta est Davide nondum vita functo : ergo haec ipsa nostra narratio illud est Nathanis scriptum.

4) Sententia fuit interpretum tam christianorum quam iudaeorum maxime communis, aliquam libri Samuelis partem Nathanem habere auctorem ; in qua sententia affirmanda illi auctores omnes praeprimis 2 Reg. 11-20 in mente habebant. Estque tanto maius illius sententiae pondus, quod altera eorundem assertio de parte libri Samueli auctori tribuenda solide demonstretur.

Quodsi Nathan cap. 11-20 conscripsit, idem etiam excerpta ex fastis selegit et cum reliqua narratione contexuit.

Idea domus Davidi a Deo aedificandae nequaquam solis cap. 11-20 exprimitur, quin imo principem etiam in excerptis locum obtinet : illa enim capita nonnisi eius axiomatis historicam tradunt confirmationem, quod cap. 7 fuse exponit. Ergo Nathan illas fastorum partes selegit suamque cum illis narrationem contexuit. Idem, non vero Gad, cap. 9 de Miphiboseth, sive a se sive ab alio concinnatum, inseruit : additur enim illud, uti diximus, solius sequentis narrationis elucidandae intuitu. Idem 6, 20-23 ea, quae de Michol sunt, adiecit ad complendam narrationem eorum, quae ad ruinam domus Saul spectabant. Quis autem cap. 1-4 scripserit, non liquet. Potuere illa Davidis Hebrone regnantis acta, sive ex toto sive ex parte, iam a Gad conscribi, quod dein opus imperfectum relictum Nathan continuaverit atque absolverit. Certe Gad ex 2 Reg. 24, 11 adhuc superstes erat, quando regni sedes Hierosolymam fuerat translata. Supra monuimus Historiam David exulis et Historiam David regis non tam indubie ab invicem distingui, uti Historiam Samuelis et Saulis. Excerptum ex fastis iam habes 1 Reg. 31 : non tamen inde concludes, illud quoque a Nathan esse insertum. Potuit Gad eorum excerptorum inserendorum initium facere, cuius postea Nathan exemplum secutus sit. — Quis tandem fastorum fuerit auctor, ignoramus : potuit is esse propheta, aut unus e scribis 8, 16 seq. ; 20, 24 sq. recensitis, aut alius aliquis.

9. — Antequam de Appendice cap. 21-24 dicamus, de praecedentium

Historiarum *collectore* seu *redactore* agemus. Quas censemus in unicum librum coaluisse, non casu sed consilio, ut unam nobis exhibeant *Historiam instituti primum apud Hebraeos regni.*

Supple titulos, quos Hebraei adscribere libris haud consueverant : unum, quem dicimus Samuelis, librum conspicies ex quatuor (vel tribus ?) distinctis scriptis conflatum, Historia sc. Samuelis, Saulis, Davidis exulis et regis. Quaeritur, qua ratione quatuor illa scripta in unum coaluerint. Num casu id factum censebimus, ut, deficientibus titulis, scriptorum distinctio in oblivionem abierit ? Quae opinio nequaquam reverentia s. textui debita proscribitur : ut enim fas est, quos in hodiernis bibliis *duos* legimus libros, hos *unum* declarare Samuelis librum, ita eosdem *duos* in *quatuor* etiam distinguere licebit. Tamen maiorem aliquam unitatem libro Samuelis vindicari posse arbitramur. — Vidimus, in Historia David regis principem locum obtinere ideam domus Davidi a Deo aedificandae : cui ideae reliquae etiam Historiae sponte subordinantur. Domus enim regiae aedificatio, quid demum aliud est, quam institutio regni permanentis ? Ei autem institutioni Historia Samuelis praeludit ostendens, quomodo is, qui regnum esset instituturus, ad iudicis officium inter Hebraeos sit evectus. In Historia Saul praeposteram regis petitionem consequitur collatum Sauli regnum ; quo reprobato, David tandem ad regnum vocatur. Neque re tantum istae Historiae inter se connectuntur, sed verbis invicem digito quasi demonstrant. In Historia Samuelis Anna et vir Dei 2, 10. 35 regnum brevi instituendum praenuntiant. Saulis regnum, tum quod invito veluti numini extortum, tum quod e tribu Beniamin (cf. Gen. 49, 10) petitum sit, permanere nequit, sed alteri regno locum cedat oportet. In Davidis exilio admirari est Dei providentiam, futurum regem ad fidem et fiduciam inconcussam educantem, quibus Deo tamquam sui regni unico fundamento futuro innitatur.

Satis probabile est, librum Samuelis a *Nathan* collectum esse eo fine, ut educationi pueri Salomonis inserviret.

Nathanis insignes omnino fuisse partes in formando Salomone, ex Reg. 12, 25 non quidem colligitur directe, indirecte vero ex hoc textu cum multis aliis collato. Habebatur quippe Nathan summo honore a Davide et Salomone, quorum ipse gesta conscripsit. In difficultatibus maxime ex adulterio Bethsabee consecutis regi consiliarius affuit divinorumque oraculorum interpres. Salomoni recens nato nomen divinitus acceptum imposuit 12, 25. Eius partium praeprimis studiosus fuit in vindicando illi regno 3 Reg. 1, eum unxit. Salomo vicissim, illico post acceptum regnum, sicut Sadoc sacerdotis filium, ita duos filios Nathan 3 Reg. 4, 2. 5 ad primos aulae honores promovit. Aliunde vix aliud Davidis senis animum ita occupabat consilium, non aliud Salomoni puero altius corde haeserat, quam templi aedificandi praeparatio : quo illis in negotio rursum Nathan a Deo assignatus est consiliarius. Hinc continuum eorum virorum commercium, intimorum sensuum communicatio, et consequenter insignis Nathan influxus in Salomone ad omnem pietatem et sapientiam erudiendo. Salomonis utique animus, sapientiae et literarum amans, coelestibus afflatibus patens, non in aula solum, quin potius in prophetarum cellis adolevit.

Iamvero librum Samuelis regum educationi esse aptissimum, alii observaverunt. Ita *Lap.* : « Nihil congruentius principum instructioni quam sacrae historiae, praesertim librorum Regum explicatio. Inde enim clare intelligent fundamentum regni et politiae totiusque prosperitatis in vera religione et iustitia collocandum, extra hoc nihil

christiano principi fore firmum aut tranquillum. Profuit id plurimum Carolo V. imperatori, cui adolescenti Hadrianus, postea sextus eius nominis pontifex, institutor suasit lectitare libros Regum ». *Sacy* : « Quae historia cum sit Regum historia, a Deo per suum spiritum concinnata est, ut principibus et regibus usui esset. Pie in illa normas requirent gubernandorum regnorum, et futurum quondam iudicem ex illa proloquentem auscultabunt ». Unde merito *Augusti* (apud Bertholdt p. 894) hunc librum « speculum regnantium » appellavit.

Cum igitur liber scriptus sit, quo tempore Nathan Salomonis eruditioni utilem operam navabat, cum sit aptissimus piis regibus formandis, non immerito affirmabis, ad hunc etiam vel maxime finem a Nathan fuisse congestum.

Fieri potuit, ut Nathan, dum librum Samuelis componebat, scriptis antiquioribus aliquas de suo glossas adiecerit; quin tales quaedam glossae postmodum addi potuere ab aliquo ex prophetis, in quorum custodia liber Samuelis permansit, quoad in canonem est receptus.

Eiusmodi loci sunt 1) 1 Reg. 27, 6 « propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda usque in diem hanc », quem textum *Welte* p. 131 et *Keil* p. 10 unicum esse affirmant, ob quem libri scriptio post regnorum divisionem sit collocanda. Sane si, uti infra ostendemus, expressio « Israel et Iuda » sit aevi Davidici, neque repugnat urbem Siceleg, quae intra territorium tribus Iuda sita erat, dici esse regis Iuda, sc. Davidis, qua rex Iuda erat et tribui Iuda imperabat. Difficultatem facit plur. « regum ». Si igitur placet, hanc dicas esse glossam posterioris cuiusdam prophetae, eamque haud otiose adiectam, quod per eam ipsa urbs Siceleg constituatur monumentum quoddam perenne eorum, quae eo loco narrantur.

2) 1 Reg. 9, 9 « Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum : Venite et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns ». Cf. dicenda ad hunc locum.

3) 1 Reg. 17, 54 « Assumens autem David caput Philisthaei, attulit illud in Ierusalem ». Verba possunt esse Nathan vel ipsius Gad, cf. infra dicenda.

4) 2 Reg. 13, 18 « Huiuscemodi enim filiae regis virgines vestibus utebantur ». Cf. infra, ubi ostendemus hunc versum vel ab ipso Nathan regnante Salomone potuisse addi, ad filias regis ad pristinam simplicitatem revocandas. Quodsi id non placet, alii cuidam attribui potest.

Quae profecto mutationes tam paucae sunt tamque incertae, ut fere liceat cum *J. B. Glaire* (Introduction historique etc, Paris 1843, III. p. 185. 188) affirmare, collectorem priorum auctorum scripta servasse « immutata, transsumptis verbotenus, quaecunque ipsi scripsissent ». (Fastos excipimus secundum dicta n. 3).

Alia perperam a diversis proferuntur recentioris redactionis argumenta. Expressionem « Israel et Iuda » *de Welte* p. 230 declarat « davidicam » ; quam *Then.* p. XXI recte inde derivat, quod David rex fuerit primum solius tribus Iuda, dein totius Israel. Expressio Davide etiam antiquior est. Nam si 1 Reg. 11, 8 dicitur « Et recensuit eos in Bezec, fueruntque filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Iuda tringinta millia », id sane ostendit, ipso regni Saul initio separatum computum habitum esse virorum Israel et virorum Iuda. — Proverbia 1 Reg. 10, 12 ; 2 Reg. 5, 8 afferuntur, non quod eorum iam scriptoris tempore origo vulgo ignoraretur (*Bertholdt*), sed quod illa apta essent ad facti, a quo originem duxerant, memoriam perpetuandam. — Ceterum, si quae expressiones quandoque ad limam non videntur revocatae, si contextus incertior, id Hebraeorum scribendi generi a nostro nonnihil diverso permitten-

dum. Audi *E. Renan* (Le livre de Iob. Paris 1881 XLIV), rationalistam quidem, sed literarum semiticarum apprime peritum : « Longe aliter quam nos Hebraei ceteriquo Orientales de scriptione librorum sentiebant. Eorum opera non sunt unquam ita accurate undique circumpolita, uti nostratum assuevere. Cave, additamenta seu emendationes odoreris, ubicunque contextus hiatu offenderis ». Exemplum habes initio cap. 8 et 17, ubi Nathan non iudicavit suarum esse partium, diversorum, quibus utebatur, documentorum nexum accuratius exprimere.

10. — Appendix 2 Reg. 21-24 sex constat fragmentis, quae neque inter se neque cum praecedentibus, tamquam continuatio unius eiusdemque narrationis historicae connectuntur.

Fragmenta haec sunt 1) ulterior ruina domus Saul 21, 1-14, 2) quatuor bella contra Philisthaeos 21, 15-22, 3) psalmus cum Ps. 17 identicus, cap. 22, 4) Davidis ultimum eloquium propheticum 23, 1-7, 5) catalogus heroum David 23, 8-39, 6) populi census cap. 24.

Iam psalmus, eloquium propheticum, elenchus heroum narrationem historicam utique interrumpunt, non continuant. Quid psalmo cum bellis Philisthaicis ? Audi *Sanct.* ad 23, 8 : « Sicut prior pars capitis a capite praecedenti, immo et a toto libro separata est (neque enim habemus, cui ea superioribus capitibus possit attexi, si modo, quod putabamus non improbabile, psalterii titulus est) : sic etiam pars capitis posterior non habet aliquid certum supra, cui possit commode et continenter adiungi ».

Ulterior ruina domus Saul potius initio quam fini regni Davidici erit attribuenda, quando recens a Saule accepta iniuria Gabaonitarum adhuc animos stimulabat. Neque veri simile est, Respham 21, 11 tot annos post mortem mariti superstitem fuisse. Adde, filiorum et nepotum Saul nullos recenseri filios, unde concludere pronum est, nullum eorum matrimonium contraxisse, omnes vixdum puberes eo tempore fuisse. Quare *H. Weiss* (David und seine Zeit, Münster 1880, p. 250 sqq.) eventum ante turbas Absalomicas obtinuisse censet.

Populi census certe locum habuit superstite Gad 24, 11, qui, cum Davide adhuc iuvene iam maturae aetatis fuisse videatur, quippe assignatus illi a Deo moderator, haudquaquam credendus est ad finem usque regni Davidici vitam produxisse. Praeterea notavere interpretes, 21, 1-14 et cap. 24, nunc quidem disiecta, primitus tamen unam continuam efformasse narrationem, quod inferunt ex voce ויוסף, « iterum » 24, 1, narrationem inchoatam continuante, et ex communi utrique fragmento clausula « et propitiatus est Dominus terrae ». Cf. suo loco dicenda.

Bellorum quoque Philisthaicorum narratio ex primitivo suo contextu avulsa cernitur, ut patet ex primis vocibus « factum est autem *rursum* », quae continuationem cuiusdam historicae narrationis exprimunt. 1 Par. 20, 4-7 primum bellum e quatuor omittitur, reliqua bello Ammonitico subnectuntur voce « post haec », cuius tamen quandoque sensus est « praeterea ». 2 Reg. 8 et 1 Par. 18 tradito summario bellorum David, unum alterumve bellum accuratius describitur : primum Ammoniticum 2 Reg. 10-12 et 1 Par. 19, 1 - 20, 3, omnium uti videtur valentissimum, dein bella Philisthaica 2 Reg. 21, 15 - 22 et 1 Par. 20, 4 - 7. Neque hinc concludere fas est, bella haec bello Ammonitico fuisse posteriora. Num frater Goliath Gethaei (2 Reg. 21, 19 ; cf. 1 Par. 20, 5) facile credetur quadraginta fere post obitum fratris annos veges perstitisse ? Audi *Calm.* : « Certum tempus harum expeditionum ignoratur. Consignandae sunt facile sub primis annis regni Davidici, cum ille tunc vegeto esset

corporis robore, ac per se in fronte agminis sui certaret. Porro tota haec historia cum sequentibus inserta hic videtur, tamquam aliquid e serie historiae Davidis avulsum ». Ita iam sentiebat *Abul.*, et cf. *Sanct.* ad 21, 1 et 15. — Ergo quatuor ultima capita non exhibent unam continuam narrationem historicam.

Ea tamen fragmenta nequaquam censenda sunt casu adhaesisse extremo Samuelis libro, sed addita videntur ob quamdam cum ipso affinitatem, quod sc. libri narrationem complerent, et sensus illi prae ceteris proprios exprimerent.

Sic 21, 1-14 penitius, quam id 1 Reg. 31-2 Reg. 4 factum fuerat, ruinam domus Saul a Deo reprobatae exhibet. 21, 15-22 complementum est narrationis bellorum David. Psalmus est *canticum petrae*, cf. v. 2 « Dominus petra mea » : et concludit mentione misericordiae semini David in sempiternum faciendae. Exprimit ergo egregie eam fiduciam, qua David excellebat, maxime exilii tempore, et simul aptissima est oratio eius, cui Deus promiserat, *aedificaturum se ei domum*. Prophetia Davidis novissima (cf. explic. loci) celebrat messiam, et explicite memimit eiusdem divinae promissionis : « Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum aeternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum ». Catologus heroum complet narrationem bellorum David. Populi census exhibet Davidem eius neglectae fiduciae poenas dantem, quae tota eius vita tantopere in eo emicuit, quaeque decebat eum, cuius domus non humano robore, sed Dei virtute super Deum petram esset fundanda.

Quando haec fragmenta addita fuerint, et num omnia uno tempore, certo definiri nequit. Videtur id factum esse ante conscriptum 1 Par. ; quod si enim fragmenta 21, 18-22 ; 23, 8-39 ; 24 in eum librum iam fuerant inserta, vix erat sufficiens ratio eorumdem in extenso subnectendorum libro Samuelis. Item coniicere licebit, ante collectam in unum primam e quinque psalterii partibus (Ps. 1-40), adiectum esse libro Samuelis psalmum cap. 22 : cur enim integer Ps. 17 describeretur, qui in psalmorum codice in omnium versabatur manibus ! Equidem facile concesserim, appendicem ab ipso Nathan adiectum esse, sive ante sive post Davidis mortem.

Iuvat, quae de fontibus et auctoribus libri fusius disseruimus, paucis resumere. Praelucentibus igitur textibus 1 Par. 27, 24 ; 29, 29, ipsum librum intelleximus quatuor constare partibus, Historia sc. Samuelis, Saulis, David exulis et David regis, cum annexo Appendice. Quarum tertia et quarta, totam Davidis historiam complectentes, uno veluti calamo, licet a duobus fortasse prophetis, invicem sunt contextae ; prima vero et secunda ab invicem et a sequentibus clare etiamnum distinguuntur. Partes tamen hae quatuor et Appendix non fortuito in unum librum coaluere, sed ab uno auctore fuere collectae, quod unam exprimerent ideam *regni* non humana sed divina virtute stabiliti, tamquam *domus* Davidis, aedificaturi vicissim *domum* Deo. Auctores illorum scriptorum Samuel, Gad et Nathan fuisse perspiciuntur ex variis etiam indiciis libri ipsius :

unde Iosephi, Rabbinorum et Theodoreti testimonia, librum aut prophetis universim, aut illis nominatim prophetis auctoribus attribuentium non mere ex textu 1 Par. 29, 29, sed ex veri nominis traditione derivata esse censenda sunt.

11. — Chronologia regni Davidici. De ratione temporum Samuelis et Saulis pauca solummodo habemus, quae suis locis expediemus. Davidem quod spectat, 2 Reg. 5, 4 sq. docemur regnasse illum quadraginta annos, et quidem sex cum dimidio Hebrone, triginta tres Hierosolymis. Arcem Sion captam, Philisthaeos duabus expeditionibus prostratos, probabilius etiam arcam Hierosolymam translatam esse (2 Reg. 5 et 6) ipsis regni Davidici in Ierusalem primordiis, suis locis explicabimus. Quo loco bellum Moabiticum, Amaleciticum aliaque bella Philisthaica intercesserint, ambigi potest. Certe post bella initio regni Davidici feliciter gesta concedendus erit annus unus alterve quietis, ut vera maneant verba 7, 1: « cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis ». Haec tamen omnia absoluta esse potuerunt anno (e quadraginta) duodecimo vel decimo tertio.

Iam consideranda venit series eventuum, quorum tempora invicem excipiunt. Ubi illud praemitto, tres contra Ammonitas eorumque socios susceptas expeditiones, ex 11, 1 « eo tempore, quo solent reges ad bella procedere », videri tribuendas tribus distinctis annis ; expressiones « pos tempus biennii » et similes, ex more loquendi Iudaeorum, nequaquam intelligi oportere de annis *plenis* ; insurrectionem Absalomis et Sebae videri sat brevi tempore esse suppressam. Quibus praemissis accipe eventuum rationem.

Annus

1 Expeditio contra Ammonitas et Syros 10, 6-14.
2 Expeditio contra Syros 10, 15-19.
3 Expeditio contra Ammonitas et peccatum David 11, 1-27.
4 Mors pueri ex adulterio concepti 12, 18.
5 (vel iam 4) Stuprum Thamaris ; « post tempus biennii »
7 Caedes Amnon 13, 23 ; elapsis « tribus annis ».
9 Absalomis reditus de exilio 13, 38 ; « duobus annis » post
10 perfecta cum patre reconciliatio 14, 28 ; post quatuor annos
13 insurrectio Absolomis 15, 7 (corrigendus textus « quadraginta »).
15 Pax perfecte restituta.

Iam hi quindecim anni continui inserendi sunt regno Davidico inter annum fere duodecimum et quadragesimum. Plures auctores illos inserunt fere in fine regni Davidici. Sed notandum, 18, 2 voluisse adhuc Davidem prodire in proelium contra Absalom, dum 3 Reg. 1, 1 nobis ut

senex decrepitus describitur : ergo videntur aliqui certe anni inter utrumque eventum intercessisse. — Aliunde Salomonis conceptio ideo 12, 24 immediate post Davidis poenitentiam narratur, quod eius veluti praemium fuerit, non vero ideo necesario, quod immediate post filii adulterini obitum locum habuerit. Nihilque prohibet, quominus statuamus, Salomonem nonnisi post expiatum penitus Davidis scelus, patre iam ad senium vergente natum esse, et 5, 14 ideo novissimum recenseri inter Bethsabee filios, quod revera natu minimus fuerit. Hinc si primam in Ammonitas expeditionem adscribas anno regni Davidici duodecimo, habebis oppressum Sebam anno vigesimo septimo, vigesimo octavo natum Salomonem, qui tredecim annos natus patri successerit : at reapse tenera aetate regno potitum esse affirmat scriptura.

12. — Eorum, qui nostrum librum sive ex toto sive ex parte commentati sunt, insigniores recensuisse sufficiet. Ubi antiquis scriptoribus in parenthesi adiicimus numerum tomi in collectione *Migne*.

Et primo quidem loco *Flav. Iosephum* commemorare liceat, qui utvis commentarium non scripserit, non raro commentatoris instar est. Narrat quippe regum historiam, non alio praeter s. scripturam fonte usus, et ita nobis manifestat, quomodo ipse vel sui temporis Hellenistae textum LXX legerint et intellexerint.

Orig. (12 et 17) de quibusdam nostri libri partibus fusius disseruit. Item *Chrys.* (54), qui sicut *Ephraem* (op. t. I.), *Theodoret.* (80), *Procop.* (87) literae explicandae fideliter adlaboravere. Aliqua variis locis *Aug.* tractavit. Sensum spiritualem et moralem aequo nimis prosecuti sunt *Ambr.* (14), *Eucher.* (50), *Greg.* (79). Latinorum, qui ante se scripserunt, explicationes congerunt *Paterius* (79), *Isid.* (83), *Beda* (91), *Pseudo-Beda* (93), *Claud-Taur.* (104), *Rhaban.* (109), *Angelomus* (115). Quorum tamen aliqui etiam *Ps. Hier.* norunt (23), auctorem sc. Quaestionum Hebraicarum, quae Hieronymo quondam tribuebantur, e Iudaismo conversum, textus literalis tenacem et in Hebraeorum traditionibus versatum. *Rupert.* (167) prae sensu spirituali literalem minime negligit, imo facunde nonnunquam exponit. Tandem inter antiquiores commemorandi *Ps. Aug.* duo (35), auctores duorum tractatuum pridem S. Aug. tributorum, sc. De mirabilibus s. scripturae, et Quaestiones V. et N. T. ; item *Hugo a S. Victore* (175).

Aevo, quo studia humaniora revixere, linguae etiam hebraeae maior adhibita est attentio. Agmen ducunt *Nicolaus Lyran.*, *Alphonsus Tostatus* dictus *Abulensis*, et *Cajet.* Toti iam sunt interpretes in sensu literali investigando. Succedunt primum scriptores sat multi, qui scholia potius quam commentarios edidere, textum brevibus hinc inde notis illustrantes ; quorum aliqui hebraicae eruditionis specimina proponunt

potius, quam affirmant. Sunt horum praecipui *Vatabl.* 1545, *Sa* 1598, *Mariana* 1619, *Tirin.* 1632, *Gordon.* 1632, *Menoch.* 1630; inter protestantes *Münsterus* 1534, *Castalio* 1551, *Amama* 1639. Quorum opera alia reperies in : Biblia Sacra cum selectissimis literalibus commentariis, Venetiis 1747; alia in : Critici sacri, Traiecti ad Mosam 1624. Sequuntur iam iustae molis commentarii *Serarii* 1617, *Malvendae* 1650, *Corn. a Lap.* 1653, *Calmeti* 1790; protestantium *Drusii* 1618 (Critici sacri), *Clerici* 1733; omnium facile princeps *Sanctius* S. I. 1623. *Le Maistre de Sacy* (Explication de la S. Bible III., 1682), monialium Portus Regii spiritualis moderator, S. Gregorii vestigia terens, spiritualem potius et moralem sensum sectatur; dum *Duguet* (Explication des Livres des Rois, Paris 1738-40) sensum moralem sobrie, literalem solide exponit. Novissimus accessit *Clair* in : La S. Bible avec Commentaires, Paris 1884. Inter protestantes eminent *Thenius* 1842 textus graeci, et *Keil* 1864 textus hebraei plus aequo tenaces. Praecipuorum, qui « Introductiones » conscripsere, auctorum nomina supra descripta habes. Apparatu critico textus hebr. usi sumus *de Rossi* (Variae lectiones V. T. II., Parmae 1785), Vulgatae *Vercellone* (Variae lectiones Vulgatae latinae II., Romae 1864). 1872 Gottingae librum « Der Text der Bücher Samuelis » publici iuris fecit *I. Wellhausen*, in restituendo textu saepe audax, non raro felix. Hunc librum prae oculis habemus, quando citamus « Wellh. » sine addito; secus adiicimus « Prolegomena ». Antiquiorum e catholicis criticorum labores recenset Vercellone, inter alios etiam *Lucae Brugensis* 1601 et *Houbigantii* (Notae criticae I., Francof. ad M. 1777; iam antea Parisiis 1753), quos sequentibus hinc inde citabimus.

LIBER PRIMUS SAMUELIS

HISTORIA SAMUELIS 1 Reg. 1-7.

Arg. — Ostendit propheta, qua ratione ipse ad iudicis officium fuerit evectus. Et primum quidem enarrat, quomodo precibus fuerit a matre sterili impetratus divinoque in Silo ministerio consecratus, ibique filiorum Heli praesens aspexerit impietatem. Dum mater Anna prole a Deo ditatur, indulgens pontifex a viro Dei severe reprehenditur atque domus suae ruinam edocetur. Ipsi mox Samueli Dominus in visione adest minas iterans. Propheta Samuel a populo agnoscitur, eosque ad bellum contra Philisthaeos evocat. Cladem tandem consequitur victoria, iudexque Samuel ab omnibus salutatur. — Hoc Samuelis scriptum in septem, uti Intr. n. 5 monuimus, paragraphos dividitur, quarum post primam singulae exordiuntur animadversione aliqua, quomodo Samuel adoleverit, creverit, profecerit.

1) Samuelis nativitas 1,1 - 2,11.

Anna, ob sterilitatem ab aemula afflicta, voto nanciscitur filium Samuelem ; quem ubi ablactavit adducit in Silo, ministrum futurum Domini, canticumque pronuntiat.

Cap. I v. 1 « *Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, et nomen eius Elcana, filius Ieroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephrataeus* » . Narraturus de Samuelis nativitate s. scriptor incipit ab eius familia describenda. Pater oriundus erat ex Ramathaim Sophim : cum ex 9, 5 constet, eum locum situm fuisse in terra Suph, er-

go Sophim est appositio a nomine pagi vel rectius paganorum petita, ac si dicas Ramathaim Sophitarum. Utrum vero pagi nomen connexum sit cum nomine Suph (h. l. et 1 Par. 6, 35 — secundum hebr. 6, 20) vel Sophai (1 Par. 6, 26 — secundum hebr. 6, 11), Elcanae avi, definiri nequit. Ramathaim seu Ramatha sita erat in tribu Iuda, inter Bethlehem et Hebron. Unde verba *de monte Ephraim* non ad urbem Ramathaim sunt referenda, cum Ephraim mons in tribum Iuda nequaquam protenderetur ; non Elcanae domicilium indicant, sed eam, cui civiliter adscriptus erat, tribum. Origine levita erat, civili attributione Ephraimita, domicilio Iudaeus. Ita *Ios.* : Ἑλκάνης, Λευίτης ἀνὴρ, τῆς Ἐφραίμου κληρουχίας, Ῥαμαθὰν πόλιν κατοικῶν. Pro *Ephrataeus* malim vertere *Ephrataei* (*Mar.*) : quod Suph Ephrataeus appelletur, confirmat illud, quod dicebatur, fuisse Elcana de monte Ephraim ; si utrumque ad Elcanam referatur, habetur tautologia. Elcanae genealogia per quatuor membra describitur, ut vir ab aliis homonymis distinguatur : fuerunt enim inter posteros Caath 1 Par. 6, 22 sqq. ad minimum duo alii viri nominis Elcanae. Indidem patet, Elcanam et Samuelem non fuisse sacerdotes, quod iam perspexit *Ps. Eucher.* (*M.* 50. 1053). Proavis Samuelis accensetur Core, quem Num. 16 contra Moysen rebellantem terra dehiscens absorpsit : « Ita Deus ex spina rosam produxit » (*Lap.*).

Hebr. copula incipit *et fuit vir*, unde recentiores aliqui intulere, non novum aliquem h. l. sacrum librum inchoari, sed narrationem aut esse truncatam, aut Iudicum librum continuari. Si dicas, copulam scribi ex aliquo ad Iudicum librum respectu, id quidem defendi potest. Si autem affirmes, ex hac copula evinci 1 Reg. et Iud. primitus unicum librum fuisse, cf. 3 Reg. 1, 1 ; 2, 12. 46 : a 3 Reg. novum incipere librum sentiunt omnes ; omnesque eundem exordiuntur ab uno e tribus versibus laudatis : ast hi versus singuli copula incipiunt. Ergo novus liber apud Hebraeos a copula utique incipere potest.

Ex voce *unus* rationalistae pridem arguebant recentiorem libri redactionem, quod serius tantum ea vox in sensu nostri pronominis indefiniti *aliquis* usurpari consueverit. Frequentior quidem in libris posterioribus is usus vocis est, sed non ad illos restringitur, cf. Ex. 29, 3 : « et posita in canistro (uno) offeres ». *Mendoza* de quaestione « Cur Elcana unus appelletur » scripsit columnas in folio quindecim, ubi de unitate iustorum propter paucitatem, caritatem, sinceritatem, et de multiplicitate iniustorum propter calliditatem subtiliter valde disputavit. Vox apud *LXX* deest ; utrum in textu primitus fuerit, non liquet ; est ex numero earum vocum, quae quandoque in sacrum textum irrepserunt, uti perspicere est ex v. 24, ubi eam habent Hebr. Chald. Syr. contra Vulg. LXX, et ex 2 Reg. 6, 19, ubi eadem ter scribitur, sed in loco parallelo 1 Par. 16, 3 ignoratur.

Nominis *forma* Ramathaim in textu hebr. hoc unico loco prostat, estque sa c identica cum formis Ῥαμαθέμ vel Ῥαμαθαίμ 1 Mach. 11, 34 et Ἀριμαθαῖα Matth. 27, 57. Formam *dualisticam Ser. Lap.* inde explicant, quod urbs in duobus collibus fuerit aedificata. Vel duo illi colles imminebant, aut forma aut reli-

gione insignes ; colles quippe aetate patriarcharum et inter Chananaeos sacri haud raro habebantur. *Sanct.* putat, duas fuisse urbes contiguas Ramae nominis ; sic ex inscriptionibus cuneiformibus perspicimus, nomen Sepharvaim inde ortum duxisse, quod duae essent Sipparae, flumine interiecto separatae. — Eam urbem incolebat Elcana (1, 3. 19 ; 2, 11) et postea Samuel (7, 17 ; 8, 4 ; 15, 34 ; 16, 13 ; 19, 18. 22), quibus locis *LXX* constanter retinent formam Ἀρμαθαίμ (*Ios.* tamen Ῥαμαθά), reliquis constanter substituentibus *Ramatha*, quam formam *Chald. Syr.* etiam h. l. servant. Ergo idem est Ramatha, quod Ramathaim. — Praeterea 1 Reg. 19, 19. 22. 23 et 20, 1 *Hebr. LXX* loquuntur de loco quodam Naioth in *Rama*, qui cum Ramatha vel idem est vel omnino propinquus, *Vulg. Chald. Syr.* constanter Ramatha substituentibus. 25, 1 et 28, 3 dicitur Samuel sepultus in domo sua in Rama, ubi *Vulg. Syr.* habent Ramatha, *LXX* Ἀρμαθαίμ, *Chald.* semel Rama. Quaeritur iam, sitne Rama aliud nomen pro Ramatha. Quodsi solum Naioth attendas, dicere poteris רמה non aliud significare, nisi *in colle* ; poterisque fingere, ipsam urbem Ramatha fuisse in clivo collis sitam, prope cuius cacumen, in loco ab hominum strepitu remotiore, fuerit Naioth, prophetarum receptaculum. Sed obest, quod 25, 1 ; 28, 3 sermo sit de domo Samuelis in Rama, quae 1, 19 ; 7, 17 vocatur domus eius in Ramatha : ergo idem videtur esse Rama et Ramatha. Dein forma רמתה tum solum usurpatur, quando de motu ad locum agitur, ut explicari possit orta esse ex רמה adhibito ה locali. Unde perquam probabile evadit, idem esse Rama quod Ramatha. — Hinc vero sponte sequitur, plures debuisse esse urbes, quae Rama seu Ramatha, i. e. collis, vocarentur, neque nostram hanc necessario debere eandem esse cum unalibet ex iis, quae aliis scripturae locis nominentur. Habetur Rama in tribu Nephthali Ios. 19, 36, cf. v. 29 ; Ramoth Gilead, quae Ios. 13, 26 Rama appellatur ; Ramathlechi Iud. 15, 17 in tribu Iuda ; Arimathaea. Pluribus placuit Rama tribus Beniamin, haud longe a Gabaa distans, cf. Ios. 18, 25 ; Iud. 4, 5 ; 19, 13 ; Is. 10, 29 ; Os. 5, 8. Rationes, cur praeferamus Ramam tribus Iudae, 3/4 leucae ad septemtrionem Hebron, in exponendo cap. 10 discutiemus.

Qui nostram Ramam tribui Beniamin concedunt, recurrunt ad Iud. 4, 5, ut probent, montem Ephraim etiam in eam tribum porrigi : « (Debbora) sedebat sub palma, quae nomine illius vocabatur, inter Rama et Bethel, in monte Ephraim ». Ex textu non sequitur, Ramam fuisse in monte Ephraim, sed palmam ; insuper ostendendum est, intelligi Ramam Beniamin (er Ram), et non aliam propius distantem a Bethel. Accedit Ios. 21, 4. 5. 20. 21 affirmans, filiis Caath non sacerdotibus, e quorum numero erat Elcana, attributas esse urbes in tribu et in monte Ephraim, *non vero* in tribu Beniamin.

v. 2 « *Et habuit duas uxores, nomen uni Anna, et nomen secundae Phenenna. Fueruntque Phenennae filii, Annae autem non erant liberi* ». A patre ad matris conditionem describendam procedit auctor. Prior nominatur Anna, quod sit mater Samuelis, non necessario ideo, quod fuerit ducta ante Phenennam. Plurium V. *T.* mulierum, quae typos servatoris genuerunt, sterilitas effertur : « Videtur Deus iteratis illis portentis

gradatim voluisse elevare hominum mentes ad portentum virginei conceptus agnoscendum. Quis tam stolidus non perspiciat, post tot steriles fecundatas ad gignendos messiae typos, eminentiam messiae matri debitam servari non potuisse nisi conceptu virgineo ! » (*Duguet* ad 2, 10). — Egit s. auctor de Elcana et uxoribus ; iam, quod sequentia occasione sacrificii Silunte oblati evenerint, describit annuam Elcanae religionem et uxorum dissidia. v. 3 « *Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis diebus,* » i. e. singulis annis, « *ut adoraret et sacrificaret Domino exercituum in Silo* ». Cf. Ios. 18, 1 ; Iud. 19. 31. Prima vice h. l. habetur in s. scriptura expressio *Dominus exercituum* seu *Iehova Sabaoth*.

Statutis diebus, Hebr. a diebus in dies, quod *Chald.* explicat *a tempore festi in festum* ; unde cum *Ps. Hier.* putavere multi, ascendisse Elcanam quotannis *ter*, festis sc. paschae, pentecostes et tabernaculorum. Sed ex 27, 7 (secundum Hebr. Chald. Syr.) patet ימים significare annum, ergo h. l. *de anno in annum*, i. e. singulis annis. Cf. dicenda ad 29, 3. Idem habes ex Iud. 17, 10, ubi recte Vulg. « daboque tibi per annos singulos », Chald. « pro spatio anni ».

Nomen divinum antiquitus (cf. Ex. 3, 14 sqq.) receptum erat Iehova ; inde expressiones *Iehova Deus patrum vestrorum, Iehova Deus vester, Iehova Deus Hebraeorum, Iehova Deus Israel*. Cui ultimae expressioni omnino analoga est expressio *Iehova Deus Sabaoth* seu contracta *Iehova Sabaoth*. Frequentissime utraque appellatio copulatur : *Iehova Deus Sabaoth, Deus Israel*, seu *Iehova Sabaoth, Deus Israel* ; Sabaoth constanter posito ante Israel, ut pateat *exercitus* illos nobilius quiddam esse solo populo Israel, quo nobilius nihil super faciem terrae tunc reperiebatur. Quibusnam autem illi exercitus constent, clare pronuntiat angelus Ios. 5, 4 : « Sum princeps exercitus Iehovae », i. e. *angelorum*. Habes hic principem coelestis Dei exercitus alloquentem Iosue, principem exercitus Dei terrestris (cf. Ex. 12, 41). Sabaoth complecti angelos, clare rursum patet 3 Reg. 22, 19 : « Vidi Iehova sedentem super solium suum, et omnem exercitum coeli assistentem ei a dextris et a sinistris » ; Ps. 148, 2 : « Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnis exercitus eius » (Hebr.) ; Is. 6, 3 : « Sanctus, Sanctus, Sanctus, Iehova Deus exercituum » ; et Luc. 2, 13. Neque obstat, *stellas* quandoque eadem voce significari. Nam stellae nunquam dicuntur exercitus Iehovae, sed exercitus coeli, et hoc vel ad mentem idololatrarum eas adorantium, vel poetico sermone uti Ier. 33, 22 ; Is. 40, 26 et etiam Gen. 2, 1. Licet autem expressionem *Deus exercituum* vetemus reddi per *Deus stellarum*, aliunde tamen stellas etiam eo nomine quodammodo includi non infitiamur. Secundum Gen. 2, 1 sc. omnes creaturae, quotquot in coelo et in terra reperiuntur, animatae atque inanimes, « exercitus » vocantur. Commendatur igitur versio LXX (2 Reg. 5, 10 ; 7, 8. 26. 27 et alibi) παντοκράτωρ, dominus universorum, ergo omnipotens, supremus, sub cuius imperio omnes omnino creaturarum ordines militent. Cf. *L. Reinke*, Der Prophet Malachi, Giessen, 1856 p. 231 sqq. Quod autem primum initio historiae regum divinum nomen Iehova Sabaoth introducatur, hoc etiam perquam conveniens est. Deus

quippe suas revelationes adaptat statui et necessitati eorum, quibuscum agit. Hinc Iob 1, 6 conspicitur in medio « filiorum Dei » considens, tamquam supremus parens patriarchali familiae invigilans. Quamdiu Abrahamidarum selecta stirps ex una familia exercscit in populum, Deus nominibus appellari vult familiarem quandam necessitatem exprimentibus : « Deus Abraham, Isaac et Iacob », « Deus patrum vestrorum », « Deus Israel ». Quando vero eadem stirps in nationem iamiam exerevit, stabiliter in patria consedit regnique institutionem meditatur, Deus regis instar regio nomine insignitus regiisque exercitibus stipatus apparet — Iehova Sabaoth.

« *Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni et Phinees, sacerdotes Domini* ». Ergo, quibus officium incumberet sanctitati sacrificii consulendi, quibuscum Elcanae in opere sacrificii conveniendum esset. Emphatice in fine huius versus filiorum Heli sacerdotium, in fine praecedentis versus Annae sterilitas effertur : sacerdotium neglectum fecunditatem orbavit liberis, dum humilis fiducia de sterili progenuit prophetam.

v. 4 « *Venit ergo dies, et immolavit Elcana, deditque Phenennae uxori suae et cunctis filiis eius et filiabus partes* » ; v. 5 « *Annae autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam eius* ». Verba omnia, uti v. 6 et 7, vertenda sunt imperfecto ; agitur de re, quae singulis annis fieri consueverat. Cum *LXX* pro אפים (Vulg. *tristis*) lege אפם *tantum*, quod iungendum cum sequenti כי, πλὴν ὅτι. Hinc sensus facillimus : Recurrente quotannis constituto sacrificii die, dabat Elcana Phenennae eiusque liberis partes, singulis singulas, a matre fortasse liberis assignandas ; Annae autem dabat partem unicam ; *verumtamen* Annam praediligebat ; quominus vero dilectionem abundantiore largitione manifestaret, illud prohibebat, quod Dominus conclusisset vulvam eius.

Veniebat ergo dies, et immolabat — ita iungimus secundum *Vulg.* *LXX* et accentum hebr., ut sit sensus : Veniebat ergo dies, quo immolaret Elcana ; seu : quoties singulis annis recurreret immolandi dies, היום i. e. dies constitutus, dabat Elcana etc. Posset absolute permitti constructio, cuius meminit *Malv.* : Et factum est : in die, qua immolabat Elcana. Sensus idem. — Multum ea Annae portio torsit interpretes. אף, tam in sing. quam in duali, iram significat, nunquam vero tristitiam. Unde perperam Vulg. *tristis*. Nota *Mar.* animadversionem, S. Hier. ex v. 18 « vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati » sumpsisse occasionem h. l. pro *faciebus* vertendi *tristis*. Primaria dualis significatio est *nares, facies*. Hinc *Sanct.* partem faciei partem lectissimam explicat, et concordat *Chald. partem electam. Duguet* partem faciei eam intelligit portionem, quae ante ipsam Elcanae faciem fuisset apposita, suam propriam portionem : sed cur dicitur *una* ? *Syr.*, ingenium suae linguae secutus, vertit *duplum* ; quod explicat *Keil* « portionem pro duabus personis ». Sed personae significatio voci hebr. certe non competit, et dualis אפים semper aut singulari aut plurali, nunquam vero duali acceptione adhibetur. — Quae explicationes omnes id efficiunt, consuevisse Elcanam Annae tribuere portionem maiorem vel melio-

rem, in praedilectionis signum. Qua in re insipientiae arguendus esset, ob datam Phenennae liberisque iustam invidiae causam. Dein eae explicationes omnes violentae sunt, faciuntque אפים dependens a מנה, quod propter interpositum אחת difficultatem habet. Standum *LXX*.

v. 6 « *Affligebat quoque eam aemula eius, et vehementer angebat in tantum, ut exprobraret, quod Dominus conclusisset vulvam eius* ». Melius ita : affligebat quoque eam aemula afflictione (eo animo), ut indignanter ferret (Anna), quod Dominus conclusisset vulvam eius.

גם « quoque », aut cum *Vulg.* post primam vocem legebatur, aut certe eo sec. sensum est trahendum. בעבור correctius quam *in tantum ut* (*Vulg.*), vertitur *propterea* (*LXX*), vel *ut* finale. הרעמה melius vertitur *indignanter ferre* (*LXX Syr.*), quam *exprobrare*, quae significatio demonstrari nequit. Nota aemulae malitiam, Annae indignationem provocare studentis, non tam de conviciis acceptis, quam potius de ipsa divinae providentiae gubernatione.

v. 7 « *Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini et sic provocabat eam* ». *Domus Domini* h. l. est tabernaculum in Silo. Pro עלתה, *cum ascenderet ipsa*, legebat *Vulg.* עלתם, *cum ascenderent ipsi*, quod utique est magis obvium : sententiae subiectum non est Phenenna (*Syr.*), sed Elcana, verbum quippe est masc. generis. Subiectum vero ultimi incisi (*provocabat*) est Phenenna, verbum enim in fem. ponitur. Sequentium subiectum evidenter est Anna. Eiusmodi subitae subiecti mutationes a genio linguae hebr. non abhorrent. « *Porro illa flebat et non capiebat cibum* ». Quotannis ipse Annae unicam tribuebat portionem, pluribus pro liberorum numero aemulae tributis ; quotannis ex hac distributione Phennena occasionem sumebat affligendae Annae ; quotannis Annae festiva solemnitas in luctum cedebat et abstinentiam. Tota phrasis pulchritudo praecise subiecti mutatione constat.

v. 8 « *Dixit ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles ? et quare non comedis ? et quam ob rem affligitur cor tuum ? Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii ?* » Ab iis quae quotannis fieri consueverant, iam ad ea, quae uno aliquo anno evenere, s. auctor gressum facit. Ex hebraeo quidem non satis liquet, ubi eorum, quae toties quoties fierent, narratio terminetur et eorum, quae semel dumtaxat facta sint, relatio incipiat. Sane, quae v. 4-6 narrantur, teste v. 7 quotannis recurrebant. Num vero quotannis etiam Anna usque ad lacrymas provocabatur, et ab Elcana verbis v. 8 vel similibus demulciebatur ? v. 9 certe semel facta narrat ; et v. 8 etiam videtur, quatenus v. 7 ea, quae toties quoties fiebant, resumendo concludit. Ceterum, licet hac vice affirmetur Elcana taliter esse locutus, non sequitur eum, aliis vicibus similia non esse locutum. — *Decem* filii pro multis ponuntur : cf. Num.

14, 22; Gen. 31, 7. 41. Anna non tam de aemulae conviciis, quam de sua sterilitate moeret; quod probe intelligens Elcana, Annae attentionem revocat ad felicitatem uxoris bonum maritum possidentis. Vox *melior* indeterminata omne genus excellentiae complectitur: Nonne ego tibi pretiosior, carior, amantior sum multis liberis? Fallit suus pium Elcanam affectus, dum et propriam excellentiam modeste exaggerat, atque tertium comparationis plus aequo deprimit: non enim inter bonum maritum decemque liberos instituenda erat comparatio, sed hinc inter bonum maritum eumque solum, illinc inter bonum maritum decem bonis liberis stipatum ideoque omnino praeferendum.

v. 9 « *Surrexit autem Anna, postquam comederat et biberat in Silo* ». Hic dicitur Anna comedisse, v. 7. 15 dicitur neque comedisse neque bibisse, v. 18 asseritur postmodum tandem comedisse. *LXX* commutatis suffixis: *postquam comederant*; quae suffixa inter se commutari vidimus etiam v. 7. Vel dicamus cum *Lyr.* eum, qui parum edat, dici non comedere; et verisimile est, Annam parum quid cibi degustasse, quod epulum sacrum esset, et etiam ut mariti suasioni obsequeretur (*Greg. Sanct.*). Potest tandem *postquam comederat et biberat* fortasse accipi tamquam expressio aequivalens alteri *postquam interfuerat epulo sacro*; quem sensum commendat additamentum *in Silo*, quod tamquam mera loci determinatio h. l. abundat, apte vero adiicitur ad epuli sanctitatem efferendam. — *LXX*, loco *postquam biberat*: καὶ κατέστη ἐνώπιον Κυρίου. Lectio bonum quidem sensum praebet, sed a *Then. Wellh.* critice praeferenda esse non probatur.

« *Et Heli sedente super sellam ante postes templi Domini* », v. 10 « *cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter* », v. 11 « *et votum vovit dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulae tuae, et recordatus mei fueris, nec oblitus ancillae tuae, dederisque servae tuae sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitae eius, et novacula non ascendet super caput eius* ». « Magnum orationi suae pondus addiderat Anna, dum ad preces addidit lacrymas; sed addit multo gravius, dum non tam orat, quod suo, quam quod ipsius Dei futurum sit usui consecratum » (*Sanct.*). Notavimus supra Phenennae malitiam, Annam ad murmurandum in Deum provocare conantis; notavimus blanda Elcanae verba, commendantis felicitatem mere naturalem uxoris bonum maritum nactae: *surgit* iam Anna, non ut Deo imprecetur, sed ut illum precetur; prolem exposcit, non ut liberorum simul cum mariti convictu fruatur, sed ut eam brevi a se abdicatam Deo consecret. Cur ita? Anna *ancillam* Domini se esse meminit, filiamque populi eius famulatui speciali foedere adscripti; *fide* prolem desiderat, quae operi messianico cooperetur. Pluribus hoc Annae votum celebrat

Chrys. (*M.* 54. 640 sqq.) : « Vide mulieris pietatem. Non dixit : Si dederis mihi tres, duos tibi do ; sin autem duos, unum do tibi, sed : Si unum solum dederis, totum tibi fructum consecro. . . . . Non illi venit in mentem haec apud se dicere : Quid vero fiet, si, dum tener est infans, aquae potu eius valetudo laedatur ? quid si in morbum incidat ? quid si gravi morbo oppressus moriatur ? Sed cogitavit eum, a quo esset dandus, posse illius quoque sanitati providere. . . . . In oratione non meminit aemulae, non eius convicia commemoravit, non in medium protulit eius opprobria, non dixit : Ulciscere me de improba et scelesta illa muliere, quod multae faciunt mulieres ».

Annae votum duo complectitur : filium divino servitio in perpetuum consecrandum, dum levitarum ministerium ex Num. 4, 2 sq. ; 8, 24 sq. nonnisi a trigesimo ad quinquagesimum annum duraret ; et eundem filium in perpetuum nasiraeum constituendum. Censenda autem est Anna voluisse filium obligare non ad solam comam intactam servandam, sed ad reliquas item nasiraeatus conditiones Num. 6, descriptas implendas, quas *LXX* h. l. diserte exprimunt. Non quidem stricte obligabatur filius postmodum nasciturus ad matris votum implendum, cum praevia matris voluntas ad talem obligationem inducendam minime sufficeret ; sed ipso suae nativitatis facto, ad instar divinae vocationis, ad eam obligationem libere iam suscipiendam invitabatur. Cf. *Duguet.*

Thronus in hebr. articulum habet, ergo determinatus quidam thronus, certum locum occupans. — היכל, aedes, palatium Iehovae, frequens in posterioribus libris appellatio est templi ; unde iam *Calm.* discernit h. l. vestigium posterioris libri conscriptionis. Argumentum tamen non est omnino stringens. היכל antiquitus apud Orientales templa appellabantur, neque video, cur non potuerint Iudaei, exeunte iam iudicum epocha, tabernaculum foederis hoc aedis vel palatii nomine insignire. היכל postmodum vel templum universum denotat, vel partem eius potiorem, atrio excluso, cf. 3. Reg. 6, 3. 17 ; 7, 50. Potuit ergo sella Heli constituta esse prope ingressum vel ipsius tabernaculi, vel atrii ; quod alterum praefert *Sanct.* quod Heli videatur sedisse ut iudex magis, quam ut pontifex, ad causas etiam profanas audiendas. Afflictio, ταπείνωσις, eadem vox quae Luc. 1, 48. *Semen virorum* pluralis est speciem denotans ; cf. Zachar. 9, 9 « pullus filius asinarum », i. e. asinae. Petit autem Anna prolem masculam, non solum quod filia inter templi ministros adsciscì non potuisset (*Sanct.*), sed quod familiae usque ad Messiae tempora perdurationem desideret.

v. 12 « *Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os eius* ». Multiplicabat preces, non sola duratione, sed praeprimis instantia ; sola enim prolixior mulieris oratio, cum quieto labiorum motu, suspicionem ebrietatis vix suscitasset. v. 13 « *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur* ». דבר על לב non significat *loqui in*

corde, quod omnes habent versiones, sed *loqui super corde* et, sec. Gen. 34, 3 (Hebr.) *suaviter loqui ad cor*: « locutus est super cor puellae », quod Vulg. vertit « tristemque delinivit blanditiis ». Pro עַל igitur lege אֶל, quae frequentisime permutantur. אמר אל לב etiam 27, 1 vertitur « ait in corde suo ». « *Aestimavit ergo eam Heli temulentam* », v. 14 « *dixitque ei: Usquequo ebria eris?* » Usquequo te ebriam geres? Ita cum *Chald.* verte hithpael. Iam nimis diu te ebriam gessisti. « *Digere paulisper vinum, quo mades* ». *Hebr. Fac, recedat vinum tuum a te*, et dein huc revertere et ora. Modus, quo vinum subigatur, non describitur accuratius; maxime obvius est somnus, cf. 25, 37; certe non consulitur vomitus (*Then.*). v. 15 « *Respondens Anna: Nequaquam, inquit, domine mi* », ebria sum. « *Nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque et omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini* ». Annae moderationem commendat *Greg.*, quae superiori, licet falsa obiicienti, reverenter respondeat; eandem laudat *Chrys.*, quae prius tulerit silenter sterilitatis, nunc aequanimiter peccaminosae ebrietatis convicium.

Hebr. mulier dura spiritu. Sensus maxime obvius esset *mulier obstinata*, quod tamen h. l. non quadrat. Dicunt קשה ad significationem *gravis* descendere; quae derivata significatio, licet ex 5, 7 et Iud. 4, 24 probabilis appareat, certa tamen non est. Possumus, quod in idem recidit, ex genio linguae hebr. *dura spiritu* interpretari: quae dura passa est spiritu, ergo *infelix (Vulg.), tribulata spiritu (Chald. Syr.). LXX* pro קשת רוח legebant קשת יום, dura *diei* (cf. Iob. 30, 25), i. e. quae duras vidit seu experta est dies; ergo rursum *infelix. Non bibi*, sc. hodie; non profitetur, se « per totam vitam fuisse abstemiam » (*Malv.*)

v. 16 « *Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial* » seu malitiae, de mulieribus perditorum morum; « *quia ex multitudine doloris et moeroris mei locuta sum usque in praesens* ». Vehementior labiorum motus non ex temulentia provenerat, sed ex impulsu cogitationum propriae miseriae atque ex affectus intensitate. *Usque in praesens* omnem causae minus decentis pro praeterito tempore admixtionem excludit. v. 17 « *Tunc Heli ait ei: Vade in pace, et Deus Israel det tibi petitionem tuam quam rogasti eum* ».

Pro *det* vertit *Vatabl.* « dabit »; et *Drus.* « dabit: prophetia est ». Utroque modo vox hebr. verti potest: sensus optativus (*Vulg.*) sufficit, propheticus satis probari nequit. — *Hebr. Non ponas ancillam tuam ante faciem filiae malitiae*, habent enim sing. nominis textus. Proxime ad Vulg. accedit *Syr.*, tamen pro לפני legens לפניך: *Non reputes ancillam tuam ante faciem tuam filiam malitiae.* Et fortasse idem legebat *Vulg.*, nam *reputes* potest esse תתן לפניך, vel ך finale potest in *quasi* latere. Si lectio hebr. retineatur, dicendum erit, constitui rem ante alicuius faciem, aut ut is ea utatur (cf. Ios. 10, 12; 4 Reg. 4, 43 etc), aut solius comparationis instituendae causa, uti h. l.: Ne aequipares ancillam tuam mulieri perditae.

v. 18 « *Et illa dixit : Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis* ». Formula valedicendi usitata, quasi dicat : Commendo me tuae benevolentiae (*Then.*). Nota, hac vice Annam pontifici doloris petitionisque obiectum non manifestasse : « Non commemorat aemulae convicia, neque traducit illius malitiam, nec domesticam calamitatem exaggerat evulgans, sed hactenus aperit suam anxietatem, ut tantum sese apud sacerdotem purgaret » (*Chrys.*). Videtur autem pontifex perculsus fuisse mulieris sibi respondentis sinceritate, reverentia, pietate ; quare severitate in comitatem mutata, benigne illam usitata formula dimittit faustumque eventum apprecatur. « Qui accusator antea fuerat, iam se patronum profitetur » (*Sanct.* cf. *Chrys.*). « *Et abiit mulier in viam suam, et comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati* ». *Abiit* opponitur voci *surrexit* v. 9, quando ad orationem se contulit ; *comedit* opponitur voci *non capiebat cibum* v. 7 ; *vultusque illius etc* opponitur fletui v. 7, amaritudini v. 10. Sublata interiori afflictione omnis eius externa manifestatio sublata est. Quae tam instantaneae mutationis causa fuit ? *Fides* simplicis animae, pontificis verba, tamquam ex ore Dei profecta essent, obedienter atque fidenter excipientis. Benignum pontificis alloquium eam commonefecerat benignissimae Dei providentiae, suis etiam angustiis prospecturi. « Deus enim tunc certam illi indidit fiduciam, quod oratio eius esset ab eo exaudita, quodque filium conciperet » (*Lap.*). — *Hebr. et facies eius non iam fuit ei amplius. LXX non concidit. Syr. non est turbata. Chald. vultus malus non iam fuit ei.* Recte *Wellh.* affirmat, expressionem hebr. nimis succinctam distinctius reddidisse versiones, quin supponere opus sit, eas diversa lectione hebr. usas esse. v. 19 « *Et surrexerunt mane, et adoraverunt coram Domino ; reversique sunt et venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana uxorem suam, et recordatus est eius Dominus* ». Anthropomorphice dicitur Deus recordari, quando effectum aliquamdiu dilatum producit (*Sanct.*), cf. Gen. 8, 1 ; 30, 22 ; Luc. 1, 54.

v. 20 « *Et factum est post circulum dierum* » i. e. post anni decursum, « *concepit Anna et peperit filium, vocavitque nomen eius Samuel, eo quod a Domino postulasset eum* ». « Est igitur orationis fructus Samuel sanctus, magna fide et largo fletu matris comparatus » (*Rup.*). « Neque enim sicut in ceteris hominibus somnus et congressus tantum parentum, verum preces, lacrymae fidesque fuerunt huius generationis principia, eoque ceteris illustriorem habuit ortum propheta, propter matris fidem natus » (*Chrys.*).

Cum ימים etiam annum significet, cf. dicta ad v. 3, *circulus dierum* est expressio synonyma alteri *circulus anni* Ex. 34, 22 ; 2 Par. 24, 23. Sensus non est « intra annum vertentem... diceret Homerus περιπλομένου ἐνιαυτοῦ » (*Cler.*) ; neque « post novi

anni initium » (*Wellh.*) ; neque « elapso naturali tempore a conceptione ad graviditatem et partum » (*Vatc.*) ; sed « post anni reditum » (*Rhab.*) seu decursum. Quid autem intercedo anno factum est ? non sane conceptio, sed quod v. 21 narratur. Modus est narrationis Hebraeis usitatus : Factum est autem post anni decursum — conceperat autem Anna et pepererat filium, et vocaverat nomen eius Samuel —, ascendit Elcanas. — Samuel a שׁאל *postulare* difficile derivatur. « Non tam etymon nominis, quam rationem, cur tale nomen puer habuerit, reddidit Anna » (*Sanct.*). Facillima derivatio et, quae Annae explicationi congruat, est שְׁמוּעֵ אֵל, « exauditus Dei » (*Ewald.*, similiter iam *Abul.*).

v. 21 « *Ascendit autem vir eius Elcana et omnis domus eius, ut immolaret Domino hostiam solemnem, et votum suum* ». *LXX* pie magis quam feliciter addunt : et decimas omnis terrae suae. Non ita raro quaedam textui adiiciunt. — Elcanam et ipsum votum vovisse, praeter uxoris votum, ut optatam ex Anna prolem susciperet, quis miretur? Sed praeter hoc votum immolanda erat *hostia solemnis* seu *hostia dierum* (*Hebr.*), i. e. hostia anniversaria seu annua (*Sa, Mar., Lap.*). Cf. dicta ad v. 3 et 20. — v. 22 « *Et Anna non ascendit ; dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactetur infans et ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, et maneat ibi iugiter* ». « Fugiebat Anna vel umbram retractationis. Semel Deo oblatum puerum volebat irrevocabiliter abdicare, nullo sibi iure reservato » (*Duguet*). Verba *non vadam* apposite *Vulg.* supplevit. Ex facto videtur sequi, potuisse mulieres oblationem purificationis offerre, aut per se aut per alium. Expressio *apparere ante conspectum Domini* adhiberi consuevit de accessu ad sanctuarium, ad quem quis lege obligabatur, cf. Ex. 34, 23 sq. ; Deut. 31, 11 ; etiam Ex. 23, 17 et Is. 1, 12. — v. 23 « *Et ait ei Elcana vir suus : Fac, quod bonum tibi videtur, et mane, donec ablactes eum ; precorque, ut impleat Dominus verbum suum* ».

אך significat *revera, verumtamen, tantummodo, dummodo* ; aliae versiones reddiderunt *verumtamen*. Sed quodnam est illud Dei verbum, cuius confirmatio seu impletio exoptatur ? an pueri nativitas ? sed ea iam obtinuit. Dicamus cum *Cler.*, concessa pueri nativitate Deum paratam voluntatem manifestasse, ut is vivus servaretur, in tabernaculo ministraret, nazaraeis legibus viveret. Concessa pueri nativitate manifestavit Deus, se totum Annae votum ratum habere, et pontificis verba v. 17 sua facere : « Deus Israel det tibi petitionem tuam ». Hoc est Dei verbum, quod Elcana impleri exoptat. — Potest etiam verti : *Revera, iam confirmat Dominus verbum suum* ; iubilans patris exclamatio attestantis, se iam inchoatam divinae promissionis impletionem cernere oculis. — *LXX Syr.* loco *verbum suum* habent *verbum tuum* : interpretare verbum Dei ab Anna marito relatum et ita etiam Annae verbum effectum.

« *Mansit ergo mulier et lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte* ». Agitur de vera ablactatione (*Sanct.*), non de impropria quadam (*Lyr.*), ad annum septimum vel duodecimum protracta. Machabaeorum

mater 2 Mach. 7, 27 triennio filium lactaverat : videntur igitur Hebraeae matres longiori tempore infantes lactasse. v. 24 « *Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus et tribus modiis farinae et amphora vini, et adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus* ». *Vulg.* habet tres modios, *Hebr.* unum epha ; sed ex Ruth 2, 17 tres modii sunt unum epha, et S. Hier. quandoque epha vertit tribus modiis, cf. *Luc. Brugens.*— Pro *in vitulis tribus* lege *in vitulo trienni*. *LXX Syr.* pro בפרים שלשה legebant בפר משלש, et concordat v. 25, mactationem unici bovis recolens. Adiicit *Ps. Hier.*, ex Num. 15, 8 sqq. ad sacrificium unius bovis adhibendas fuisse tres decimas partes unius epha tritici, ergo integrum, quod hic scribitur, epha potius trium boum sacrificio respondisse. Sed respondet *Sanct.*, grata ac liberali manu Annam eas res largitam esse et, quod sacrificio superesset, pontifici dono destinasse. Ex Gen. 15, 9 efficitur, victimas triennes aliquando a Deo diserte pro sacrificio fuisse requisitas. v. 25 « *Et immolaverunt vitulum, et obtulerunt puerum Heli* ». Non deerant sane prope tabernaculum mulieres, quibus cura pueruli demandari posset, cf. 2, 22.

v. 26 « *Et ait Anna : Obsecro, mi domine, vivit anima tua, domine* » — quibus interiectionibus pontificis attentio sollicitatur —, « *ego sum illa mulier, quae steti coram te, hic orans Dominum* ». Immerito hinc infert *Theo.*, Iudaeos consuevisse orare stantes. v. 27 « *Pro puero isto oravi, et dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum* ». Iam ludit bis in verbo שאל ; item bis sequenti versu. v. 28 « *Ideirco et ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino* ». *LXX*, et similiter *Syr.*, legentes חיה pro היה : *cunctis diebus, quibus vixerit, commodatum Domino.* — Anna evidenter ludit in diversis formis verbi שאל, a quo originem nominis Samuel repetit (v. 20). Dato etiam, ei verbo commodandi sensum competere, certe is h. l. ineptus est : Anna quippe voverat, non commodare, sed dare. Recte *Keil* : « facio eum expostulatum Deo cunctis diebus ». Cum Anna postulasset adiecto voto, seu postulasset filium Deo consecrandum, postulatio sola pueri nativitate nondum erat expleta, sed subsequente consecratione remanebat complenda. Vere igitur Annae erat postulationem absolvere consecratione filii, sicque ipse efficiebatur שָׁאוּל, *expostulatus* Dei, Samuel. In toto hoc verborum lusu illud mirandum, illud adamussim aptari nomini Saul, et multo minus aptari nomini Samuel. — « *Et adoraverunt ibi Dominum* », Elcana et omnis domus eius. Ita *Vulg. Syr.* et plures codices hebr., contra *Hebr. et adoravit*. Huic membro parallelus est v. 19 : ibi adorant primum, inde domum revertuntur ; hic adorant, 2, 11 revertuntur, sed Anna inter adorandum Deo plena in

canticum prorumpit. « *Et oravit Anna et ait* » : — « Canticum non fuderat Anna nato puero ; fundit, ubi eundem in perpetuum Deo consecrat » (*Duguet*).

CANTICUM ANNAE

Cap. II. Ad huius cantici expositionem revertens *Chrys.* : « Non possum », inquit, « mulierem hanc ex animo meo eximere, usque adeo formam animae eius ac pulchritudinem admiror ». *Theodoret.* : « Cum concepisset prophetam, prophetat post partum ». *Sanct.* : « Quemadmodum capsae, quae aromata aut unguenta continent, odorem retinent, etiam dum vacuae sunt, quem a re odorata aliquamdiu libarunt : sic etiam Anna, quae novem mensibus sacerdotem et prophetam in visceribus condidit, aliquid inde hausit, quod ad prophetale et sacerdotale negotium pertineret. Quare divinas canit laudes, quod sacerdotis est, et futura praedicit, quod prophetae ». Pulchre etiam de hoc cantico disserit *Rup.*

v. 1 « *Exsultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo ; dilatatum est os meum super inimicos meos, quia laetata sum in salutari tuo* » Fuerat pridem Anna afflicto corde, in fletu et abstinentia demiserat cornu, contrahebatur os, ut labia tantum moverentur neque vox audiretur : nunc omnia in contrarium mutata conspiciuntur. Describit suam iubilationem Anna, ab interna *cordis* exsultatione ad eiusdem externas manifestationes gressum faciens : « Cor est, quod loquitur » (*Sacy*). Arrigitur *frons*, recluditur *os* et loquitur confidenter, neque solum ad amicos, sed ad ipsos etiam adversarios ; loquitur, inquam, non tam verba exprobrationis de ipsorum, quam exsultationis de gestis Dei. Quaeris tantae iubilationis causam ? illa, oculis in Deum conversis, exclamat : Etenim gaudeo de salvatione *tua*. « Non enim quoniam servata sum, sed quoniam per te servata sum, propterea laetor et exsulto. Ita quippe affecti sunt sancti : de Deo magis laetantur auctore munerum, quam de ipsis muneribus ; non enim propter dona ipsum, sed dona propter illum diligunt » (*Chrys.*).

Ergo perperam *Keil* ita iungit membra : Exsultat cor meum, quia exaltatum est cornu meum ; patet os meum ad praedicandam salvationem tuam. — Cornu arrectum simile est a gregibus petitum : taurus siquidem ex roboris conscientia arrecta cornua gerit. Est igitur illud signum, quum interni roboris, tum eiusdem roboris conscientiae ; quae non raro in superbiam degenerat, unde is etiam quandoque sensus, non tamen h. l., subest. Nos diceremus *arrecta fronte incedere*. « Quomodo exaltatum cornu ? » quaerit *Chrys.* « In Deo meo. In tuto est haec celsitudo, ut quae firmam atque immobilem radicem habeat ».

Pulchre versum ita amplificat *Rup.* : « Humilientur et de terra loquantur quondam loquaces inimici mei, filii carnis et non fidei ; mihi namque nunc versa vice loquendi auctoritas data est, ut non iam in angulis mussitem, aut ore dimidiato loquar, sed ore dilatato sic eloquar super inimicos meos, qui mihi sterilitatem exprobrant, ut audiar in toto mundo ».

v. 2 « *Non est sanctus, ut est Dominus; neque enim est alius extra te. Et non est fortis sicut Deus noster* ». Celebrat iam Anna illa divina attributa, quibus suam salvationem vel maxime acceptam refert: *sanctitatem, fortitudinem*, quibus statim subnectit *omniscientiam*. Primum igitur Deum proclamat comparatione omnium sanctissimum; sed ideo comparatione, quia etiam absolute: nullus est alius praeter te, ubi non inepte *LXX* supplet *sanctus*. *Rup.*: « praeter illum nemo mundus a corde ». Nulla est sanctitas a Dei sanctitate independens, vel potius: omnis creata sanctitas sanctitati Dei comparata nulla est, cf. Iob 15, 14 sq. — צוּר significat *petram*, sensu adiectivo *fortis* vel *potens* ; ita *Vulg. Chald. Syr.*, dum *LXX* videtur legisse צַדִּיק *iustus*. « Deus petra » est idea vel maxime Davidica, Samuelica; est thema Psalmi, quem 2 Reg. 22 descriptum habes. Apte nostri cantici initio Deus ut Deus petra celebratur, cui superstruendum sit regnum, ad cuius fiduciam nos omnes libri paginae sollicitant. Ceterum eandem expressionem habes Deut. 32, 4. 15. 37.

v. 3 « *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes* ». *LXX* repetiit negationem : *Nolite gloriari, nolite loqui sublimia*. In *Hebr.* ea non repetitur ad musicam versus augendam; sic enim habentur primum duo verba similiter sonantia, dein eadem bis repetita vox : אַל־תַּרְבּוּ תְדַבְּרוּ גְּבֹהָה גְּבֹהָה Sed *LXX Chald. Syr.* non repetunt גְּבֹהָה. Hanc *Wellh.* derivat a גֵּבֶה *altus*, addito ה locali, et vertit : « Nolite multiplicare loqui : Sursum, sursum ! » « *Recedant vetera de ore vestro* » : — עתק sec. radicis significationem verti potest *vetera*, quae dein sunt ipsa sublimia et insolentia verba : Cessate loqui sublimia. Sed adiectivi עתק consueta significatio est *insolens*. Ita Ps. 30 (31), 19 : « Muta fiant labia dolosa, quae loquuntur adversus iustum iniquitatem (עתק) in superbia et in abusione ». Cf. Ps. 74 (75), 6 ; 103 (104), 4. Ergo : recedant insolentes sermones de ore vestro. Verum *LXX Chald. Syr.* hic aut legerunt aut supplendam putaverunt negationem, vertentes : non exeant insolentes sermones de ore vestro. Ceterum, quomodocunque tandem legas aut construas, sensus versus manet substantialiter idem. — « *Quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes* ». Deus scientiarum i. e. omniscius. *Keri Vulg.* וְלוֹ, *et ipsi*. עֲלִלוֹת vel *magnalia* significare potest, vel *nequitias*. Hinc duplex sensus : et ipsi definita

sunt magnalia, ipse praedefinivit, operaturum se esse magnalia ; vel : et ipsi definitae sunt nequitiae, omnino perspicuae, transparentes, unde non proficient iniqui, nequitiam magniloquio obvolvere conantes. *Kethib* et fortasse *Syr* וְלֹא : *et non subsistent nequitiae*. *LXX* וְאֵל הֵכִין עֲ *et Deus definiens magnalia* ; qui ceterum sensus coincidit cum *Keri*, *Vulg.*

Vidimus v. 2 non dari virtutem in creatis, si divinae virtuti comparetur. Quid ergo ? Num Deus virtutis creatae nullam omnino rationem habet ? Habet, sed toto coelo diversam ab ea, cui nos assuevimus : superba enim mundi humiliare, humilia exaltare consuevit. Hinc v. 4 « *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore* ». קשת גברים חתים : verbum sequitur numerum nominis potioris, vel קשת collective intelligitur (*Ew.*). v. 5 « *Repleti prius pro panibus se locaverunt, et famelici saturati sunt* ». *Hebr.*, imaginem laboris pro victu suscepti retinens : *et esurientes (prius) otiaverunt*. Qui prius in saturitate vitam agebant, nunc prae inedia operam locant ; dum, qui prius inedia conficiebantur, nunc ob annonae copiam a labore abstinent. Sequens עד gradationem exprimit, non est vertendum *donec*, sed *vel ipsa* (*Ew.*, *Sanct.*) ; et vere habetur gradatio, mirabilius enim est sterilem fecundari, quam fortes confringi aut opulentos ad inediam reduci. « *Donec sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios, infirmata est* ». Pro *plurimos Hebr. septem* : summa fecunditas septenario liberorum numero etiam exprimitur Ruth 4, 15 ; Ier. 15, 9. — *Infirmata est, Hebr. emarcuit*, quod de plantis dicitur, et h. l. exstinctionem virtutis prolificae significat (*Sanct.*). v. 6 « *Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et* reducit ». v. 7 « *Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat* ». v. 8 « *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriae teneat* ». Atque sic tuto ipse agere potest, quippe cuius solius placito vicissitudines omnes, vita et mors, divitiae et egestas, nobilitas et abiectio, plenissime subsint. Quam veritatem universalissime resumit sequens incisum, a *LXX* omissum : « *Domini enim sunt cardines terrae, et posuit super eos orbem* ». Fundamenta terrae, una cum superposito orbe, Dei sunt.

מצוק h. l. tantum et 14, 5 recurrit, utrobique incertae est significationis. *Vulg. cardines — prominens, Chald. inferi — respiciens, Syr. profunda — porrigitur. Munst. Vatabl. columnae.* Alii ad radicem יצק vel צוק *fundere* recurrunt, unde petunt significationes *porrigitur, respiciens ; Fürst* pro nostris duobus textibus fingit radicem aliquam צוק *eminere*, ergo *columna, prominens*. Melius recurritur ad צוק vel יצק *statuere*, quae significatio pro hiphil eruitur ex 2 Reg. 15, 24 ; Ios. 7, 23. Apud Assyrios habetur radix צקק *statuere* : cf. *I. N. Strassmaier*, Alphab. Verzeichniss der assyr. u. akkad. Wœrter, Leipzig 1882, II. 383. Hinc 1 Reg. 14, 5 vertimus *constitutus* ; h. l. id, quod ipsum constitutum est et supra quod aliud constituitur, ergo *fundamentum* (*Lap.*) seu, si mavis, *cardo*.

v. 9 « *Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir* ». *Hebr. non superabit robore homo*, quia non est fortis sicut Dominus. *Conticescent* euphemismus est pro *peribunt*. Cum ipse sit Dominus omnium, gressus piorum, licet pauperum etc, servare potest et servabit, *sui* enim sunt; impios, licet opulentos etc, perimere potest et perimet. Servabit autem illos circumfusa, perimet hos subtracta semitae eorum luce.

v. 10 « *Dominum formidabunt adversarii eius, et super ipsos in coelis tonabit. Dominus iudicabit fines terrae, et dabit imperium regi suo, et sublimabit cornu christi sui* ». *Super ipsos Vulg. Chald. Syr.* contra *Hebr. super ipsum*, quod explicandum esset (*Keil*) de adversariis, iam per modum singularis obiecti conceptis. Dominus tonitru, quod frequens symbolum est iudiciorum Dei, prosternet inimicos suos atque dominium universi orbis sibi vindicabit; dein vero non immediate, per se ipsum solum, imperium administrabit, sed illud transferet in regem quemdam a se constituendum ideoque *suum*. Ceterum textus hebr. plenus est vigoris; vox *Iehova* bis absolute ponitur, velut tessera bellica proelium inituris data : Iehova — terrore deficient adversarii eius; super ipsos de coelo tonabit. Iehova — ipse dominabitur finium terrae etc. v. 11 « *Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam* ».

Iam *de huius cantici origine et natura* dicamus.

1) *Bertholdt* (Einl. III 915) et *Then.* tenent, hoc canticum ab Anna nequaquam fuisse pronuntiatum; esse opinicion quoddam ab auctore libri Samuelis Annae attributum, quod v. 1 et 5 cum eius historia quadrarent. Then. canticum declarat esse opinicion Davidis post caesum Goliath. Quae sententia nugatoria est, tum quia scriptura explicite asserit, Annam hoc canticum pronuntiasse; tum quia nihil in illo reperitur, quod illa non aptissime pronuntiare potuerit, uti infra patebit; tum quia nulla ratio est, illud Davidi auctori adscribendi. Verum quidem est a v. 2 non dissimile esse Ps. 17 (18), 32.: « Quoniam quis Deus praeter Dominum, aut quis Deus praeter Deum nostrum? » Aliae nostri cantici ideae in psalmis Davidicis recurrunt. Sed perperam ex eiusmodi infert *Then.*, canticum Davidis esse auctoris. Id solum sequitur, multos in psalmis reperiri pios sensus, quos Samuele doctore hauserit David, quos ipse Samuel cum lacte veluti materno imbiberit.

2) *Ch. G. Hensler* (Erlaeuterungen des I. B. Samuels, Hamburg u. Kiel 1795, p. 16) censet, canticum diu ante Annae tempora esse compositum, occasione partae cuiusdam victoriae : potuitque illud Annae innotescere et ab ea usurpari, quod aliqui versus aptissime cum eius historia quadrabant. Quae sententia non contradicit literae scripturae, neque excludit S. Spiritus influxum, sive in eo carmine primum concinnando, sive in Anna ad illud tali occasione usurpandum movenda; neque est Anna indigna, nam certe non dedecebat Annam carmine

aliunde petito uti, cum non dedecuerit Mariam canticum Magnificat ad imitationem quamdam cantici Annae effingere.

3) *Volney* et *Cahen* (apud Migne : Scripturae S. cursus IX. 86 sq.) negaverunt, potuisse ruricolae, qualis Elcana fuit, uxorem tali carmini concinnando parem esse. Verumtamen erraverunt viri sagacissimi. Nam expressiones fere omnes, quibus canticum coalescit, aut identicae aut aequivalentes, etiam aliis scripturae locis antiquioribus recurrunt, atque Hebraeis piis, etiam ruricolis, debuerunt esse perquam familiares. Expressiones affines v. 1 usurpatis sexcenties in V. T. repiriuntur. Noto duos textus, quos Anna ignorare non potuit : unum ex vaticinio Iacobaeo Gen. 49, 18 « *Salutare tuum* exspectabo » ; alterum ex cantico Moysis Ex. 15, 2 « Fortitudo et laus mea Dominus, et factus est mihi *in salutem* ». Rursum in loco Deut. 32, 39, omnibus Hebraeis perquam familiari, legitur : « Videte, quod ego sim solus et *non sit alius Deus praeter me* » ; quod sane est idem cum Annae verbis *neque enim est alius extra te*. *Sanctitas* Dei, licet minus frequenter quam v. g. in Isaia, tamen in antiquioribus etiam libris iterato effertur : Lev. 11, 44. 45 et praesertim Ios. 24, 19. Dei *fortitudinem* tota populi electi antiquissima historia praedicat. Anna ait *Dominus mortificat et vivificat etc* ; Dominus per Moysen ait Deut. 32, 39 : « Ego *occidam* et ego *vivere faciam* ; percutiam et ego sanabo ». Plura, quae Deut. 28 et sqq. habentur, omnino suggerunt illas antitheses, ab Anna v. 48 usurpatas. Speciatim in historia patriarcharum quaedam notissima habentur exempla *sterilitatis* in fecunditatem commutatae. Omnia Dei magnalia, in favorem populi electi et perniciem eius inimicorum patrata, nomine *iudiciorum* Dei veniunt, cf. Ex. 6, 6 ; 7, 4 etc ; Gen. 18, 25 dicitur : « qui *iudicas* omnem terram », et Ex. 15, 18 : « Dominus *regnabit* in aeternum et ultra ». Una ex plagis Aegyptiacis fuerat grando cum *tonitru* (Ex. 9, 23), lex in Sinai crepitantibus tonitribus fuerat data (Ex. 19, 16), alias (Ios. 10, 11. 12 ; Iud. 5, 20) de coelo Deus dimicaverat pro populo suo.

Institutio *regni* praenuntiata Deut. 17, 14 sqq., eiusque tempus et modus approximative definita erant : « Cum ingressus fueris terram... habitaverisque in illa,... eum constitues (regem), quem Dominus Deus tuus elegerit ». Unde haud dubium est, quin magna tunc Hebraei eius institutionis exspectatione tenerentur, tantoque maiori, quanto longiori iam post occupatam terram sanctam tempore regni institutio differebatur. Hinc etiam Iud. 8, 22 sq. regnum Gedeoni obtulisse leguntur. Dices, vocem *christi* primum in nostro cantico inveniri ; verum, quia rex instituendus fuerat praenuntiatus, ergo eum etiam christum i. e. unctum esse oportebat. — Hucusque solum eos textus appellavimus, qui referantur ad eventus aetate Annae priores. Quodsi psalmorum librum aetatis immediate sequentis pervolvas, in sexcentas incides expressiones, expressionibus cantici aut identicas aut affines. Verum psalmorum auctores non sunt censendi nova aliqua et inaudita prius lingua esse locuti, sed ea esse usi lingua iisque expressionibus, quae omnibus perspicuae atque in omnium ore iam ante fuissent. Ergo in *expressionibus* nostri cantici nihil est, quod Annam excludat auctorem, quod non potius ipsi debuerit esse perquam familiare. Cave autem, rusticitatem Elcanae ruricolae exaggeres : fuit is levita, isque pius et in lege optime instructus,

ergo etiam elocutionis biblicae haud ignarus. — Quid vero ? Num forte *nexus atque sublimitas idearum* ea sunt, quae Annam non patiantur auctorem ? Mitto hic inspirationis quaestionem, suo loco discutiendam. Verum omnis haec difficultas evanescit, si sententiam, ei quam Henslerus profitetur, affinem sequaris : sc. Annam iam exstanti quodam cantico usam esse, illudque plus minusve transformasse. Neque enim dedecet in Anna admittere, quod in B. V. obtigisse nemo est qui neget.

4) Antequam de cantici inspiratione dicamus, *cantici idea* accuratius nobis est describenda. Igitur cum *Aug. Sanct.* aliisque statuimus, fuisse quidem Samuelis nativitatem occasionem, non vero adaequatum obiectum exsultationis Annae. « Itane vero verba haec unius putabuntur esse mulierculae, de nato sibi filio gratulantis ? » De Civ. Dei l. 17 c. 4. n. 2. Durum nimis est, quae de inimicis dicuntur, de arcu fortium, unice ad Phenennam referre, aut exspectare, Dominum in illam et filios de coelo tonitrua esse iacturum. Quid tandem egerat misella ista mulier ! Provocaverat sociam ad indignationem, immo ad lacrymas. Verum nec ita multis nec ita atrocibus verbis id effici potuit in muliere, licet pia, sed in Annae adiunctis constituta. Dicamus ergo cum *Calm.* : « Divinus Spiritus, qui canticum intus in corde dictabat, e privato illo beneficio, quod a Domino acceperat, mentem eius ad maiora et altiora erigebat ». Quaenam autem altiora illa sint, ex ultimis vel maxime versibus perspicimus. Describitur ibi pugna sanctos inter et impios, quae ipsius Domini interventu feliciter cessura, quamque divina regis cuiusdam institutio consecutura sit. Cum igitur regni institutio iam dudum ante fuerit praenuntiata et eo praecise tempore communiter exoptaretur (v. s.), dubium non est, quin hanc eandem Anna suo cantico expresserit. Unde inimici, iam v. 1 nominati, nullatenus sunt Phenenna eiusque filii, sed inimici populi electi. iidem inimici cuiusvis eius populi individui. Pugna intelligitur ea, quae inde ab exodo aegyptiaca et per totam iudicum epocham ferbuerat. In hac pugna se Dominus adiutorem seu salutare populi sui et multoties iam praestiterat et etiam pro futuro tempore pollicitus erat — *salutare*, vi supremi in res universas dominii, in potentes atque infirmos, divites et indigos, steriles et fecundos, vitam et mortem. Hoc supremum dominium actu exercuerat in exauditione Annae ; et ita haec exauditio simul argumentum est eius divini dominii, et consequenter pignus futurae de inimicis victoriae et regni temporalis institutionis. Verum, cum tota populi sancti historia uni redemptionis operi, inimicorum spiritualium subversioni et regni messianici institutioni subserviat, consequenter eadem exauditio pignus erat futurae omnium promissionum adimpletionis. Ergo nomine regis christi proxime David, sed inde etiam ipse messias intelligitur, totum sceptrum ex Iuda per modum unius ; inimici intelliguntur primum nationes genti Hebraeorum infensae, inde omnes hostes Christi et Ecclesiae, atque prae ceteris ipsa synagoga. Haec autem omnia sensu intelliguntur literali, non spirituali, quod alterum sensisse videntur *Sacy, Duguet. Sensu hucusque explicato canticum est expressio fiduciae promissionum adimpletionis.*

5) Est etiam canticum *propheticum* hoc sensu, quod futura praenuntiet. Utrum vero horum notitiam Anna ex solis revelationibus anterioribus repetierit, an

praeterea specialem aliquam etiam ipsa habuerit propheticam illustrationem, ambigi potest. Neque certo definiri potest, noveritne ipsa sui, quem genuerat, filii ministerio regnum fore instituendum, atque ita mediate promissionum adimpletioni viam sternendam. Rationes quibus suadeatur canticum esse *stricte propheticum ideoque inspiratum*, hae recenseri possunt : ipsum factum, quod *mulier* pia et sensata in eiusmodi canticum *publice* prorumpat ; quod in illud prorumpat, quo *tempore* puer Deo consecratur, cum naturalis exsultatio potius in nativitate pueri prorupisset ; quod a *privatis* acceptis beneficiis illico ad altiorem idearum ordinem, ad beneficia genti sanctae collata, celebranda progrediatur, quod a muliere publice certe nonnisi divino instinctu fieri par erat ; quod alia similibus occasionibus edita cantica pro inspiratis habenda sint ; quod regni institutionis hoc cantico facta essse mentio videatur specialiori Dei instinctu, cum ipse Annae filius eius institutionis minister a Deo esset praesignatus. Certe *Chald.* canticum propheticum habuit, uti ex eius paraphrasi colligitur.

2) Filiorum Heli peccatum 2, 11-17.

Narratio initium sumit ab animadversione, quae respicit Samuelis personam. Inde ad sacrilegia filiorum Heli, quae ruinae causa praecipua fuere, enarranda progreditur. « *Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis* » ; Heli intuente, invigilante, dirigente. Ministrabat autem puer pro ratione aetatis : quae enim hic narrantur, per longius tempus continuata sunt, ut etiam ex v. 21 patet. Continuo Samuel ministerio fungebatur, continuo filii Heli praevaricabant, quotannis Elcana et Anna filium visitabant. v. 12 « *Porro filii Heli filii Belial, nescientes Dominum* », cognitione practica (*Sanct.*) ; unde refutatur *Amama* exclamans : « Mihi non possum persuadere, eos quid officii sui esset ignorasse ». — v. 13 « *neque officium sacerdotum ad populum* ». *Vulg.* cum praecedentibus iungit, *Chald.* cum sequentibus hoc modo : *Statutum autem sacerdotum respectu populi hoc erat.* Secundum hunc contextum v. 13 et 14 describeret eam, quae tum vigeret, legitimam praxin, v. 15 tandem filiorum Heli praevaricationem narraret. Sed verba *Sic faciebant universo Israeli* videntur potius arbitrarium aliquem, quam legitimum agendi modum describere ; et praxis ipsa non erat legitima, etenim non pars quaelibet fortuito arrepta cedebat sacerdoti, sed pectusculum et armus, Lev. 7, 30 sqq. Ergo standum constructioni *Vulg.*

Textus *hebr.* in utramque partem trahi potest, cum sit quaestio de sola interpunctione. *LXX* pro Chaldaei lectione quandoque citatur. Sed recte *Houb.* : « quae apud Graecos interpretes interpunctio est in libris impressis, haec nova est, tollitque orationis graecae continuationem ». *Vatabl.* aliique conantur, utramque lectionem ad eundem fere sensum revocare : Hic autem erat modus agendi (sacrilegus) sacerdo-

tum ad populum. Sed non placet, filios Heli voce *sacerdotum*, loco pronominis suffixi, designari.

« *Sed quicunque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua* », v. 14 « *et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum ; et omne, quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi* ». Triplex filiorum Heli scelus recenset *Rup.* : quod alias, praeter pectusculum et armum, tulerint partes ; quod ante incensum adipem easdem tulerint ; quod cum mulieribus sint commixti. Addit *Duguet*, quod crudam carnem pro cocta petierint : sed, num id erat contra legem ? De pectusculo et armo sacerdotibus reservandis cf. Lev. 7, 30 sqq. ; Num. 6, 20 ; 18, 18. Quaeri potest, ea caro fueritne usurpata *praeter* pectusculum et armum, quae sacerdoti cedebant, an *loco* eorum. Videtur praeter ea esse usurpata. Nam traditio pectusculi et armi erat pars actionis sacrificalis, nec videtur intra hanc facile potuisse omitti. Dein, si loco pectusculi et armi sacerdoti, quod fuscinula levasset, cederet, peior evadebat sacerdotis conditio, cui multo saepius partes sequiores obtingere oporteret ; non autem videntur filii Heli privilegio pectusculi et armi in popularium favorem sponte se abdicaturi fuisse, cum aliunde describantur fuisse gulosi v. 15, violenti v. 16, imo lascivi v. 22.

« *Sic faciebant universo Israeli venientium in Silo* ». Vide praevaricationis et scandali extensionem, durationem. v. 15 « *Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis et dicebat immolanti : Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti ; non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam* ». *Etiam* gradatione magis nefarium exprimit scelus. Ergo populus, vel antequam adeps adoleretur, carne coquenda occupabatur, sive quod sacer actus nonnihil differretur, sive quod populus, sacerdotum negligentiam imitatus, ne exspectata quidem sacrificii completione, ad parandum epulum properaret. v. 16 « *Dicebatque illi immolans : Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, et tolle tibi, quantumcumque desiderat anima tua* ». Infin. absol., qui in textu hebr. legitur, protestationem urgentiorem reddit et ostendit, quam indigna etiam de plebe hominibus sacerdotum agendi ratio videretur. « *Qui respondens aiebat ei : Nequaquam, nunc enim dabis, alioquin tollam vi* ». Sacrilegum erat, sacerdotem sibi partem vindicare, antequam suam Deo tribuisset ; quare dicuntur v. 29 filii Heli, se saginasse *de primitiis omnis sacrificii Israel*. v. 17 « *Erat autem peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a sacrificio Domini* ».

Pueros intellige, non pontificis filios (*Vatabl.*), sed servos, antehac semper eo no-

mine nuncupatos, quo pontificis filii neque appellantur unquam, neque facile appellari poterant : quippe filios natu maximos tam grandaevi parentis oportebat esse omnino maturae aetatis, quae apellationem נער vix ferret. Sed peccatum servorum simul erat peccatum dominorum, scientium neque prohibentium, imo probabilissime iubentium. *Vulg.* nunc legit *retrahebant homines a sacrificio* : sed error est typographorum incuria in bibliis Clementinis admissus (*Verc.*), pro *detrahebant homines sacrificio*. Concordat *Hebr.* נאץ, quod nunquam retrahendi, sed utique detrahendi significationem habet. *Chald. Spreverant viri oblationem Domini*. Quinam autem erant isti viri seu homines ? Pueri ipsi peccantes, inquiunt *Then.* et *Keil*, unde *Keil* verbum causative accipit : « contemnere faciebant ». Planius : homines ad immolandum adventantes. Peccatum igitur filiorum Heli sacerdotum carpitur maxime ex eo, quod peccatum scandali fuerit. *LXX*, vocem *homines* omittens, vertit *quoniam irritum faciebant (pueri) sacrificium Domini*, utique aestimatione plebis. Sensus idem. Sed eam vocem, praeter citatas vers., etiam retinet *Syr.*

3) Annae pietas et fecunditas 2, 18-21.

Paragraphus etiam haec primum de Samuele agit.

v. 18 « *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo* ». v. 19 « *Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem* ». v. 18 resumit, quod dicebatur v. 11 de ministerio pueri. Ascendebat mater *statutis diebus*, i. e. quotannis, ad offerendam *hostiam solemnem*, i. e. annuam ; cf. dicta ad 1, 3. 21.

Ephod vestis est scapularis. Utrum hanc quoque fecerit ei mater, non docemur. Usitata est expressio « accingi ephod », eo quod illud vestimentum balteo circa lumbos astringeretur. Ephod supra *tunicam* (מְעִיל) gerebatur. Ex. 28 describuntur ephod et tunica, quibus pontifex induebatur. Eiusdem nominis amictus inter sacerdotum vestimenta Ex. 28, 40 ; Lev. 8, 13 non recensentur. Videntur tamen sicut primis saeculis christianis stola, manipulus et alia, non fuisse vestimenta exclusive sacra. Samuel tunica induebatur, non solum quamdiu puerulus ministrabat in tabernaculo, sed per totam vitam 1 Reg. 28, 14 ; Ionathan tunicam detractam Davidi dono dedit 1 Reg. 18, 4 ; David rex coram arca saltavit, indutus ephod et tunica 2 Reg. 6, 14 ; 1 Chron. 15, 27 ; atque Saulis tempore videntur sacerdotes universim gestasse ephod 1 Reg. 22, 18. Quod tamen ephod, ubi a non pontificibus gestatur, semper « ephod lineum » appellatur. Porro *Clar.*, satis improbabiliter, asserit, matrem ad singulas solemnitates unam eandemque tunicam attulisse, illis peractis Ramatham retulisse.

v. 20 « *Et benedixit Heli Elcanae et uxori eius, dixitque ei : Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro foenore, quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum* ». v. 21 « *Visitavit ergo Domi-*

nus Annam, et concepit et peperit tres filios et duas filias ». v. 20 narrat factum, quod semel tantum accidit ; fortasse, quando Samuel primum apud pontificem est relictus, par enim erat, tum specialem parentibus benedictionem conferri. Neque obest, quod narratio eorum, quae ea occasione acta sint, videatur concludi v. 11. narrata Elcanae profectione. Verba enim nostra possunt sensu plusquamperfecto intelligi : Benedixerat autem Heli Elcanae . . . Visitavit ergo.

Rursum pontifex ludit in voce שׁאל, cf. 1, 28, cuius propriam significationem expostulandi, non commodandi esse diximus. *Hebr. pro postulato, quem postulavit Domino,* quam constructionem ipse *Keil*, textus hebr. caece tenax, inusitatam pronuntiat. *Vulg. LXX Syr.* verterunt 2. personam, et Kal sensu hiphilico intellexerunt *expostulatum fecisti.* Cum *Wellh.* pro שְׁאַל puncta שְׁאָל *pro expostulato, qui est expostulatus Domino*, cf. 1, 28. Sensus hic coincidit cum sensu a versionibus expresso. — Verba ad Elcanam directa rursum (cf. 1, 21) ostendunt, Elcanam voto uxoris consensisse. — V. 21 incipit voce כי, ut subintelligas : Neque caruit effectu benedictio Heli ; visitavit enim etc.

4) Heli in filios praevaricatores lenitas 2, 21-25.

« *Et magnificatus est puer Samuel apud Dominum* ». Malim haec verba ad sequentia trahere, tamquam exordium. Singulos, ut ita dicam, huius narrationis paragraphos s. auctor summaria aliqua de Samuele animadversione exorditur. Ita 2, 11, ubi dein filiorum Heli peccatum v. 12-17 fusius narratur ; 2, 18, ubi pietas Annae et Heli benedictio v. 19-21 refertur ; h. l., ubi sequuntur Heli v. 22-25 cum filiis quaerelae ; 2, 26, ubi v. 27-36 viri Dei vaticinium describitur ; 3, 1, ubi v. 2-18 apparitio Samueli facta recensetur ; 3, 19. sq., ubi cap. 4 clades Philisthaea enarratur. — *Vulg. LXX magnificatus est* ; melius cum *Chald. Syr.* verte *crevit* ; cf. Gen. 21, 8 ; 25, 27 ; 38, 14 ; 3 Reg. 12, 8.

v. 22 « *Heli autem erat senex valde, et audivit omnia, quae faciebant filii sui universo Israeli, et quomodo dormiebant cum mulieribus, quae observabant ad ostium tabernaculi* ». « Virgines erant aut viduae tabernaculo deservientes » (*Menoch.*), quae voto se Deo consecraverant, cf. *L. Reinke*, Beitraege I. 479, Münster 1851.

LXX illud de mulieribus omittunt, sed *Ios.*, qui in sua narratione vestigia LXX premere consuevit, meminit harum mulierum « propter religionem ad tabernaculum accedentium ». Quodnam religionis genus exercuerint, ambigitur. *LXX* Ex. 38, 8 (Hebr. v. 26) *quae ieiunabant. Chald. Syr. quae veniebant ad orandum.* Non placet cum *Ps. Hier.* intelligere solas mulieres purificationis gratia ad tabernaculum adventantes. *Hebr.* הצבאות, cuius vocis explicationem habes Num. 4, 3. 23. 30, ubi de tribus Levitarum divisionibus, et expressius

de filiis Gerson, dicitur eos consuevisse « ingredi ad militandum militiam, ad ministrandum ministerium in tabernaculo foederis ». Ergo צבא his textibus significat confluxum ex officio et quasi militarem ad locum sanctum ; ergo non ex sola privata devotione. Erat autem illud officium non servile, sed honoris plenum, quodque feminae ingenuae ambirent, ut colligitur ex Ex. 38, 8, ubi ex eiusmodi mulierum speculis conflatus narratur lebes aeneus. Appellat *Reinke* textum Lev. 27, 1 sqq., ubi agitur de personis, quae voto se Deo consecraverint vel a parentibus consecratae fuerint. E quorum numero fuit ipse Samuel, e cuius exemplo concludere possumus, etiam illas mulieres *ministrasse*, muliebri utique ministerio, puta « texendis sacris vestibus, abluendis, sarciendis aliisque huiusmodi ministeriis, quae muliebrem artem et industriam requirunt » (*Menoch.*). Apte provocatur ad exemplum Annae prophetissae Luc. 2, 37, quae non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte » ; item ad B. V. exemplum. Quibus *Malv. Lap. Sanct.* assignant cellulas aut domunculas prope tabernaculum. — Quod *Vulg. tabernaculum foederis, Hebr.* vocat *tabernaculum conventus*, cf. Ex. 27, 21 ; 28, 43 ; Lev. 1, 1 ; 4, 4 ; Num. 3, 8 ; 3 Reg. 8, 4 ; nomen, uti videtur, inde desumptum, quod ad tabernaculum universi convenirent.

v. 23 « *Et dixit eis : Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo?* » Qua severitate debuerit Heli reprehendere filios, pulchre tradit *Rup.*, appellans Deut. 21, 18 : « Si genuerit homo filium contumacem etc. » v. 24. « *Nolite filii mei! Non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini* ».

מעברים, *Vulg. ut transgredi faciatis, Syr. quod vos avertatis*, a radice עבר *transire*. Obiiciunt, עבר in sensu figurato nunquam poni sine obiecto. Respondeo, cum radix sensu proprio adhibeatur sine obiecto, de flumine excedente ripas (Is. 8, 8 ; Nahum 1, 8 ; Dan. 11, 10. 40 ; Ps. 123, 4), non est cur eadem vox nequeat sensu figurato scribi sine obiecto, de homine transgrediente legem. Obiiciunt, deesse pronomen אתם, quare *Maurer* et *Keil* vertunt impersonaliter ; sed pronomen expressere *Vulg. Syr.*, ergo illud aut in textu primitus legebatur, aut saltem iuste suppleri potest. — *LXX* τοῦ μὴ δουλεύειν λαὸν θεῷ : videntur מ initiale sumpsisse pro בן privativo, et pro עבר legisse עבד. — *Chald. quod populus Domini divulgat*, a radice hebr. עבר ; consentiunt *Ew. Wellh.* Sed lectio incerta est, biblia enim rabbinica Venet. 1568 loco דרגנין legunt דרעין, ergo *qui luditis populum Domini*, vel *qui principes estis populi Domini*.

v. 25 « *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos* ». *Hebr. : Si contra virum peccaverit vir, utique placationem ipsi praestabit Deus ; sin autem contra Iehovam peccaverit vir, quis placatorem se praestabit ipsi?* Sacrilegium in ipso cultu divino contra Iehovam directum longe difficilius veniam obtinet, quam peccata in proximum commissa.

Difficilis locus. *Chald. : Si contra virum peccaverit vir, nonne ibunt coram iudice et audiet loquelas eorum, et exquiret inter eos ! sin autem contra Dominum peccaverit vir, a quo orabit et remittetur ei ?* Hinc *Rabbini, Cai., Lutherus, Biblia Tigur.* 1539, *Munst., Vatabl., Clar., Drus.* ipsa voce אלהים designari tribunal humanum seu iudicem autumarunt. *Cler.* : « Hic אלהים cum plerisque recentioribus magistratum interpretati sumus ». Eidem explicationi assentitur *Duguet*, quam affirmat tradi « par d'habiles interprètes ». Novissimus accessit *Wellh.* Sed cum pace tantorum virorum sit dictum, verbo פלל iudicandi significationem pro nostro unice loco studiose affingi ; voce autem אלהים tribunal humanum h. l. intelligi, ne paraphrastae quidem chaldaei auctoritate fieri posse credibile. *Keil*, licet voce אלהים non asserat iudices exprimi, tamen in eundem sensum recidit : si vir peccet contra virum, Deum utique iudicare, i. e. per tribunal humanum arbitrum agere ; in praevaricatione vero contra ipsum Deum admissa, nullum superesse arbitrum. — *Syr. : Si contra virum peccaverit vir, Dominum deprecabitur ; quodsi quis in Dominum peccaverit, quemnam deprecabitur ?* Similiter *LXX : Si contra virum peccaverit vir, orabunt pro ipso ad Dominum ; sin autem peccaverit quis Domino, quis orabit pro eo ?* Quod explicat *Then.*, pro illo posse orari Deum, non pro hoc. At ita, inquit *Wellh.*, sententia evadit falsa, cum pro maximis aeque ac pro minoribus peccatoribus orare fas sit. Nisi forte velis textum ad instar 1. Io. 4, 16 intelligere. — Versio a nobis proposita propius adhaeret Vulgatae. פלל primitus significat *prosterni*, hinc eas actiones, quae prostrationem adiunctam habent, *orare*, *placare*. Placandi significatio certa est ex Ps. 105 (106), 31 : « Stetit Phinees, et placavit, et cessavit plaga ». Audi *Ps. Hier.*, cui accedunt *Rup.* et alii : « Cum in virum quis peccat, placato sibi viro facit sibi Deum placabilem. In Deum autem cum quis peccat, quis orabit pro eo ? Acsi dicatur : Per quem Deum sibi, in quem peccavit, propitium facere poterit ? » *Sanct.* : « Profanarant sacerdotis filii, qui et ipsi quoque sacerdotes erant, tabernaculum Domini, dum feminarum illudunt pudicitiae et speciem inducunt meretricii prostibuli ; quare, quantum in se fuit, tabernaculum Dei i. e. orationis domum sustulerunt. Deinde dum sacrificiorum conculcant leges et homines a sacrificando deterrent, ipsa quoque sacrificia sustulisse videbantur : haec vero sunt, quae Dominum peccatoribus placant . . . Erit igitur sensus : Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, quia sunt in tabernaculo sacrificia, quae peccatorem Domino conciliant. At si vir contra Deum peccet, eo nimirum modo, quo vos in Dominum peccatis, tollendo sacrificia et preces, quis orabit pro eo ? i. e. quod erit aliud sacrificium aut oratio solemnis et publica, quae ex vetere instituto a Domino veniam et misericordiam

extorqueat? » His omnino assentimur. Ad eundem fere sensum revocabuntur reliquae versiones, si in illis orandi vox de efficaci oratione explicetur.

Heli loquitur de sola filiorum praevaricatione in sacris admissa, atque pronuntiat, longe difficilius a Deo placationem obtineri sceleris directe contra Iehovam, quam sceleris directe tantum contra hominem commissi. Non tamen affirmat impossibile esse, sed tantum perdifficile: cf. Math. 12, 31. Quid igitur? nonne peccatum quodvis contra proximum simul est offensa Dei ideoque contra Deum dirigitur? Omnino. Sed non loquitur Heli de peccato contra *Deum* admisso, sed contra *Iehovam*, Deum foederis, ergo de peccatis contra legem foederis, maxime legem caeremonialem. Verum quidem est, peccata contra proximum vix non omnia lege etiam Mosaica fuisse proscripta, et sic quadamtenus evasisse peccata contra Iehovam. Et tamen in illis committendis homo directe non tam Iehovam, quam proximum laedere intendebat, dum in cultus et maxime sacrificii praevaricatione ipsum Iehovam directe impetebat. Hinc recte utique dicitur: Quem placatorem invocabit, qui tanti sacrilegii fuerit reus! Eiusmodi scelus ex natura sua maxime erat a placatione remotum. Adde, tamquam medium primarium placationis obtinendae lege provisum fuisse ipsum sacrificium, quod illa praevaricatione fuisset profanatum. Multo verius igitur sacerdoti sacrilegii reo exclamandum erat: Quem placatorem quove placationis ritu infelix ego invocem!

5) Viri Dei in Heli obiurgatio 2, 26-36.

Heli a severiori correptione temperante, in medium prodit propheta quidam, qui collata pridem domui Ithamar beneficia recenset v. 27 sq., filiorum sacrilegia patrisque lenitatem carpit v. 29, domus Ithamar ruinam domusque Eleazar primatum praenuntiat v. 30-36.

v. 26 « *Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tam Domino quam hominibus* ». Versio *proficiebat* etiam ideo probanda, quod Luc. 2, 52 nostrum locum videatur prae oculis habuisse. v. 27 « *Venit autem vir Dei ad Heli et ait ad eum: Haec dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Aegypto in domo Pharaonis?* » Pater intelligitur non Aaron, sed Ithamar. Non est ille primus post Moysen de serie prophetarum, ut voluit *Then.*, cf. Iud. 6, 7. Nomen *vir Dei* iam habetur Iud. 13, 6, unde videntur iam tum aliqui inter Israelitas exstitisse prophetae. Habet autem in *Hebr.* articulum, ergo determinatus aliquis propheta omnibus notus; non qualem fingit *Sacy*, « homo nullius notae, maiestatis et dignitatis expers ». Confirmatur

hinc, quod 3, 1 dicitur, fuisse sermonem Domini pretiosum in illis diebus : quodsi enim plures tum exstitissent prophetae, non potuisset unus aliquis vocabulo ὁ ἄνθρωπος θεοῦ (*LXX*) designari. — Iam hic noster propheta, ut *condemnationi* v. 30 sqq. pronuntiandae viam sternat, primum v. 27 sq. *gratiam accepti sacerdotii* extollit, dein v. 29 *praevaricationem* admissam denuntiat.

Patrem intellexere Aaronem *Theodoret.*, *Ps. Euch.*, cum is fuerit in Aegypto electus Ex. 4,14 et respectu eius fuerint statuta, quae v. 28 efferuntur. Sed obest, quod pater Heli, de quo v. 27, necessario idem sit, de quo v. 31 : « Praecidam », inquit, « brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua ». Verum ea condemnatio nequaquam in domum Aaron universim lata est. Ergo pater ille est pater, qui genuit Heli, seu potius Ithamar, de cuius progenie erat Heli (1 Par. 24, 3 ; 18, 16 ; 1 Reg. 22, 20 ; 14, 3). Ipsi, sicut et universae Aaronis posteritati, in persona protoparentis sui, facta est in Aegypto revelatio v. 27 expressa, attributa sunt in deserto officia v. 28 descripta, per eius posteritatem quondam exercenda ; ipsius solam domum condemnatio v. 30 sqq. lata ferit.

v. 28 « *Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum, et portaret ephod coram me ; et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel* ». Sacrificia seu *combustiones* ex Deut. 18, 1 sunt eae victimarum et oblationum partes, quae sacerdotibus alendis cedebant : « Combustiones « Domini et oblationes eius comedent ». Ipsa constructione duo hoc versu efferuntur, *electio* tamquam beneficium potius, et *sustentationis attributio* tamquam beneficium accessorium. In electione tria praecipua munia efferuntur, vel a sacerdotibus universim vel a solo pontifice exercenda, officium sacrificandi, officium adolendi, et officium mediatoris portantis nomina filiorum Israel ante faciem Domini, cf. Ex. 28, 12.

v. 29 « *Quare calce abiecistis victimam meam, et munera mea, quae praecepi, ut offerrentur in templo* ? » Pulchre sacerdotum contra iniunctum officium praevaricatio comparatur iumento calcitranti contra sessorem dominum. Cf. Ps. 31 (32), 9 et, quod vocis significationem attinet, Deut. 32, 15. Difficultatem parit ultima vox מעון, alias *locus*, *habitatio*, quam *Vulg.* vertit *in templo*, *Chald.* correctius *in domo sanctuarii* i. e. in tabernaculo. Obiiciunt, vocem sine addito secus non significare templum vel tabernaculum, et praepositionis omissionem nimis esse duram.

Vocem h. l. esse genuinam exinde infero, quod eadem illico v. 32 recurrat. Potest vox, etiam omissa praepositione, sumi localiter, sicut alias sumitur vox בית *domi* (*Ges.*). Paucis admodum textibus vox cum addito de sanctuario adhibetur : quare haud officit, quod h. l. addito careat. Iam v. 32 vox utique sanctuarium significat :

ergo etiam hic. Profecto, acerbissima secus poenae Heli inflictae pars et ea, qua nuntiata Heli 4, 18 corruit, in hoc vaticinio ignoraretur, sanctuarii desolatio capta arca.

« *Et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel, populi mei* ? » Honoraverat Heli filios plusquam Deum, quando non efficaciter eos ab arrogandis sibi primitiis Deo debitis prohibuerat. Acerba haec est pontificis increpatio, qui quam singulariter fuerit a Deo honoratus, v. 28 describebat.— *Hebr. ut saginaretis vos de primitiis.* Culpabili indulgentia peccatum filiorum factum est Heli proprium. Retinetur imago iumenti se saginantis et recalcitrantis. Genitivus *populi mei*, לעמי, pendet a voce *sacrificii*. *LXX* legebant לפני, *ante faciem meam.*— Exaggeratur culpa, quod fuerit iniusta saginatio, de primitiis seu cibis lectissimis, pertinentibus ad sacrificium ideoque speciali omnino titulo ad Deum, provenientibus ab Israel, populo Dei specialissime proprio, et abstractis ab omni prorsus eius populi sacrificio. Iuste igitur Deus, qua *Deus Israel* est, sententiam pronuntiat.

v. 30 « *Propterea ait Dominus Deus Israel : Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum* ». Haec promissio non reperitur Num. 25, 13, qui locus solam domum Phinees respicit, sed Ex. 29, 9 : « Eruntque sacerdotes mihi religione perpetua ». Cf. Ex. 28, 43 ; 30, 21 ; Lev. 6, 18 etc. Fuit quidem ea promissio facta universae domui Aaron, tamen h. l. eatenus tantum citatur, quatenus pertinet ad domum Ithamar. « *Nunc autem dicit Dominus : Absit hoc a me* ! » Quid absit ? Pro domo quoque Ithamar verba ad literam vera permanent, cum eius progenies sacerdotio iugiter fungatur v. 33. Sed promissio illa, quando de ore Dei primum processit, grandius quid praetendebat, sc. domum Ithamar iugiter perseveraturam esse tamquam domum a Deo benedictam ideoque numerosam, vigorosam. Quae veluti implicita promissio nunc retractatur, et in locum absolutae benedictionis succedit iustitiae axioma : « *Sed, quicunque glorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles* ». Quod quidem ab illa etiam absoluta benedictione non excludebatur, nunc autem distincte enuntiatur, ut illico applicatio fiat ad domum Heli. Domus Heli Dominum contempsit, ergo ad ignobilitatem deprimetur. Non exprimunt autem haec verba pontificatum esse adimendum, sed sacerdotium esse obscurandum ; quamvis hinc connaturaliter sequatur et de facto etiam secuta sit pontificatus translatio. v. 31 « *Ecce dies veniunt, et praecidam brachium tuum et brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua* ». Haec Heli seni dicuntur. Non autem ipsi senes sunt brachium, cum robur domus non in senibus resideat ; sed brachium sunt homines virilis aetatis, cf. v. 33, quibus constanter sublatis utique nec erit senex in domo. Eadem vox hebr.

diversa punctatione legi potest *brachium* et *semen* (*LXX*). *Chald.* utrumque coniunxit *fortitudinem seminis tui*. Omnino vertendum est brachium : brachii quippe amputatio roboris diminutionem significat, dum seminis praecisio ineptus est tropus. *Drus.* brachium explicat « vires, quas vobis conciliat summum sacerdotium ». At intelligi filios (*Malv.*) patet ex ultimo versus inciso. v. 32 « *Et videbis aemulum tuum in templo, in universis prosperis Israel : et non erit senex in domo tua omnibus diebus* ». *LXX* omittunt omnia praeter duas ultimas voces. *Syr.* pro מעון (ת צר) והבט corrupte legebant ושבט מעון, *nec erit sceptrum domus tuae*. *Vulg. Aq.* legebant uti *Hebr.*, sed versio difficultatem habet : pro צר quippe significatio *aemulus* incerta est. Planius vertimus cum *Symm. Malv.* : « Et circumspicies angustias habitaculi (i.e. sanctuarii) in cunctis, quae laetificant Israel ». Quomodo circumspiciet Heli, quae post obitum eventura sunt ? Sicut accepit promissiones in persona patrum, sic intuebitur ruinam oculis posterorum (*Hugo*).

v. 33 « *Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo ; sed ut deficiant oculi tui, et tabescat anima tua ; et pars magna domus tuae morietur, cum ad virilem aetatem venerit* ». Notanda structura huius vaticinii. Ter eadem comminatio, singulisque vicibus magis expresse, repetitur. Primum dicitur « ut non sit senex in domo tua ». Dein additur durationis significatio : « et non erit senex in domo tua cunctis diebus », i. e. non necessario in perpetuum, sed cunctis iisque bene multis diebus, quibus ea visitatio durabit. Tandem ipsa causa, cur defuturi sint senes, directe enuntiatur : « et universitas domus tuae morietur in virili aetate ». Singulis iam comminationibus alterum membrum praefigitur, miseram orbationem alio modo efferens. Primum : « praecidam brachium tuum ». Secundum : « circumspicies angustias habitaculi », ruinam domus tuae et sanctuarii contemplaberis, eamque tristissimam, quippe quae extendatur ad « cuncta, quae laetificant Israel ». Tandem neque brevi tuus luctus finietur, nam semper relinquetur aliquis stirpis tuae, qui miserrimum excidium possit lamentari. Et nota, quasi posterorum oculis ipsum Heli flere eorumque animis tabescere. — *Comminatio iam signo confirmatur.*

v. 34 « *Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni et Phinees : in die uno morientur ambo* », et quidem ante patrem, secus non esset ipsi signum. Est autem signum quum pro ante dictis v. 31-33, tum pro adhuc dicendis v. 35. 36 : signum enim corroborat immediate auctoritatem dicentis, mediate quidquid ille dixerit. — Reiectionem domus Heli iam *alterius domus electio* consequitur.

v. 35 « *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum et animam meam faciet ; et aedificabo ei domum fidelem, et ambulabit co-*

ram christo meo cunctis diebus ». Sacerdotem *fidelem* seu *probatum* : non *stabilem* (*Kimchi*), ut patet comparatione cum 3, 20. — Agitur de sacerdote i. e. pontifice suscitando, nam v. 28 et 30 sermo erat de vocatione imprimis pontificali domus Heli, v. 34 de interemptione eorum, quibus proximum ius esset successionis pontificalis. Sacerdos suscitandus cum domo sua subintraturus est in locum domus Heli pontificiae; acturus est secundum cor et secundum animam Dei praecise in iis, in quibus Heli pontifex a divinis placitis deflexerat; penes ipsum v. 36 futura est omnis rerum sacerdotalium administratio. Ergo ille sacerdos non fuit Samuel, ut voluit *Ps. Euch.*, qui de stirpe Aaron non erat nec unquam pontificatum gessit. — Neque *christi* nomine intelligitur messias (*Malv.*) : is enim in una persona futurus erat rex et pontifex ; neque Aaronici, qui eius aevo vixerunt, pontifices possunt dici processisse ante faciem eius aut fuisse fideles.

v. 36 « *Futurum est autem, ut, quicunque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, et offerat nummum argenteum et tortam panis, dicatque : Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis* ». *Hebr. veniat, ut prosternatur ante ipsum,* sacerdotem fidelem ; item *LXX Chald. Syr.* Et rursum : *Adiunge me, quaeso, uni ex ordinibus sacerdotum, ut edam buccellam panis.*

Sensus secundi ל ambiguus est. *Su* interpretatur de nummo *accipiendo* : sed, quid petens accipere cupiat, altera versus pars enarrat. Recte *Vulg.* intelligit de nummo *persolvendo* : mos quippe erat in oriente, ut, qui gratiae aliquid expetiturus accederet, etiam ipse doni aliquid offerret. Compescat ergo indignationem *Amama*, qui auctorem Vulg. peccati et nugarum reum facit, quod putaverit, « praeclaris his muneribus favorem pontificis demereri eiusque oculos praestringi » posse. — *Buccella* intelligitur panis propositionis, cuius comedendi sacerdotibus ius erat, quique illis, uti ex h. l. patet, ordinatim attribuebatur. — E domo Heli tam pauci superstites erunt, ut nequeant distinctum ab aliis ordinem constituere atque, ne usu privilegii sacerdotalis frustrentur, cogantur implorare, ut alii cuidam ordini adscribantur.

Antequam de impletione vaticinii disputemus, quid de *historia domus Heli* traditum sit, inspiciamus.

Filii Heli fuere Ophni et Phinees. De Ophni nulla usquam posteritas commemoratur. Phinees autem filios reliquit Achitob (1 Reg. 14, 3 ; 22, 20) et Ichabod (1 Reg. 4, 21 ; 14, 3). De Ichabod neque gesta neque posteritas enarrantur. Achitob genuit Achias, qui portavit ephod (1 Reg. 14, 3), et Achimelech (1 Reg. 22, 20), et ipsum pontificem (cf. 21 et 22, 13), qui cum sacerdotibus octoginta quatuor stirpis Ithamar occisus est iussu Saul regis. Solus ex familia supervixit Abiathar (1 Reg. 22, 20), tum certe iuvenis, qui portavit ephod (23, 6) toto regno David, sed a Salomone relegatus est in Anathoth (3 Reg. 2, 26 sq.), civitatem sacerdotalem (Ios. 21, 18 ; 1 Par. 6, 60), utique Ithamaridarum. Tamen fili-

us eius Achimelech adhuc cum Sadoc Eleazarida (1 Par. 10, 18) functus est sacerdotio. Verum iam tempore David Ithamaridae erant numero longe pauciores Eleazaridis, cum hi sedecim, illi octo familias numerarent (1 Par. 24, 4). De sacerdotibus in Anathoth ideoque, uti videtur, Ithamarida fuit Ieremias (Ier. 1, 1), propheta desolationis Israel, qui ruinam templi, sicut Heli ruinam tabernaculi, conspexit et doluit. Apud Ez. 40, 46 ; 43, 19 ; 44, 15 ; 48, 11 esse sacerdotem et esse filium Sadoc videntur esse expressiones synonymae. Sub Artaxerxe rege de filiis Ithamar recensetur Daniel quidam (1 Esdr. 8, 2), princeps familiae, cuius nomen inter viginti quattuor sacerdotes, qui foederi subscripserunt, sexto decimo loco conspicitur (2 Esdr. 10, 6).

Iam de *vaticinii impletione* dicamus.

Signum v. 34, de duobus filiis Heli una interimendis, certissime impletum est. Etiam ea, quorum istud esset signum, impleta sunt. Non est ablatus (v. 33), qui de stirpe Heli ad altare litaret ; habes quippe successionem saltem quatuor pontificum ; et haud improbabile est, inter Ithamaridas sequentis aevi stirpem quoque Heli esse propagatam. Praecisum autem est brachium domus Heli et domus Ithamar (v. 31), quando pontifex Achimelech cum octoginta quatuor sacerdotibus gladio occubuit 22, 18 : tum ad literam impleta est praedictio, non fore in domo Heli senem. Desolatio sanctuarii (v. 32) obtinuit, arca a Philisthaeis capta. Secundum interpretationem inde a *Theodoret.* et *Ps. Hier.* communiter receptam, suscitavit sibi Dominus sacerdotem probatum (v. 35), quando, relegato Abiathar, Sadoc Eleazarida solus pontificatum obtinuit 3 Reg. 2, 27 : « Eiecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo ». Et licet, uti apparet, Achimelech adhuc cum Sadoc pontificatu functus sit, tamen domus Sadoc eundem constanter posterioribus saeculis obtinuit, Domino aedificante illi domum. Ambulavitque ipse Sadoc coram David et Salomone regibus, eius posteri coram regibus ceteris « cunctis diebus » ; quin imo, regno etiam exstincto, perseveraverunt pontifices stirpis Sadoc. Interim domus Heli pari sane cum domo Ithamar decrescebat ratione ; licet, utrum v. 36 literaliter impletus sit, ignoremus ; potest is etiam esse figurata tantum expressio ruinae domus Heli.

Prophetia haec, uti Annae canticum, respicit institutionem monarchiae iudaicae : « ambulabit coram christo meo cunctis diebus ». Ideo hoc loco posita est. Insuper institutio monarchiae, seu divina domus regiae aedificatio, Deo providente subordinanda erat aedificationi domus Dei, per regem aliquem efficiendae 2 Reg. 7, 11. 13. Sed cum aedificatione domus Dei seu templi intime connexa erat, ex natura rei et religionis iudaicae, aedificatio domus pontificiae, quam nostrum vaticinium annuntiat : « aedificabo ei domum fidelem ».

Quodsi haec prophetia pontifici facta sit omnino privatim, ea invicte stabilit veritatem subsequentis visionis (cap. 4) Samueli concessae ; simulque haec visio viri Dei oraculum confirmat.

6) Visio Samuelis 3,1-18.

Haec visio tam cum praecedentibus quam cum sequentibus intime cohaeret. Confirmationem praebet vaticinii a viro Dei contra Heli editi, simulque Samuelem exhibet ad propheticum munus assumptum, quo postmodum Hebraeos ad bellum contra Philisthaeos incundum evocavit.

Cap. III v. 1 « *Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, et sermo Domini erat pretiosus* », seu rarus, « *in diebus illis ; non erat visio manifesta* », non erat abundans. Hoc non impedit, fuisse etiam tum prophetas, quorum unus certe 2, 27 exhibetur : sed aliud est esse prophetam, aliud frequenter percipere sermonem Domini. Ceterum ex 2, 27 patet prophetas, qui divinum sermonem perciperent, et veri nominis prophetias ederent ideoque specialiori iure « viri Dei » appellarentur, fuisse perpaucos ; licet fortasse essent, quales 10, 10 ; 19, 24 describuntur, prophetae bachantes atque hymnos decantantes. Describitur hoc versu tempus, quo factum sit prima vice verbum Dei ad Samuelem, instauratio spiritus prophetici eo tempore propemodum sopiti. Ipse S. Petrus Act. 3, 24 prophetarum seriem a Samuele orditur, ante quem pauci tantum in terra sancta prophetae exstitissent, paucisque admodum occasionibus influxum in rem publicam exercuissent.

Quem Dei sermonem *pretiosum* verterunt *Vulg. LXX Syr.*, *absconditum Chald.*, post *Symm.* et *Ps. Hier.* communiter iam vertunt *rarum*, idque exigit contextus. Visio *hebr.* dicitur *prorumpens*. Quod *LXX* reddunt διαστέλλουσα *distinguens* seu *distincta, Mar.* « aperta », quasi indistinctas aliquas et obscuras prophetias admittentes ; similiter *Ps. Hier.*, « prophetia non plene manifestabatur ». *Vulg. Chald. Syr. manifesta* ; quod *Sa Menoch. Malv. Sanct.* interpretantur « publice nota », *Lap. Clair* « late diffusa ». Sed Gen. 30, 30 ; Ex. 1, 12 ; Iob 1, 10 ; Is. 54, 3 ; Prov. 3, 10 eam vocem suadent cum *Calm.* verti *abundans*. Promiserat Deus Deut. 18, 15 sqq., se missurum prophetas populo suo ; eorum tamen maior minorve frequentia pendere potuit, cum a divino beneplacito, tum etiam a populi dispositione (*Clair*).

v. 2 « *Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, et oculi eius caligaverant, nec poterat videre* ». *LXX Syr.* pro כהות *hebetari* legebant כבוד *aggravari* ; utrumque imperfectam coecitatem exprimit. Ob quam facile existimare potuit Samuel, se ab Heli vocari ad aliquod illi obsequium praestandum (*Then.*). v. 3 « *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei* » ; ergo in sancto, haud longe ab ipso Heli. Adverbium טרם hic, uti Gen. 2, 5, confunditur cum coniunctione. Recte *Syr. Symm.* : » et lampas Dei *nondum* erat exstincta ». « Periphrasis est noctis », inquit *Vatabl.*, cuius verba usurpans *Tir.* : « quasi dicat, » prosequitur : « Cum adhuc lucerent om-

nes lucernae in tabernaculo, nam hae tantum noctu omnes ardebant, mane pleraeque exstinguebantur ». Est haec temporis determinatio, quae vix ab alio quam a teste oculari proficisci potuit : iuvenis levita, voce quadam e somno excitatus, primum omnium ad lumen lampadis oculos convertit, ut intelligat, num forte tempus quieti permissum excesserit. Agitur autem de lampadibus candelabri, quae manc cuiusque diei parabantur Ex. 30, 7 sq., vespere accendebantur 2 Par. 13, 11, a vespere ad mane ardebant Ex. 27, 20 sq. ; Lev. 24, 2 sqq. *LXX lucerna Dei antequam praepararetur,* legentes הטוב pro יכבה. Non absonum est, quod narrat *Ios.* Ant. III, 8. 3, posteriori tempore tres ex septem lampadibus tota die permansisse accensas, cum id lege nequaquam prohiberetur ; sed iudicum aevo eum iam morem viguisse, gratis supponitur. — Ex hoc loco commendat *Lap.* tempus matutinum, tamquam divinis inspirationibus excipiendis perquam opportunum : « Hinc disce mane et in aurora, cum primum evigilas, orare, ut Dei vocem et instinctus haurias et audias ».

Verba *ubi erat arca Dei* adiecta sunt, ut intelligamus, non ubi fuerit aedes Dei — aedem siquidem Dei fuisse, ubi arca, quis ignoret ! —, sed qua in parte aedis recubuerit Samuel. Erat is igitur, non quidem in sancto sanctorum, quod lege severe prohiberetur, neque inde lampas conspici potuisset, quae erat extra velum testimonii Lev. 24, 3 ; sed in sancto, ubi erat candelabrum et in cuius fere medio erat sanctum sanctorum, arcam continens. Hunc obvium esse sensum, patet ex Masor. accentu, qui, cum nefas putarent pernoctare in sancto, adhibito athnach verba *Samuel dormiebat* a sequentibus separarunt, frustraneo utique conatu, cum illa intime cohaereant ideoque separari nequeant. *Sanct.* : « Dormiisse in tabernaculo non est dubitandum, in loco fortasse adiuncto, ubi custodire posset arcam, aut videre, ne quid ibi aut inordinatum esset, aut minus e religione fieret ». Similiter *Menoch. Tir.* Ergo non « in atrio levitarum » (*Chald.*) dormiebat, quod recte *Cler.* notat « ex more postremi aevi » esse dictum. — Heli eo recumbebat loco, unde profecta senis vox Samuelem facile percelleret ; haud longe ab ipso Samuele, cui infirmi senis videtur fuisse cura demandata. Neque improbabile videtur, solum tum pontificem in sancto pernoctare consuevisse, Heli vero ob multiplicem infirmitatem Samuelem ibidem secum retinuisse. Id cum *Cler.* etiam inde censemus confirmari, quod Heli v. 9 illico « intellexit, quia Dominus vocaret puerum » : « Norat, neminem hominem esse illic, qui Samuelem vocare posset, praeter se. Oportet ergo neminem illic cubuisse, praeter Helin et Samuelem ».

Nota, quam sedulo locus et tempus describantur : tempus ante exstinctam lampadem ; locus tam is ubi pontifex, quam ille ubi Samuel cubaret. Descripta autem haec fuere, sive quod vividissime menti narratoris inhae-

serint, et tum narrator est ipse Samuel ; sive quod narrator cupiat lectorem, ubi et quando visio evenerit, distincte perspicere. Ubi advertas, nihilominus narratorem pontificis locum sufficienter describi existimare unica voce *in loco suo*. Quae vox reapse sufficiens erat exstante adhuc tabernaculo, post exstructum templum sufficere vix potuit. Ergo etiam sic auctor ante Salomonem scripsisse ostenditur.

v. 4 « *Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens ait : Ecce ego* ». v. 5 « *Et cucurrit ad Heli et dixit : Ecce ego, vocasti enim me. Qui dixit : Non vocavi ; revertere et dormi. Et abiit et dormivit* ». Celebrat *Greg.* Samuelis obedientiam alacriter advolantis et recedentis : « Vera obedientia nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit, quia, qui omne vitae suae iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi praecipitur operatur ». *Sacy* quamdam pontificis punitionem in eo cernit, quod non ipsi immediate, sed Samueli facta sit revelatio : at omnino separata sunt munus sacerdotale et propheticum, neque hoc sibi ullo titulo vindicare poterat pontifex etiam pius. v. 6 « *Et adiecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel abiit ad Heli et dixit : Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, fili mi ; revertere et dormi* ». v. 7 « *Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini* ». 2, 12 dicebantur filii Heli « nescientes Dominum ». Alia ignorantia Samuelis, alia filiorum Heli, sunt gradus divinae cognitionis et familiaritatis. Ratio affertur, cur Samuel etiam secunda vice non venerit in suspicionem veritatis. Nondum fuerat ipse ad intimiorem cum Deo familiaritatem assumptus, minime tale quid ambiebat. Putabat senem officii cuiusdam indigum vocasse, mox vocis et necessitatis esse oblitum, nunc rursum eadem necessitate ad vocandum impelli. v. 8 « *Et adiecit Dominus, et vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli* », v. 9 « *et ait : Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum, et ait ad Samuelem : Vade et dormi et, si deinceps vocaverit te, dices : loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel et dormivit in loco suo* ».

Intellexit illud Heli ex trino adolescentis ceteroqui prudentis accessu ; fortasse etiam (*Kimchi*), quod ipse post primum iuvenis alloquium insomnis perseverasset, neque tamen ullam vocem audivisset. *Sanct.* : « Audierat Heli, Deum olim cum viris sanctis fuisse locutum ; sanctitatem porro Samuelis in aetate adhuc puerili longo usu atque experientia cognoverat ; sciebat praeterea, nullum alium eo temporis articulo in templo esse, quia nondum lampades erant exstinctae, quas exstinguebant sacerdotes et ex eo tempore morabantur in templo. Quare coniectavit optime, non ab alio quam a Deo vocatum esse Samuelem ». Effert *Cassian.* (*M.* 49, 548), quomodo Deus Samuelem, quem sua vocatione dignum

iudicasset, Heli senioris eiusque minus sancti voluerit institutione formari, « ut sc. et illius, qui ad divinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, et iunioribus forma subiectionis huius proponeretur exemplo ». Samuel Heli, quam putabat, voci obsecutus dignus efficitur divino alloquio ; Ophni et Phinees, Heli neglecta monitione, Dei reprobationem incurrunt, immo divinum alloquium etiam a reliquis cohibent, cf. 3, 1.

v. 10 « *Et venit Dominus et stetit et vocavit, sicut vocaverat secundo : Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus* ». *Hebr. se stitit* indicare videtur, Dominum visibili quadam forma astitisse (*Vatabl.*) ; cf. v. 21 (Hebr.) « visus est Dominus *iterato* in Silo ». v. 11 « *Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambae aures eius* ». Tinniunt aures auditis malis : 4 Reg. 21, 12 ; Ier. 19, 3. Supponuntur autem res nefastae narrari voce earum horrorem plene exprimente. v. 12 « *In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quae locutus sum super domum eius : incipiam et complebo* ». *Syr. initium et finem*, i. e. « totum » (*Malv.*), « penitus » (*Ew.*), alpha et omega, nulla condonata particula. Iacet verbum Domini veluti sopitum in memoria vel scriptis, « suscitatur », quando impleri incipit. v. 13 « *Praedixi enim ei, quod iudicaturus essem domum eius in aeternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos et non corripuerit eos* ». Iudicaturus idem sonat atque puniturus. Heli iudex erat domus Israel, Dominus iudex ipsius Heli et domus eius. *Greg.* (*M.* 77. 37) : « quia falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum iudicem semetipsum cum filius crudeli damnatione percussit ».

בְּעֲוֹן אֲשֶׁר־יָדַע *propter iniquitatem, quam novit*, i. e. propter peccatum non proprium sed alienum ; constructio est omnino hebr. ; *LXX propter iniquitatem filiorum eius* eundem praebet sensum. — Explicatur illud peccatum sequentibus. Ubi legebant *LXX* מקללים אלהים *conviciabantur in Deum*, quae expressio etiam Ex. 22, 27 legitur, et fere coincidit cum verbis, quibus 2, 17 filiorum Heli sacrilegium exprimitur : « detrahebant homines sacrificio ». Minus probabiliter *Syr.* בו׳ לעם *opprobrio* vel *dolore afficiebant populum ; Hebr. Chald.* legunt בו׳ להם *maledictionem sibimetipsis comparantes*. Secundum *Rabbinos* unus hic est ex octodecim locis, ubi obtinuerit correctio scribarum, לחם pro לי : id, si verum esset, in lectionem recideret LXX. — Radici כהה (« corripuerit ») competit significatio *debilem, pavidum esse* ; haec altera apud Syros ; agitur itaque de tali filiorum correptione, quae illis terrorem iniiciat eosque ab iniquitate continuanda deterreat, qualis non fuit correptio ab Heli 2, 23 sqq. adhibita.

v. 14 « *Idcirco iuravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis et muneribus usque in aeternum* ». *Idcirco* — non ideo unice, uti vult *Est.*, quia Heli non satis severe filios reprehenderat, sed ideo

etiam et vel maxime, quia filii Heli, non attenta priori comminatione, usque perrexerant « inique agere » seu « maledictionem sibi comparare ». Visionis huius momentum totum est in priori comminatione nunc iuramento firmanda. Ut iniquitas plene expietur, operiatur, non solum requiritur, ut culpa, sed insuper ut omnes externae peccati sequelae tollantur. Peccatum filiorum Heli potest quidem adhuc sacrificio et oblatione, quae sinceram poenitentiam comitentur, lui ; consequentiae vero 2, 31 sqq. praenuntiatae iam sunt irrevocabiliter decretae. Est in verbis divini iuramenti allusio quaedam ad verba Heli 2, 25 ; « Si contra Dominum peccaverit vir, quis placatorem se praestabit ipsi ? » Deus declarat, tempus perfectae placationis iam effluxisse.

v. 15 « *Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini* ». Videtur id munus Samueli demandatum fuisse. Hoc ipso indirecte confirmatur, nullum alium praeter Samuelem et Heli intus fuisse. Iam *Calm.* notavit hinc effici, post fixam tabernaculo tributam sedem, portam successisse in locum velamenti, quo prius tabernaculum in deserto claudebatur. *Dormivit*, hebr. *recubuit* : « Neque enim probabile videtur, exiguo illo tempore, quod usque ad lucem intercedebat, post horribiles illas minas somnum iterum capere potuisse » (*Menoch.*) Item *Sanct.* « *Et Samuel timebat indicare visionem Heli* ». v. 16 « *Vocavit ergo Heli Samuelem et dixit : Samuel fili mi ! Qui respondens ait : Praesto sum* ». v. 17 « *Et interrogavit eum : Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te ? oro te, ne celaveris me. Haec faciat tibi Deus et haec addat,* » i. e. haec mala infligat et continuet infligere, « *si absconderis a me sermonem* », verbum ullum, « *ex omnibus verbis, quae dicta sunt tibi* ». In formula *Haec faciat tibi Deus etc.* (cf. Ruth 1, 17 ; 1 Reg. 14, 44 ; 25, 22 ; 2 Reg. 3, 9. 35 ; 19, 13) voce *haec* Hebraeus nefasta quaeque imprecatur ; verbis *et haec addat* i. e. multiplicet, eadem in infinitum augenda pronuntiat. v. 18 « *Indicavit itaque Samuel universos sermones, et non abscondit ab eo. Et ille respondit : Dominus est ; quod bonum est in oculis suis, faciat* ». Verba sunt resignationis provenientia ex agnita immutabilitate condemnationis bis prolatae et iuramento firmatae, ex agnita propria culpa, et imprimis ex persuasione, Deum esse Iehovam i. e. foederis Deum, cui ius competat laesi foederis poenas exigere, quique vel puniens misericordiae non obliviscatur, quam toties et tam mirabiliter in historia populi electi inflictis poenis exhibuerit. Celebrat h. l. *Duguet* Heli virtutes, quod integer fuerit, in iudicando iustus, in sacris functionibus assiduus, accessu facilis, sanctitatis tabernaculi in reprehendenda Anna vindex, de arcae magis quam de filiorum salute sollicitus : unde colligit, maiores in pontifice, quam in homine laico, exigi virtutes et aliquos superiori gradui pares

non inveniri, qui inferiori forte satisfecissent. Heli quoque ob lenitatem reprobato opponit exemplum Levi (seu potius filiorum Levi) Ex. 32, 28 sq. et Phinees Num. 25, 7-13, qui ob zelum puniendorum praevaricatorum sacerdotii primatum fuerant promeriti.

7) Strages atque victoria ad Lapidem Adiutorii, Samuel ad iudicis munus evectus 3, 19 - 7, 17.

ARG. — Cum alias notaverimus, animadversionibus de Samuelis incremento et ministerio novas introduci paragraphos (cf. 2, 11. 21. 26; 3, 1), etiam a 3, 19 ob eandem rationem novum ordimur caput narrationis. Cuius summa haec est. Hebraei a Samuele ad proelium contra Philisthaeos evocati infelicius primum dimicavere, dein temere accersita arca misere caesi sunt; cuius cladis accepto nuntio Heli subita morte opprimitur 3, 19 - 4, 22. Arca in Philisthaeam asportata variis Philisthaeos affecit plagis, quare illi eius in Iudaeam reducendae consilium iniere; arca, Bethsamitarum primum ulta praesumptionem, in Cariathiarim tandem substitit 5, 1-7, 1. Viginti annis post Samuel populum meliora sapientem Maspham convocat, iudicis officium suscipit, Philisthaeos fundit 7, 2-12. Narrationem 7, 13-17 concludit brevis conspectus administrati a Samuele iudicis officii.

v. 19 « *Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram* ». *Hebr. Syr.* הפיל pro נפל *non sivit cadere*, sc. Dominus. *Ps. Hier.* : « quidquid prophetabat, rebus gestis demonstrabatur ». Hinc simul liquet, sermonem Domini non iam fuisse rarum. Verbum de ore procedit, non ut cadat in terram, sed ut penetret in mentes et corda audientium. Verbum propheticum cadit in terram, quando non impletur, quia tum nihil confert ad auctoritatem prophetae in mentibus et cordibus audientium firmandam. Hoc sensu Samuelis verba nequaquam cecidisse in terram, ostendit v. 20 « *Et cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini* ». Dan, civitas in extrema terra sancta ad septemtrionem sita, prope unum ex Iordanis fontibus, cf. Ios. 19, 47; Bersabee, in extremitate meridionali sita, in via quae ducit Hebrone in Aegyptum, cf. Gen. 21, 31; Ios. 19, 2; expressio « a Dan usque Bersabee » iam habetur Iud. 20, 1 ad denotandam terrae sanctae universitatem. *Hebr. quod confirmatus esset Samuel in prophetam Domino*; non una alterave prophetia illi revelabatur, sed munus propheticum permanenter ipse receperat. v. 21 « *Et addidit Dominus, ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini* ». *Hebr.*

melius vertes *in sermone Domini* : « Sermonem cum illo habuit, verba sua in eius aures dedit » (*Calm.*) ; apparitionibus oralis revelatio iungebatur. Sed cur *quoniam*? *Sanct.* : « Quoniam Deus in Silo primum Samueli apparere coepit, ibidem postea saepius apparuit » ; et addit *Lap.* : « ob sanctitatem tum Samuelis, tum arcae foederis, quae erat in Silo ». Resumpta semel manifestationum serie, quam ob scelera filiorum Heli intermiserat, iam non erat, cur ab ea rursum desisteret ; idque fortasse eo minus, quod, illa prima manifestatione divulgata, homines coeperunt cum magna fiducia ad Samuelem pro oraculis recurrere, quam fiduciam Deus iteratis revelationibus remuneratus est. Potest tamen etiam cum *Keil* כי intelligi, non causale sed explicativum : « Et apparuit Dominus iterato in Silo ; nam revelabatur Dominus Samueli in Silo in verbo Domini ». — Ceterum propheticum Samuelis ministerium ideo maxime h. l. universim describitur, ut viam sternat narrando bello, quod monente propheta in Philisthaeos est susceptum.

« *Et evenit sermo Samuelis universo Israeli* ». *Cap. IV* v. 1 « (*Et factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam*), *et egressus est Israel obviam Philisthiim in proelium* ». Verba uncinis inclusa desunt in *Hebr. Chald. Syr.*, et primitus etiam deerant in *Vulg.* (*Verc.*) : ergo omittenda. *LXX Syr.* primum incisum ad priora trahunt, *Hebr. Chald.* et primitus *Vulg.* verius ad sequentia : Et factus est (una aliqua vice) sermo Samuelis ad universum Israel (iubentis eos egredi contra Philisthiim), et egressus est Israel obviam Philisthiim in proelium. « *Et castrametatus est iuxta Lapidem Adiutorii* », Eben ha ezer, h. l. proleptice sic appellatum, nomen enim nactus est ex posteriori victoria 7, 12. « *Porro Philisthiim venerunt in Aphec* ». Loci plures Aphec seu *castelli* etymo designabantur. Nostrum Aphec haud procul aberat a Lapide Adiutorii, qui 7, 12 situs erat « inter Masphath et inter Sen ». Sen alias non memoratur et est dubiae lectionis nomen. Loci nonnulli Maspha seu *castellum montanum* appellabantur. Hic absque dubio intelligitur Maspha Beniamin, duabus horis distans a Ierusalem et semihora a Gibeon, locus nunc Nebi Samvil dictus. Cf. 1 Mach. 3, 46 : « Et venerunt in Maspha contra Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel ». — Iam locus, ubi Philisthaei castra fixerant, demonstrat, eos in hoc bello fuisse aggressores (*Calm.*) : penetraverant quippe in interiorem Iudaeam. Idipsum insinuat, quod statim dicitur, Philisthaeos « instruxisse aciem », utique priores, et proelium esse late diffusum » (Hebr.), loco sc. ab ipsis selecto, quo equitatu et curribus, quibus praepollebant, libere uti possent. Melius igitur fortasse vertes : Porro Philisthiim castrametati *fuerant* in Aphec.

v. 2 « *Et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine,*

terga vertit Israel Philisthaeis; et caesa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum ». Quare hac strage non est sublata Samuelis prophetica auctoritas? quia illa prioribus eventibus fuerat firmiter stabilita; insuper meminisse poterant Hebraei Iud. 20, 18-25 alterum exstitisse exemplum cladis post vaticinium secutae. Quae verba h. l. *Vulg.* vertit *inito certamine*, eadem 2 Reg. 5, 18. 22; 1 Par. 14, 9. 13 vertit « diffusum est proelium ». Sequentia in reliquis textibus ita habent *et contritus est Israel... et percussi sunt in acie*, non *in certamine*; sed cum *in acie* minus quadrat Vulg. *terga vertit*. v. 3 « *Et reversus est populus ad castra, dixeruntque maiores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim?* »

Or. (17. 42) : « Notandum, sine causa nunquam victum fuisse Israel ; propterea etiam causam requirebant ». Domino clades iuste adscribitur, tum quia nonnisi eo permittente, imo volente fieri potuit, tum quia Domini prophetae hortatu pugnam susceperunt. Vera propositae quaestionis responsio fuisset agnitio propriorum peccatorum, speciatim profanationis cultus divini : sed permisit Deus hanc causam culpabiliter ignorari, ut et poenam sumeret admissae profanationis, et iudicium domui Heli praenuntiatum actu compleret. Seniores igitur, interna cladis ratione ignorata, statuunt exteriorem quamdam protectionem adhibere, ipsius arcae praesentiam. — Ceterum disce artis militaris apud Israelitas eo tempore simplicitatem : nullo ex officio constituto imperatore, tota rei gerendae auctoritas penes seniores erat, multiplici experientia commendatos *(Calm.)*.

« *Afferamus ad nos de Silo arcam foederis Domini, et veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum* ». Foedus Dominus pepigerat per Moysen Deut. 5, 2 sqq. ; 29, 1 sqq., quod nonnisi complementum erat foederis cum Abraham initi Gen. 15, 18 : « Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphraten ». Cf. Ex. 6, 4 ; Deut. 6, 10. Promiserat etiam multoties se auxilio futurum Israeli contra inimicos. Speciatim de propitiatorio, quod erat supra arcam, atque de medio duorum Cherubim promiserat, se responsa daturum Ex. 25, 22 ; cf. 33, 7. « Arcam foederis habebant, neque immerito, Hebraei tamquam certum quoddam pignus divinae praesentiae ac protectionis. Experti norant, victorias se arca praesente retulisse (cf. Ios. 6, 4) ; amisisse autem, cum se ab illa removerunt (Num. 14, 44 sq.) .... Accedebat insita menti persuasio, Deum ipsum inter victos referendum fore, siquidem contingeret, ut Philisthaei arca praesente vincerent » *(Calm.)*. Foedus tamen et promissiones conditionata erant ; seniores, conditione neglecta promissioni adhaerentes, rei fuere praesumptionis. Cf. *Duguet.* v. 4 « *Misit ergo populus in Silo et tulerunt inde arcam foederis Domini exercituum, sedentis super Cherubim* ». Seniorum placitum acclamatione populi sancitum est ; missi, qui

primum Heli consensum obtinerent, dein desiderata exsecutioni mandarent. Fremitum veluti tripudiantis processionis exprimunt cumulatae voces « arcam foederis Domini exercituum, sedentis super Cherubim ». De hac siquidem dictum fuerat Ex. 25, 22 : « Inde praecipiam et loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quae mandabo per te filiis Israel ».

« *Erantque duo filii Heli cum arca foedris Dei, Ophni et Phinees* ». *Hebr. Chald. Syr. erantque ibi*, quae vox fortasse ex simili textu 1, 3 irrepsit ; non ibi i. e. in Silo adfuisse, sed inde cum arca profectos esse filios Heli, sacer textus nos edocere vult. — Ei processioni intererat huius narrationis auctor Samuel propheta. Cernebat arcam, audiebat tripudia, contuebatur prope ipsam arcam, velut atram nebulam coelo aspersam sereno, filiorum Heli devota capita. Haud otiosa filiorum Heli iterata mentio. Ascendit Elcana 1, 3 benedictionem domui suae impetraturus ; adsunt filii Heli, maledictionem domui paternae cumulantes. Ministrat puer Samuel coram Domino 2, 11 sqq. ; adsunt filii Heli sacrificia profanantes. Ad vocem Samuelis 3, 21 egreditur populus et castra figit in loco, ubi ex divinae providentiae decreto Philisthaeorum strages reapse, licet serius 7, 12 sq., complenda est ; filii Heli de numine prius placando haudquaquam solliciti, veluti inter arcam et populum, inter prophetiam et impletionem se intrudunt, et causa sunt ingentis cladis in eo loco victoriam anticipantis. Disce, quantum plebi christianae officiat nequam sacerdos.

v. 5 « *Cumque venisset arca foederis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, et personuit terra* ». v. 6 « *Et audierunt Philisthiim vocem clamoris dixeruntque : Quaenam est haec vox clamoris magni in castris Hebraeorum ? Et cognoverunt, quod arca Domini venisset in castra* ». v. 7 « *Timueruntque Philisthiim dicentes : Venit Deus in castra. Et ingemuerunt dicentes* » : v. 8 « *Vae nobis, non enim fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius* », i. e. antehac ; « *vae nobis. Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum ? Hi sunt dii, qui percusserunt Aegyptum omni plaga in deserto* ». Quomodo dicuntur Aegyptii plagis esse affecti *in deserto*, cum id obtigerit in Aegypto et in mari rubro ? Dicas, verba referri Philisthaeorum, qui, quo loco illa portenta obtigerint, non ita accurate meminissent (*Sanct.*). Ceterum adverte, *LXX Syr.* legere *et in deserto*, quae quidem claudicat constructio ; *Chald.* et *Arab.* habere *et fecit mirabilia in deserto*, quam lectionem praefert *Houb.* Quae Arabis cum Chald. concordia tanto maius habet pondus, quod versionem arab. constet non ex Chald. sed ex Syr. derivari ; unde probabile fit, Syrum etiam primitus uti Chaldaeum legisse, eiusque lectionis vestigium in illo *et* Syri et LXX conspici.

Philisthaei de Hebraeorum numine loquuntur numero plurali : deos numero plures ipsi colebant ; norant praeterea Aegyptiorum arcas sacras, arcae foederis perquam similes, in quibus, ut plurimum, idola plura repraesentarentur, ipsique genii alati, Cherubim partes agentes, pro diis haberentur. Similes arcas sacras, praeter alios finitimos populos, etiam Philisthaeos habuisse, veri simillimum est. *Sublimes* Hebraeorum deos non inepte *Sanct.* dici suggerit, quasi montanos, quod Iudaei tum tractus montanos, Philisthaei planitiem obtinerent ; et citat 3 Reg. 20, 23 : « Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos ; sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos ».

v. 9 « *Confortamini et estote viri, Philisthiim, ne serviatis Hebraeis, sicut et illi servierunt vobis ; confortamini et bellate* ». Initio supplet *Cler.* « inquiebant alii ». Planius res ita explicatur. Sacer auctor nobis Philisthaeorum sensa et verba compendio tantum exhibet. Primus affectus fuit timoris, incassum restituros suggerentis. Mox autem percellebat animos cogitatio, se ita certissime in servitutem redactum iri Hebraeorum, suorum antehac servorum. Quae intolerabilis cogitatio Philisthaeorum superbiam ad desperationem provocavit. v. 10 « *Pugnaverunt ergo Philisthiim, et caesus est Israel, et fugit unusquisque in tabernaculum suum, et facta est plaga magna nimis, et ceciderunt de Israel triginta millia peditum* ». Hebraeorum exercitus caesorum quatuor millia v. 2 facile tulit, dum triginta millium caedes effecit plagam magnam nimis ; videtur igitur ab initio exercitus saltem sexaginta quatuor millia numerasse. Equitatu videntur Israelitae caruisse. Adverte rursum strategiae tum temporis simplicitatem : nullo constituto duce, de clade quisque in propriam aufugiebat domum. v. 11 « *Et arca Dei capta est, duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni et Phinees* ». *Duguet* (ad v. 4) : « Aeterno decreto statuerat Deus, ut Ophni et Phinees, in publicam sacrilegiorum reparationem, occiderentur manibus incircumcisorum in ipso arcae, quam profanaverant, et populi, quem scandalizaverant, conspectu ».

v. 12 « *Currens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste et conspersus pulvere caput* ». Signa haec erant luctus, maxime in caede vel afflictione carorum ; inter alios multos locos cf. Ios. 7, 6 ; 2 Reg. 1, 2 ; Iob 2, 12 ; Lev. 10, 6. v. 13 « *Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans* ». Ita *Masor. Vulg.* ; licet etiam cum *Keil* voces ita separare « a parte viae, spectans ». Nonnulla difficultatem faciunt. Primum, quod Heli caecus *spectare* dicatur ; quare *Houb.* vocem putat significare « habitum prospectantis, seu vultus eo prospectantis, unde aliquid novi adveniret, non ipsum prospectum » ; et *Bukentopius* (apud Verc.) censet, Heli « aliqualiter spectasse, praesertim moraliter ». Sed planior solutio ea est, fuisse Heli non caecum

sed caecutientem (cf. dicta ad v. 2), ideoque bene potuisse spectare (*Clair*). — *Hebr.* legit יד דרך מצבה (nam keri יך nulla suffragatur auctoritas); *LXX iuxta portam, spectans viam*; *Chald. e regione viae portae spectans*, apud quos vox *porta* ex v. 18 videtur irrepsisse; *Syr. iuxta viam, et exspectabat*. Hinc patet LXX Chald. Syr. voci sensum *iuxta* tribuisse, sive cum Hebr. legerint absolutum יד, sive ante illud legerint אל (19, 3), vel אל (2 Reg. 18, 4), vel על (Iob 1, 14; Iud, 11, 26), cum omnibus enim hisce particulis יד induit significationem *e regione, iuxta*. *Vulg.* iungens cum sequenti voce non potuit scribere : iuxta viam spectans; scripsit igitur non inepte *contra viam spectans*. — Tandem admirationem habet, quod דרך careat articulo, cum tamen determinata via intelligatur; adde, participium *spectans* extremae sententiae agglutinatum non esse ex indole linguae hebr. Difficultatem facile tolles sola punctorum hebr. mutatione : iuxta viam Masphae. Pugnae locus prope Maspham erat; unde, qui nuntii essent avidi, prope portam urbis Silo, quae Maspham ducebat, consederant.

« *Erat enim cor eius pavens pro arca Dei* ». Laudat Heli de arca sollicitudinem *Sacy*, cuius periculo magis, quam populi et filiorum, moveretur, quae sola totam eius mentem occuparet; dum *I. H. Michelis* (apud Keil) cum affirmat confuso magnae cuiusdam calamitatis angore esse oppressum, ob arcam « sine iussu divino e sanctuario » dimissam. « *Vir autem ille, postquam ingressus est, nuntiavit urbi; et ululavit omnis civitas* ». v. 14 « *Et audivit Heli sonitum clamoris dixitque : quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinavit et venit et nuntiavit Heli* ». Perperam ex his post *Tir.* concludit *Calm.*, Heli ad ostium tabernaculi, non urbis, consedisse et nuntio per mediam civitatem currendum fuisse, ut ad Heli perveniret. Mirum profecto esset, Heli nuntii percupidum eo loco consedisse, qui a nuntii adventu esset remotissimus. Rem ita compone. Uti nullus in exercitu ex officio constitutus fuerat dux, ita nullus fuerat missus nuntius, sed qui primus de clade Siluntem perveniret, partes suscepit nuntiandae cladis, non huic vel illi, non pontifici, sed universis. Erat iam Heli, quod per se patet, non solum caecutiens, sed etiam surdaster, unde verba praeterfugientis nuntii non intellexit. Percepit vero subsecutum multorum *ululatum*, saltem per modum *sonitus* cuiusdam seu fremitus; ipsoque sciscitante, nuntius ad pontificis sellam revocatus est. Cf. *Sanct.* v. 15 « *Heli autem erat nonaginta et octo annorum, et oculi eius caligaverant, et videre non poterat* ». *Caligaverant* seu riguerant (*Hebr.*) effectu amaurosis, quae provecta aetate paralysin nervi optici consequitur (*Keil*). Verba ponuntur ad explicanda nuntii verba « Ego sum, qui veni de proelio »; nisi enim caecutiens fuisset Heli, nuntii adventum suis ipse oculis per-

spexisset (*Wellh.*). — *Octo* soli *LXX* omittunt, etiam *Ios.* habet. Pro *nonaginta Syr. septuaginta*, confundens ע cum ע. Ergo lectio *nonaginta et octo* genuina est. Sane, qui nobis describitur Heli, centenario propinquior est quam octogenario.

v. 16 « *Et dixit ad Heli : Ego sum, qui veni de proelio, et ego, qui de acie fugi hodie* ». Quae verba simul fidem faciunt nuntio, quod sit testis immediatus rerum recens actarum. « *Cui ille ait : Quid actum est, fili mi?* » v. 17 « *Respondens autem ille, qui nuntiabat : Fugit, inquit, Israel coram Philistiim, et* » *insuper* (*Hebr.*) « *ruina magna facta est in populo ; insuper et duo filii tui mortui sunt, Ophni et Phinees, et arca Dei capta est* ». v. 18 « *Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, et fractis cervicibus* » — *spinam* vertunt *LXX Chald.* — « *mortuus est. Senex enim erat vir et grandaevus, et ipse iudicavit Israel quadraginta annis* ». *Grandaevus* sola *Vulg.*, reliqui *gravis*. Duplex datur ratio, cur lapsus e sella exitialis fuerit : prima viri aetas, vel levi concussioni ferendae impar ; altera corporis seu potius singulorum membrorum gravitas seu rigiditas (*Fürst*), quae temperari lapsum prohibuerit. — *Quadraginta* omnes, etiam *Ios.*, praeter *LXX viginti*, commutantes ם cum כ. Vix est credibile, Heli anno aetatis septuagesimo octavo ad iudicis officium esse assumptum (*Then.*).

Tulit proelii, tulit filiorum, non tulit arcae iacturam pontifex (*Duguet*), de arca unice sollicitus. Si propriae domus ruina causa fuisset primaria doloris, corruisset Heli audita duorum filiorum una die nece, quae ex 2, 34 signum erat divinitus provisum eius ruinae. Quid vero in arcae iactura pontificem tantopere perculit ? Factum ipsum omni exspectatione, uti videtur, atrocius ; ex facto confirmata conscientia arcae per nefas a se in castra dimissae ; tandem ex his subortus angor, ne arca, visibili divinae protectionis pignore, sublata iam mala longe graviora populo ingruerent. Meminit h. l. *Sanct.* gentilium persuasionis, « incolumem civitatem aliquam esse non posse, si deos, quos habebat tutelares, aut excessisse sponte aut esse ablatos ab hoste contigisset ». Cave tamen ne hanc ideam exaggerans, Heli superstitionis reum facias. — Interpretis non est, de salute Heli disputare. Adverte tamen, eius a Samuele mortem cum sensu pietatis, non horroris, describi. Arcae sollicitudo fidem arguit, verba 3, 18 resignationem.

v. 19 « *Nurus autem eius, uxor Phinees, praegnans erat vicinaque partui, et audito nuntio, quod capta esset arca Dei, et mortuus esset socer suus et vir suus, incurvavit se et peperit : irruerant enim in eam dolores subiti* ». Reliqui *dolores eius*. Nota ordinem, quo huic mulieri calamitates nuntiantur : ultima nuntiatur mariti nex, quae uxori partui proximae supponebatur fore acerbissima. Ipsi tamen *gloria Israel*

prae marito cordi erat. v. 20 « *In ipso autem momento mortis eius* », ut ei levamen quoddam praeberent ex comperta nativitate prolis virilis, « *dixerunt ei, quae stabant circa eam : Ne timeas, quia filium peperisti. Quae non respondit eis neque animadvertit* ». Admirare mulieris fidem, prae dolore amissae arcae non advertentis pueri nativitatem, mulieri Israeliticae tam exoptatam. v. 21 « *Et vocavit puerum Ichabod* », i. e. non gloria, « *dicens : Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, et pro socero suo et pro viro suo* ».

Ultima verba non esse mulieris, sed sacri auctoris, ex suffixis patet. Cum *Malv. Houb. Vere.* etiam verba *quia capta est arca Dei* sacro auctori tribuimus, sicut *Sa Mar.* correspondentia verba v. 22 « eo quod esset arca Dei » eidem tribuunt ; eandemque fuisse *Hier.* mentem, ex coniunctivo *esset* liquet. Idem suadet identitas constructionis hebr. : « *ob* capturam arcae Dei et *ob* socerum eius et maritum eius » ; neque putandum est, mulierem extremum iam spiritum agentem explicationibus indulsisse, quibus neutiquam opus esset. — Sed *Houb.* censet, verba « et pro socero suo et pro viro suo » e textu esse eliminanda, puerum quippe non esse vocatum Ichabod ob patris et avunculi interitum, neque hos gloriam fuisse Israel. Respondeo, essentialem utique gloriae ablationem in arcae iactura constitisse, eius autem accidentale quoddam complementum reperiri in trium virorum, qui in ordine sacerdotii essent primi, simultaneo interitu. Vel dicas cum *Calm.* : « Ambo (viri) privata erant mulieris illius gloria, uti arca communis totius Israelis et privata familiae ipsius ». Ceterum non necessario ipsa iam mulier nomine Ichabod iacturam mariti et soceri exprimere intendebat ; sufficit, alios posthac eam significationem adiunxisse. — Quod attinet derivationem nominis *Ichabod*, obiicit *Ewald* (Geschichte des Volkes Israel II. 582, Goettingen 1865), nomina Ithamar et similia non derivari a negatione אי ; quin *Fürst* primam eorum nominum partem contractam affirmat ex אבי (?) ; ergo similem suspicantur fuisse nominis Ichabod derivationem, alteramque 4, 21 nonnisi serius eidem esse affixam. Verum esse affixam in ipso partu diserte affirmat textus, cuius deserendi nulla apparet ratio. Nomina ex negatione et substantivo composita non fuisse ab indole linguae hebr. aliena, suadet Os. 1, 6. 9. Dein negatio אי vel אין primitus eadem est atque particula interrogativa אי, « ubi » : nomina autem, quorum pars sit particula aliqua interrogativa, e. g. מו, habes sat multa. Ceterum si lubeat fingere, matrem gravidam ad instar nominum Ithamar etc excogitasse pro filio nascituro nomen Ichabod i. e. « pater gloriae », sed accepto cladis nuntio idem nomen, licet minus obvie, ex negatione explicasse « non gloria », id salvo textu tueri poteris.

v. 22 « *Et ait : Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei* ».

Cap. V. Iam arcam in Philisthaeorum fines comitatur narratio. v. 1 « *Philisthiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a Lapide Adiutorii in Azotum* ». Non quod ea civitas propinquior esset, nam Geth utique propius aberat, sed quod eo tempore esset caput pentapoleos : Azotus, Gaza, Ascalon, Geth, Accaron (6, 17). Ios. 13, 3 civitates eodem ordine recensebantur, solum Gaza Azoto anteponebatur. Ier. 25, 20, quo tempore Geth evaserat civitas omnino iudaica, ordo hic est :

« Ascaloni et Gazae et Accaron et reliquiis Azoti ». v. 2 « *Tuleruntque Philisthiim arcam Dei* », — non caret effectu repetitio verborum exprimentium eventum, Hebraeis tam inopinatum et creditu difficilem — « *et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam iuxta Dagon* ». Tum qua trophaeum (*Ios. Theodoret.*), « ut eum (Dagonem) hoc dono honorarent » (*Aug.* de Civ. Dei 17. 4); tum quia alius praeter fanum locus excipiendo numine, cuius 4, 7 sq. reverentia Philisthaei tenerentur, dignus minime videretur (*Menoch.*). In arca erant tabulae mandatorum, quorum primum aiebat : « Non habebis deos alienos *coram me* ». Dagon numen erat praecipuum Philisthaeorum, cuius celeberrima templa erant Gazae (Iud. 16, 23) et Azoti (h. l. et 1 Mach. 10, 83; 11, 4). Eundem colebant Phoenices, Assyrii, Babilonii. In quorum monumentis repraesentatur hominis habens caput, brachia et pectus, a pectore desinens in piscem; quandoque totus humana specie repraesentatur, piscis caput tiarae instar indutus, piscis reliquo corpore a tergo ad renes usque vel ad pedes dependente. v. 3 « *Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini* ». *Ios.* « iacens specie adorantis arcam »; *Mar.* « ut indicetur reverentia idoli erga arcam ». *Rup.* : « Grande spectaculum, grande miraculum ! Translata ab Israel gloria Domini, capta ab Allophylis arca Domini, victoriam de victoribus versa vice exigit, primumque in deum ipsorum Dagon, deinde et super homines aggravantur manus Domini ». Eo Azotiis facto utique inculcabatur Dagonis comparatione Dei Hebraeorum inferioritas; quam agnoscere nolentes Azotii, factum casui vel ignotae causae attribuerunt. « *Et tulerunt Dagon et restituerunt eum in locum suum* ». v. 4 « *Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini; caput autem Dagon et duae palmae manuum eius abscissae erant super limen* ». Quo facto demonstrabatur Dagon non tantum inferiorem esse Deo Hebraeorum, sed ab eodem penitus contritum iri.

In fine v. 3 appendunt *LXX* totam priorem partem v. 6, et alias etiam in hoc capite ab Hebr. differunt, ubi cf. *Wellh.* — *Then.* eventum v. 4 narratum putat posse explicari naturaliter : agi de limine non templi, sed angustioris cellae, in qua idolum servaretur; facile potuisse, lapsa et confracta statua, manus et caput in limine consistere. At quomodo secundum leges dynamicas explicat Then., statua corruente prona coram arca, potuisse caput et ambas manus in limen devolvi (*Clair*) ? Caput et manus non dicuntur fractae, sed abscissae. Agitur de limine, quod non soli sacerdotes, sed alii bene multi transgredi consueverant, sc. « omnes, qui ingrediuntur domum Dagon » (v. 5) : atqui domus Dagon est templum, non sola cella. Tandem, si lapsus statuae adscribatur causae naturali, quaenam tandem illa causa est, et cur non arca una corruit ?

v. 5 « *Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo* ». Dele *in*

loco suo ; non est verum, neque alii textus habent. *Malv.* : « tantum Dagon in se i. e. in forma piscis remansit », « reliquum corpus sine capite et manibus » *(Sa)* ; « in ipso idolo non remansit nisi Dagon i. e. figura piscis » *(Caj.)*.

Hebr. רק דגון נשאר עליו, *tantummodo Dagon remanserat in eo*, ubi *LXX* ignotum sibi רַק per φαγίς reddiderunt, appensa terminatione graeca. *Iunius* (ap. Amam. sumit דגון h. l. appellative ; « solum quod referebat piscem, remanserat in eo », i .e. truncus. *Wellh.* eiusdem vocis ן putat esse ortum reduplicatione sequentis ג, et legit דגו : « solum piscis eius remanserat in eo » ergo pars pisciformis, truncus. *Then.* suspicatur, ante Dagon excidisse vocem דג : « solum piscis Dagon remanserat in eo ». Irritam virorum eruditissimorum piscationem ! In vivis utique corporibus atque in statuis artificiosius sculptis caput pars est potissima, qua orbatus truncus nomine careat. Ast in idolis rude fabricatis Philisthaeorum, iis maxime quae notas distinctivas in trunco exhiberent, truncus pars erat potissima atque idoli nomen sibi vindicabat. Truncus pisciformis *erat* Dagon, licet capite manibusque careret.

« *Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon et omnes, qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto usque in hodiernum diem* ».

v. 6 « *Aggravata est autem manus Domini super Azotios, et demolitus est eos, et percussit in secretiori parte natium, Azotum, et fines eius* ». Verte *et percussit eos mariscis, Azotum et fines eius. Est.* (ad 6, 11*)* : « Hoc ipsum ad gloriam Dei Israel spectabat, quod hostes populi eius arcam Dei captivam apud se tenentes, foedo morbo in secretiori parte natium percussi sint, nec prius inde liberati, quam ipsam arcam remitterent cum muneribus, quibus illam suam percussionem morbique foeditatem confiterentur ». *Theodoret.* : « Ideo sedis morbum passi sunt, quia arcam divinam impie locaverant apud falsi nominis deum ».

עפל (etiam Deut. 28, 27) est tumor aliquis seu bubo, cum ex etymologia, tum ex eo, quod sit exterior aliqua corporis affectio, quae anathemate aureo repraesentari queat, cf. 6, 5. Pro עפל 6, 11. 17 scribitur טחר, eandemque vocem constanter *keri* suggerit : « sive hoc vocabulum honestius videbatur, sive, quod praefero, usitatius erat et facilius intellectu » (*Ges.* Thesaur. p. 530). Interpretes fere omnes intelligunt de morbo aliquo podicem afficiente ; quidam de ipso podice, sed obstat Deut. 28, 27, illud inter ulcera et scabies recensens. *Symm.* vertit diarrhoeam, sed num haec anathemate repraesentari potest ? Ergo rectius *Aq.* tumorem, *Vulg* v. 9 prominentes extales, *Ges.* mariscas haemorrhoidales, quae quandoque in piri formam excrescunt et facillime imitatione aliqua exprimi potuerunt.

(« *Et ebullierunt villae et agri in medio regionis illius, et nati sunt mures, et facta est confusio mortis magnae in civitate* ».) Haec verba ex *LXX*, apud quos solos exstabant, post Hier. in *Vulg.* esse transsumpta, multis ostendit *Verc.* ; sunt ea glossa primitus textui adscripta, ad explicandum quod 6, 5 de muribus traditur. v. 7 « *Videntes autem viri*

Azotii huiuscemodi plagam, dixerunt : Non maneat arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est manus eius super nos et super Dagon deum nostrum ». v. 8 « *Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum ad se et dixerunt : Quid faciemus de arca Dei Israel ?* » Ex hoc inter alia licebit inferre, Azotios tum principatum pentapoleos obtinuisse. Reguli Philisthaeorum mox communi appellatione שר designantur, mox speciali appellatione סרן. « *Responderuntque Gethaei : Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel* ». Ex textu et accentu *hebr.*, ex *Chald. Syr.* clare patet, voces aliter esse iungendas : Responderuntque (reguli) : In Geth traducatur arca Dei Israel. Et traduxerunt arcam Dei Israel, sc. in Geth. Ita *Vatabl. Mar. Houb. Amam.*

LXX Responderuntque Gethaei : Traducatur arca Dei Israel ad nos. At haec lectio veri dissimillima est. Primum Azotii sui honoris esse duxerant, arcae trophaeum in suam urbem recondere. Ubi vero constitit, arcae detentionem plagis puniri, nemo certe sibi sinistrum recipiendae arcae honorem sponte expetivit ; sed reguli tres potentiores : Azotius, Gazaeus, Ascalonita, effecerunt, ut civitates minus potentes, primum Geth, inde Accaron, arcam recipere cogerentur. Quoad Geth cf. 29, 3 sqq., unde liquet regem Geth minori inter Philisthaeos auctoritate polluisse.

v. 9 « *Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates* » — reliqui omnes « per civitatem », sc. Geth — « *interfectionis magnae nimis, et percutiebat viros (uniuscuiusque) urbis a parvo usque ad maiorem, et computrescebant prominentes extales eorum. (Inieruntque Gethaei consilium, et fecerunt sibi sedes pelliceas* ».) Ultima rursus sententia ex *LXX* post Hier. in *Vulg.* transivit (*Verc.*).

Computrescebant : quomodo hanc verbo שתר affixerit significationem *Hier.*, non video ; fortasse ex Aq. desumpsit περιελύθησαν. Genuina vocis significatio est *absconditae sunt* (*Syr.*), sed h. l. parum quadrat. *Chald. LXX percussit* ; alteram eiusdem vocis versionem dant *LXX fecerunt*, eamque ita indeterminatam, ut pateat LXX sensum vocis latuisse (*Wellh.*). *Ges. Fürst* « ruptae sunt », recurrentes ad radicem arab. aliquam.

v. 10 « *Miserunt ergo arcam Dei in Accaron* », fortasse prius iterum coacto regulorum concilio. « *Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitae dicentes : Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos et populum nostrum* ». v. 11 « *Miserunt itaque et congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum, qui dixerunt :* » — Ita recte *Vulg.*, videntur enim sequentia verba exprimere, non tam petitum Accaronitarum, quam regulorum decretum affine illi, quod v. 8 enuntiabatur — « *Dimittite arcam Dei Israel, et revertatur in locum suum, et non interficiat nos cum populo nostro* ». v. 12 « *Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, et gravissima valde manus Dei ; viri*

quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium, et ascendebat ululatus uniuscuiusque civitatis in coelum ». Quomodo textus *LXX* deformatus fuerit, explicat *Wellh.* Pro *in singulis urbibus* lege *in tota urbe,* pro *uniuscuiusque civitatis* lege *civitatis :* tota sententia est de plaga Accaronitarum, quae videtur severior fuisse ceteris *(Keil)*.

Cap. VI v. 1 « *Fuit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus* ». « Cum arca tempore messis triticeae (v. 13) fuerit reducta, verisimile est, ad mensem novembrem gestum esse bellum, quo ad Philisthinorum manus arca pervenit ; nam ex eo ad triticeam messem, quae in maii plerumque extremum tempus incurrit, septem interiecti sunt menses » *(Sanct.)*. v. 2 « *Et vocaverunt Philisthiim sacerdotes et divinos, dicentes : Quid faciemus de arca Domini* ? » Melius : Quid faciemus arcae? Quid *de* arca faciendum esset, 5, 11 communi regulorum consilio statutum fuerat ; sed *quomodo* remittenda sit integra religione, quaeritur (*Sanct. Calm.*). « *Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum* ». Pro *quomodo* accuratius *LXX in quo* seu *quocum ;* cf. Mich. 6, 6 (Hebr.) : « Quocum festinus adstabo ante Dominum ? » Supponunt Philisthaei, arcam sine donario non posse dimitti. Neque obiicias cum *Then.*, ad quaestionem « quocum » non fuisse responsuros sacerdotes : « Nolite dimittere eam vacuam ». Nam, ut recte advertit *Keil*, ea verba non sunt integra sacerdotum responsio. Primum, citatis verbis, approbant regulorum consilium de arca non dimittenda vacua ; dein v. 5 ipsa donaria describunt. « *Qui dixerunt :* » v. 3 « *Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato* », — *Hebr. restituite ei piaculum pro peccato. Ei Then.* intelligit Iehovae ; melius arcae, quae secundum mentem Philisthaeorum unum cum Iehova erat numen — « *et tunc curabimini et scietis, quare non recedat manus eius a vobis* ».

LXX, cui fere consonat *Chald.* : *Tunc curabimini et reconciliabitur vobis : quomodo non recedat monus eius a vobis* ? Standum textui recepto, ubi nexus logicus difficultatem parit. *Cler., Keil* : « Tum si (post datam oblationem) curabimini, manifestum fiet vobis, cur manus eius non recesserit a vobis », sc. quamdiu arcam detinebatis. Constructio admitti potest. Quam praeferunt, quod ex v. 9 colligant, sacerdotes adhuc dubitasse, fuerintne mariscae a Deo Israel inflictae, an casu evenerint ; non potuisse eos igitur h. l. absolute dicere *tunc curabimini*. Sed obiectio solvitur, si supponamus, sacerdotes quidem, quis auctor plagae fuerit, omnino compertum ipsos habuisse, non tamen id aeque compertum esse regulis supposuisse. Quare h. l. ex propria mente absolute loquuntur *tunc curabimini,* v. 9 ex mente audientium dubitationem aliquam exprimunt. Quae si attendantur, certe *Vulg.* versio tamquam planior est praeferenda.

v. 4 « *Qui dixerunt : Quid est, quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi* : » v. 5 « *Iuxta numerum provinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis et quinque mures aureos, quia plaga una fuit omnibus vobis et satrapis vestris* ». *Vobis* pro *illis* (*Hebr.*) habent versiones omnes et codices hebr. plures ; item omnes, contra *Vulg.*, legunt *iuxta numerum regulorum*, non *provinciarum*. Datur ratio quinarii oblationum numeri : vel quod mariscae non trium tantum, sed omnium urbium incolas affecerint, sed id praeter cap. 5 narrata supponitur, ubi trium tantum civitatum plaga recolitur ; vel quod saltem murium infestatio, de qua statim, fuerit universalis ; vel, quod verius est, quod strages, qua aliquae urbes affectae sint, totam affecerit nationem, cives et principes, sicut clades parti exercitus inflicta totum exercitum afficit. Quinque reguli deliberabant et consilium a sacerdotibus petebant : secundum eorum numerum quinarii anathematum solvendi erant. « *Facietisque similitudines anorum vestrorum* » (*Hebr. mariscarum*), « *et similitudines murium, qui demoliti sunt terram, et dabitis Deo Israel gloriam, si forte relevet manum suam a vobis, et a diis vestris, et a terra vestra* ». Haec gloria constabat persolvendis piaculis, qua Dei Israel super Dagonem eminentia et peccatum detentione arcae commissum agnoscebatur (*Mar. Calm.*). *Si forte* spem hoc loco potius exprimit quam dubitationem.

Hic versus et v. 11. 18 unici sunt, in quibus critice certa mentio recurrit murium. Iam *Wellh.*, secutus *Hitzig* (Urgeschichte der Philister p. 201, Geschichte des Volkes Israel p. 125) censet murem fuisse symbolum ulceris pestiferi, ideoque h. l. non esse nisi alteram repraesentationem luis, quae Philisthaeos invaserat ; s. textum non edicere, eorum agros eo tempore a muribus fuisse vastatos ; verba autem « qui devastant regionem » idem sonare, ac « mures agrestes ». Verum nihil impedit, quominus, sensui obvio inhaerentes, admittamus, inde ab adventu arcae, Philisthaeorum agros fuisse a muribus devastatos. Recte quoque advertit *Keil*, ipsum additamentum « qui devastant regionem », ad mures spectans, dum mariscae simili additamento carent, ostendere murium novam esse quamdam plagam, in prioribus nondum narratam ideoque hic peculiari additamento descriptam. Cur vero eius plagae in s. textu, critice restaurato, nulla prius fiebat mentio ? Narratores hebraici, sicut aliarum nationum narratores, non omnia semper illico explicant, sed aliquando quaedam serius supplent (*Vere*). Verisimiliter etiam murium plaga, quippe quae in illis regionibus non ita raro recurrat, neque loco, in quo arca versaretur, circumscriberetur, a Philisthaeis primum arcae non est adscripta : unde neque priori narrationis parte referenda erat. — De additamentis *LXX* ad 5, 6 et 6, 1, quae post Hier. in Vulg. irrepserunt et murium plagam fusius enarrant, ita iudicat *Wellh.* : « Ex una parte illa additamenta facillime concipiuntur esse suppleta a critico aliquo, qui eadem ratione, atque Thenius ad 5, 6, ratiocinabatur, et

suo quodque loco serius agglutinata fuisse perspiciuntur ; ex altera parte sufficiens ratio, cur illa in Masor. textu singulis illis locis pariter exciderint, excogitari nequaquam potest ». Ergo standum textui hebr. et Vulg. restitutae.

v. 6 « *Quare aggravatis* » — melius *aggravetis* : non affirmatur factum, sed hypothesis statuitur — « *corda vestra, sicut aggravavit Aegyptus et Pharao cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos et abierunt* ? » Quam hic vocem *Vulg.* vertit *percussus est*, alias vertit *illudere*, estque sensus *libidinem explere*, sive luxuria Iud. 19, 25, sive crudelitate 1 Reg. 31, 4; Ier. 38, 19. Argumentum sacerdotum hoc est : quid iuvat aggravare cor? Nonne Pharao, postquam omnibus modis lacessivisset Hebraeos, ne Aegypto excederent, tamen dimittere coactus est? « Volentes nolentesque tandem ad haec extrema cogemini » (*Calm.*). — Aggravant corda Philisthaei, dum aliquid eorum, quae iure postulantur, praestare renuunt, dum aut arcam dimittere, aut cum condigno piaculo dimittere recusant.

Sensus secundum *Vulg.* sat planus est, subiectum Pharao : Quid iuvit Pharaonem aggravare cor et Hebraeos torquere ? tandem coactus dimisit. *Hebr. LXX Chald.* subiectum mutant : *Nonne, postquam libidinem explevit* (*Pharao*), *tunc dimiserunt eos* (*Aegyptii*), *et abierunt* (*Hebraei*) ? Forma verbi hebr., sola mutata punctatione e plurali in singularem transferri potest. Durius *Calm.* Deum subiectum introducit : « Nonne postquam indignationem explevit (Deus), dimiserunt eos etc. ? » Tandem *Syr.* : *et, postquam indignationem expleverunt in illis nec dimiserunt eos, tamen abierunt*. Legebat ולא .... ו pro הלוא, התעללו pro התעלל ; etiam hic sensus est planus.

v. 7 « *Nunc ergo* », abdicata omni cordis aggravatione, « *arripite* » lignum « *et facite plaustrum novum unum ; et duas vaccas fetas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, et recludite vitulos earum domi* ». *Est.* : « Hoc consilium, etsi ab idolorum sacerdotibus ac divinis datum, tamen instinctu Dei datum videtur, qui hoc modo voluit gloriam suam in reducenda arca manifestare » ; et comparat Caiphae de morte Christi prophetiam. — Plaustro novo 2 Reg. 6, 3 ab Israelitis arca deducitur ; pullo, « super quem nemo adhuc hominum sedit » (Marc. 11, 2), Christus insidet ; in monumento, « in quo nondum quisquam positus fuerat » (Luc. 23, 53), sepelitur. *Sanct.* : « Indignum putabant sacerdotes, si plaustrum portaret arcam Domini, quod rustico ministerio aut humanis commodis ante servierat.... Est itaque hoc divinae maiestati debitum, ne quid illi alienis usibus attritum offeratur, ne quid prius ex oblato munere libarit humana commoditas ». Item vaccae requiruntur, nullo ante profano servitio mancipatae.

Fetas LXX reddit πρωτοτοκούσας, recte quoad sensum, nam certe vaccae

nonnisi usque post primum partum iugo eximebantur. *Sanct.* : « Eo spectant sacerdotum consilia, ut explorent, an ab offenso Deo vel a naturali causa illam Palaestini plagam, aut illorum agri vastitatem acceperint. Quare illa proponunt documenta et signa, quae nunquam aut raro solet edere natura mortalium, ut illa a Deo potius quam a natura edita nemo non agnoscat. Difficile est, indomitas vaccas, quae neque cervicem iugo neque dorsum oneri subiecerunt, iugum subire et plaustrum trahere, neque declinare de via, cum tamen neque rhedarius regat aut stimulis adigat. Difficile est, cum libero vaccae progrediantur incessu, vitulorum amore et iterato saepius vagitu non revocari de medio cursu. Haec sane neque natura efficit, neque ullo modo patitur nisi invita. Quare si id ultro, neque ab aliis instimulatae vaccae praestiterint, argumentum est prudentibus remque suis momentis explorantibus, divinum esse negotium, non humanum ».

v. 8 « *Tolletisque arcam Domini et ponetis in plaustro, et vasa aurea, quae exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius ; et dimittite eam, ut vadat* ». v. 9 « *Et aspicietis ; et siquidem per viam finium suorum* » — terrae Israel : idea est ethnica, diversa numina statuens singulisque suos attribuens fines — « *ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande ; sin autem minime, sciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit* ». v. 10 « *Fecerunt ergo illi hoc modo, et tollentes duas vaccas, quae lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi* ». v. 11 « *Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, et capsellam, quae habebat mures aureos et similitudines anorum* ». v. 12 « *Ibant autem in directum vaccae, per viam quae ducit Bethsames, et itinere uno gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram neque ad sinistram. Sed et satrapae Philisthiim sequebantur usque ad terminos Bethsames* ». *Ibant in directum* : *Hebr. recta fecerunt in itinere*, i. e. recta iter arripuerunt ; agitur de itineris initio, dum *itinere uno gradiebantur* ad eiusdem continuationem refertur, et explicatur verbis *non declinabant etc.* Unum perseverabat iter, quod non declinarent neque ab invicem singulae, neque ambae a directione itineris semel arrepta. *Theodoret.* : « Plaustrum, quod a nullo homine regebatur, habebat arcam et onus et aurigam ». *Sanct.* : « Pergebant mugientes vaccae, quia mugientes audiebant vitulos et quasi suam orbitatem lugentes, quibus ipsae materno admugiebant affectu, et licet dolerent, pergebant tamen non intermisso gressu neque tantillum a directa via declinantes ». — *Sacy* : « Arca, quae victa ingressa erat regionem Philisthaeorum, triumphans revertitur, secum asportans in aureis vasis imagines horribilium plagarum, quibus Hebraeorum Deus eam gentem affecerat ». — Bethsames, nunc Ain Schems, ubi via, quae ducit

ab Accaron Hierosolymam, intersecat viam quae ducit ab Emmaus Eleutheropolim. Urbs erat levitarum, in tribu Iuda sita Ios. 15, 10; 21, 16; 1 Par. 6, 59; ii igitur, quorum v. 15 fit mentio, levitae non erant longius accersendi, sed et ipsi Bethsamitae erant (*Sanct.*). Si advertas, ab Accaron usque Bethsames regulos Philisthaeorum comitatos esse arcam, tamquam per regionem ipsis subiectam, intelliges, quam arctis tum limitibus Hebraeorum respublica ad meridiem versus fuerit circumscripta.

v. 13 « *Porro Bethsamitae metebant triticum in valle* », circiter mense Maio. « *Et elevantes oculos suos, viderunt arcam et gavisi sunt, cum vidissent* ». v. 14 « *Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitae et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus* ». Hoc incisum cum *Keil* parenthesin interpretare; postea subiectum idem rursum est, quod antea fuerat, Bethsamitae. Erat autem illico mentio facienda lapidis magni, tum quia v. 15 illi imponitur arca, tum quia v. 18 exhibetur ut monumentum perenne eorum, quae ibi acta fuerunt. « *Et conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino* ». *Calm.* : « Plaustrum illud, quod arcae servierat, in alios profanos usus adhiberi religio fuit, quare illud aptissimum succurrit, ut altaris igne absumeretur. » v. 15 « *Levitae autem deposuerunt arcam Dei et capsellam, quae erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, et posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitae obtulerunt holocausta et immolaverunt victimas in die illa Domino* ».

Versum hunc, saltem partem priorem, verte plusquamperfecto. Continet hic utique supplementum aliquod ad v. 14 (*Wellh.*), non tamen inde inferre fas est, esse diversi auctoris. Antea subiectum sacrarum functionum indeterminate enuntiabatur *conciderunt, imposuerunt*; postea s. auctor suarum partium esse existimavit affirmare, id non a Philisthaeis esse factum, sed levitas arcam deposuisse, Iudaeos sacris litasse. Antea solum sacrificium principale vaccarum enarraverat; addit iam sacrificia accessoria, quae omnes indiscriminatim Bethsamitae, fortasse ii etiam qui nequaquam leviticae stirpis essent, obtulerunt. *Holocausta* v. 15 non videntur esse idem, quod *holocaustum*, sc. vaccarum, v. 14.

v. 16 « *Et quinque satrapae Philisthinorum viderunt, et reversi sunt in Accaron in die illa* »; « eodem die, i. e. quam velocissime » (*Malv.*); « certi, quod Hebraeorum Deus illam tantam cladem et stragem edidisset » (*Sanct.*) in regione Philisthaeorum. Interfuerunt tamen primum sacrificio. Fuerunt igitur testes oculati omnium, quae modo narrabantur magnalium Dei. Pergit iam s. auctor, quasi maiorem praecedenti narrationi authentiam conciliaturus, recensere alios testes, documenta quaedam permanentia eorum magnalium, donaria sc. aurea cum arca allata et, maxi-

me omnium, lapidem illum magnum, in quo collocabatur arca. v. 17 « *Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto Domino : Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum* » ; — forte singulorum origo signo aliquo impresso indicabatur — v. 18 « *et mures aureos secundum numerum urbium Philisthiim quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam, quae erat absque muro* ». Iam *Ps. Hier.* intellexit, exprimi hic mures aureos quinario plures : « quinque anos et quinque mures hae quinque civitates dederunt ; reliquae autem civitates provinciarum et villae, quae erant absque muro, mures tantum dederunt ». *Malv.* aliique statuerunt quinque mures aureos, veriti ne secus contradictio adesset cum v. 5, ubi sacerdotes suadent quinque mures aureos effingi. Difficultas ita solvitur. Sacerdotes utique suggesserant quinarium pro numero urbium principum, sed Philisthaei longe maiorem numerum obtulerunt. Cur ita ? Quia plaga murium non quinque solum urbes, sed totam late regionem afflixit ; timebant forte etiam incolae reliquarum urbium, ne, si ipsi anathema offerre negligerent, plaga a quinque urbibus recedens apud ipsos perseveraret. Huius explicationis ipse meminit *Malv*, eamque tenent *Calm. Duguet* aliique. — Instat *Wellh.*, *capsellam* non fuisse tanti numeri murium aureorum capacem. Verum nescimus, quanta fuerit capsella, quantulae murium effigies, quisve tunc numerus urbium et pagorum Philisthaeis subiectorum. Si quando christiani, alicuius sancti intercessione sanati, ad eius altare suspendunt crus vel brachium, ex cera vel argento conflatum, eiusmodi anathema, ut plurimum, nullatenus magnitudinis est naturalis cruris vel brachii. « *Et usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quae erat usque in illum diem in agro Iosue Bethsamitae* ». Vertendum ita : Et testis est lapis magnus, super quem posuerunt arcam Domini, qui est usque in diem hunc in agro Iosue Bethsamitae.

Cum *LXX Chald.* Praeferendum est kethib אבן *lapis* prae keri אבל. Punctatio Masor. et versionum עַד *usque* nullum sensum praebet : quid tandem sibi vult lapis ille magnus, medius inter urbes muratas et pagos patentes ? Neque censendi sunt Philisthaei pro lapide illo magno murem aliquem aureum obtulisse. *Henstcrus* punctavit עֹד, « et adhuc (exstat) lapis ». Sensu affini sed constructione longe planiori, *Then.* punctat עֵד « testis ». Habetur textus omnino parallelus Gen. 31, 51 sq. : « Dixitque rursus ad Iacob : En tumulus hic et lapis, quem erexi, inter me et te testis erit ; tumulus, inquam, iste et lapis sint in testimonium etc. ».

Ergo s. auctor in eo est, ut, quae in regione Philisthaeorum acta sint, magnalia Dei Israel multiplici confirmet testimonio : primum regulorum, qui suis ipsi oculis rem viderint v. 16 ; secundo donariorum, quae adhuc asserventur ; tertio lapidis illius magni, qui exstet in agro Iosue Bethsamitae. Iam vero haec argu-

menta *scriptorem contemporaneum arguunt*, i. e. Samuelem. Argumentum lapidis tum tantum plenam vim obtinebat, quamdiu apud accolas traditio eventus recens et distincta continuaret : non enim merus iners lapis testimonium profabatur, sed lapis traditione certa quasi vestitus. Regulorum testimonium tum maximum vigorem retinebat, quando aut ipsi aut immediati eorum successores poterant appellari. De donariis nusquam secus Scriptura loquitur ; unde, quamdiu fuerint praeservata, ignoramus ; aliqui putant, usque ad captivitatem Babylonicam, sed est mera coniectura. — Imo ipsum factum, quod huic singulari eventui, plagae sc. Philisthaicae firmandae tantopere insistatur, *auctorem arguit contemporaneum*. Abundat siquidem V. T. eiusmodi factis, quibus Dei omnipotentia luculenter demonstretur, etiam longe illustrioribus quam portenta inter Philisthaeos patrata. Quare auctores eventibus posteriores potius recurrunt ad magnalia in Aegypto et in deserto patrata. Plaga vero Philisthaica summopere debuit percellere contemporaneos, summi momenti erat Samueli ad eius auctori, tatem, clade apud Lapidem Adiutorii accepta fortasse apud plures imminutam-restituendam, ad eius cohortationes confirmandas. — Etiam quod 5, 5 traditur, de sacerdotibus Philisthaeis verentibus calcare limen templi Dagon « usque in hodiernum diem », *auctorem contemporaneum suggerit*. Gratis enim supponitur eiusmodi praxis apud Philisthaeos continuasse indefinite ; multo probabilius est, continuasse aliquamdiu tantum.

Liceat hic inquirere, quid egerit Samuel eo tempore, quod intercessit inter cladem Lapidis Adiutorii et reditum arcae. Monebat, corripiebat, animos erigebat. Non abs re erit h. l. adscribere, quae de illo tempore scribit Asaph Ps. 77 (78), 55 sqq. : « Et habitare fecit in tabernaculis suis tribus Israel. Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia eius non custodierunt. Et averterunt se et non servaverunt pactum : quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum. In iram concitaverunt eum in collibus suis, et in sculptilibus suis ad aemulationem eum provocaverunt. Audivit Deus et sprevit et ad nihilum redegit valde Israel. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici. Et conclusit in gladio populum suum, et hereditatem suam sprevit. Iuvenes eorum comedit ignis, et virgines eorum non sunt lamentatae, sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduae eorum non plorabantur. — Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis ».

v. 19 « *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini* ». Post *Rabbinos* rationem inflictae plagae assignant plures, quod Bethsamitae arcam introspexerint : verum id eos fecisse, ex textu nullatenus eruitur. Alii cum *Abul.*, quod illam nudam involucris aspexerint ; ubi *Sanct., Tir.* supponunt, arcam a Philisthaeis esse reductam involutam, qualis ab Hebraeis perlata fuerit in aciem. Quod etsi permittatur, gra-

tuita manet assertio, Bethsamitas involucra removisse ; si negetur, quomodo nisi nudam videre poterant arcam ? — Rectius *Hugo a S. Vict.* (157. 97) illos percussos censet ob aspectum arcae irreverentem, audacem. Ubi advertit *Wellh.* ראה significare non simplicem et quasi passivum aspectum, sed activam intuitionem et curiosum scrutinium. Erat autem aspectus irreverens ex adiunctis. Arca ab Hebraeis ob illorum sacrilegia et praesumptionem recesserat. Neque condigne expiata fuerat culpa, accepta ad Lapidem Adiutorii clade, cum illud ipsum praelium ob praesumptionem adductae in castra arcae sceleris pars fuerit atque apex. Perperam igitur Bethsamitae arcae reditum videntur esse interpretati integram sui in divinam gratiam restitutionem. Placandum superarat offensum numen. Recte quidem e civitate levitae arcam e plaustro deposuerunt, recte vaccas super incensa plaustri fragmenta immolaverunt : haec enim licere, quinimo a numine requiri, ipsa reditus ratione significabatur. Quibus tamen praestitis oportebat illos ad poenitentium sensus et habitum relabi, numinis veniam implorare, non arcae aspectibus indulgere, circa illam tripudiare, multoque minus privata auctoritate, quasi totus iam in integrum restitutus esset cultus, sacrificia offerre. Ob huiusmodi arcae aspectum percussi sunt illi Bethsamitae, quos eosdem fuisse viros censemus, de quibus v. 15 narratur : « Viri autem Bethsamitae obtulerunt holocausta et immolaverunt victimas in die illa Domino ». Quid ergo illis fuerat agendum ? Quo tandem signo placatum sibi numen intelligere poterant ? Accersendus erat propheta magnus, quem Deus suscitaverat in medio Israel, atque ab ipso sciscitandus placandi numinis ritus atque tempus. Verum igitur Bethsamitarum scelus erat non accersitus Dei propheta, cultus privata auctoritate redintegratus, peccatum praesumptionis, quod utique coniunctum habebat irreverentes obtutus, et per hos a Samuele quasi euphemistice describitur, quod vir humilis propriae neglectae auctoritatis mentionem refugeret.

Accipe et aliam explicationem praecedenti affinem. Bethsamitae percussi sunt ob merum aspectum arcae, eumque non de se irreverentem. Arca, pridem ut omnium benedictionum fons Israelitis concessa, ob eorum sacrilegia ab ipsis recesserat et iam, repressa veluti benefaciendi virtute, solam plectendi exercebat vim, donec ira offensi numinis digne placaretur. Oportebat igitur primos, qui illam reducem aspexissent, Israelitas percuti, non ob novum aliquod ab ipsis admissum scelus, sed ob universale gentis necdum expiatum scelus. In quo tamen eam illis Dominus misericordiam exhibuit ut non omnes, quicunque viderint, sed aliquos tantum percusserit. Haec explicatio confirmatur ex v. 13, ubi ipse arcae obtutus, et quidem de se omni vacuus irreverentia, literis consignatur : « elevantes oculos suos, viderunt arcam ». Optime utramque explicationem copulabis. — Prorsus diversam lectionem habent *LXX*, cui adhaerent

Then., Wellh. : *Et non suut delectati filii Iechoniae de viris Bethsames, eo quod vidissent arcam Domini.* Sed caret illa sufficienti auctoritate critica, estque omnino praeter contextum.

« *Et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis* ». Reiecto spurio additamento, lege : Et percussit de populo (vel : de eis) septuaginta viros. Quippe totidem, neque plures, percussi sunt.

Hebr. Et percussit de populo septuaginta viros, quinquaginta millia virorum. LXX Et percussit de ipsis (בהם pro בעם) *septuaginta viros et quinquaginta millia virorum. Chald.*, explicationem tentans : *Et percussit in senibus populi septuaginta viros, et in universitate quinquaginta millia virorum. Syr. Et percussit in populo quinque millia et septuaginta viros. Ios.* « Septuaginta viros. » — Ex quibus lectio *Syr.* evidenter eliminanda est, utpote quae sit ex Hebr. deteriorata : siquidem in codice, in quo numeri integre scribebantur, facile permutari potuit חמשים « quinquaginta », et חמשת « quinque ». — Iam contra textum, uti in Hebr. et versionibus exstat, aliquae moventur difficultates. Vocem *de populo*, post immediate praecedens *de viris*, *Then.* genio linguae hebr. proscribi censet. Non videtur difficultas ita gravis, insuper excluditur lectione LXX critice satis probabili, *de ipsis* loco *de populo*.— Alii, et merito quidem, reprehendunt numeralium constructionem omnino abnormem ; *Then.*, *L. Reinke* (Beitraege zur Erklaerung des A. T., I. 125 sqq., II. 551 sqq., Münster 1851-1853) : quinquaginta millia scribenda erant ante septuaginta, interposita copula ; vox *viros* non erat repetenda. — Tandem, quod iam viderunt *Sanct.*, *Malv.*, *Menoch.*, *Calm.* aliique, absurde supponitur civitas Bethsames tum numerasse plus centum mille incolis : tot enim fere esse debebant, si quinquaginta millia et septuaginta divino interventu interimendi fuissent. « Eruditi omnes fatentur », affirmat *Verc.*, « in sacro textu nequaquam quinquaginta millia et septuaginta homines *Bethsamitas* interemptos dici ; quod aliunde incredibile esset ». — Hinc varias varii protulere solutiones. *Houb.*, *Verc.*, *Ghiringhelli* (a Verc. citatus) morte plectunt, Bethsamitarum solos septuaginta, aliorum Hebraeorum eo confluentium quinquaginta millia : ast illud textus minime habet. *Angelom.*, *Rhab.*, *Est.*, *Rossi* cum *Ps. Hier.* ante alterum numerale inserunt coniunctionem כ : Percussit septuaginta viros, ob senium vel fortitudinem aequiparandos plebeiis quinquaginta millibus. Qui sensus ridiculus est, et recte advertit *Reinke*, כ ante numeralia habere sensum non comparativum sed explicativum : « circiter. » *Guénée* (apud Clair), *Clair* supplent מן : septuaginta de quinquaginta millibus. Mittimus alios.— Solutio unice sufficiens solas voces « Et percussit de populo septuaginta viros » genuinas pronuntiat, reliquis reiectis. Innititur textui *Ios.*, *Keri*, aliquibus codicibus hebr. ; probatur *Kennicott*, *Tychsen*, *Michaelis*, *Hufnagel*, *Then.*, *Dereser*, *Reinke*, *Keil*, *Wellh.*, quibus Rossi accenset Versuchium ; probabilis declaratur a *Rossi*. Non plures septuaginta viris esse interfectos, iam defendebant *Lyr.*, *Abul.*, *Sanct.* Quomodo vero quinquaginta illa millia virorum in textum penetraverint, ita explicatur. Legebatur primitus ע איש, quod in aliquibus codicibus defiguratum est in נ איש ; quae altera lectio, uti consuevere amanuenses, in aliis codicibus margini adscripta est, postea, quod alias sexcenties obtinuit, e margine in textum penetravit, ut iam legeretur ע איש נ איש ; tandem numeralia omnibus literis descripta fuerunt, qualia in hodiernis bibliis leguntur. Concedendum tamen est, corruptionem illam s. textus esse perantiquam, utpote ver-

sionibus antiquiorem ; quamvis improbabile non sit, *LXX* primitus cum *Ios.* concordasse.

« *Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna* ». *Sanct.* : « Post caedem illam adhuc supererat populus, unde nonnulla coniectura sumitur, non esse tantam multitudinem interfectam ». v. 20 « *Et dixerunt viri Bethsamitae : Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* » *Stare*, i. e. perseverare stans, erectus manere, non corruere. Interrogatio dubium exprimit, sitne omnino aliquis incolumis permansurus. Dubii ratio desumitur ex Dei *sanctitate*, omne omnino naevum discernentis atque punientis. Ignorant Bethsamitae Dei misericordiam, qua etiam dum punit movetur ; hinc arcam, benedictionum coelestium originem a se removere student : « *Et ad quem ascendet a nobis?* » Subiectum est Dominus, non arca. v. 21 « *Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes : Reduxerunt Philisthiim arcam Domini ; descendite et reducite eam ad vos* ». Brevi tantum tempore arca apud Bethsamitas substitisse videtur. Cariathiarim, uti putant, ille locus est, qui hodie Kariet-el-Enab audit, secus viam quae Hierosolymis descendit Ioppen. Cur ea urbs a Bethsamitis selecta? Fortasse, quod erat secus viam, qua a Bethsames tendebatur Siluntem, quodque certum habebatur, arcam tandem Siluntem esse reportandam ; fortasse praeterea ob singularem urbis incolarum conditionem. Erant enim hi originis non pure Iudaicae Ios. 9, 17 sqq., et conditionis paene servilis, qui invitationem devehendae ad se arcae declinare efficaciter vix potuissent. Repetitum est hic, quod ante factum fuerat inter Philisthaeos, ubi urbes validiores arcam a se removerant, primum ad Gethaeos, deinde ad Accaronitas ; quodque postea 2 Reg. 6, 10 factum legimus, quando, percusso divinitus Oza, David arcam transportavit in domum Obededom *Gethaei* : committebatur arca vilioris conditionis hominibus, in eos pro lubitu saevitura. — Ceterum Samuelis 7, 3 facta mentio videtur efficere, cum a viris Cariathiarim fuisse consultum, sive ubi de arca a Bethsamitis accipienda, sive certe ubi de ea in Cariathiarim retinenda agebatur. Qui retinendam esse videtur pronuntiasse, donec divinitus, quo esset deferenda, innotesceret. Hinc viri Cariathiarim plagis non leguntur esse afflicti, sed probabilius benedictionem nacti sunt, qualem postmodum Obededom.

Cap. VII v. 1 « *Venerunt ergo viri Cariathiarim et reduxerunt arcam Domini, et intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa* ». Pro *in Gabaa* cum *LXX* verte *in colle*, loco sc. « qui in civitate magis erat sublimis atque munitus, quique magis videbatur dignus, qui arcae Dei religiosum et tutum praeberet hospitium » (*Sanct.*). Insuper *LXX Chald. Syr.* et plures codices hebr. pronomen relativum habent : « quae erat

in colle ». Arcam mansisse non in alia aliqua civitate Gabaa, sed in ipsa Cariathiarim, patet ex v. 2 et 1 Par. 13, 5 sq. — « *Eleazarum autem, filium eius, sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini* ». « Sanctificare est idem ac destinare, ut diximus ad illud Ier. 1 : Antequam exires de vulva, sanctificavi te » (*Sanct.*). Abinadab fuisse levitam, probari nequit. Licet enim Caathitae essent custodes arcae ordinarii Num. 3, 31, facile intelligitur, eum honorem potuisse in filium tranferri Abinadab, cuius in domo arca substiterat. Accedit, quod Eleazarus dicitur esse ad id officium designatus ab incolis Cariathiarim, veluti nomine eius civitatis. Neque excluditur, id esse factum consulto Samuele et approbante Domino. Similiter Oza et Ahio, filii Abinadab, probari nequeunt fuisse levitae, et Ozae poena longe facilius intelligitur, si is supponatur non fuisse levita.

v. 2 « *Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies* », i. e. multi elapsi sunt dies, « *erat quippe iam annus vigesimus* » — reliqui planius *et facti sunt viginti anni* — « *et requievit omnis domus Israel post Dominum* ». Elapsi sunt viginti anni, quo tempore Samuel primum iunior erat, quam qui iudicis munus ageret, constanter tamen contra ingravescentem idololatriam nitebatur (*Sanct.*), tandemque populi spiritualem renovationem complevit. Vide tot annorum unicam in mente Samuelis ideam, unicum in actis propositum.

Vatabl. aliique : « lamentata est omnis domus Israel post Dominum » ; quae significatio verbi נהה ex Ez. 32, 18 ; Mich. 2, 4 confirmatur ; tamen « lamentari *post* aliquem » alias non occurrit. Ceterum ea interpretatio etiam Vatablo antiquior videtur, nam secundum eam videtur *Ps. Hier.* illos viginti annos dixisse « miseriarum refertos ». *Vulg. requievit* non est cum *Lap.* inde explicandum, quod S. Hier. legerit ח pro ה, sed significationem videtur petiisse ex affini radice נוח *habitare, quiescere*. *Chald.* radicem נהה retinet, quae tamen in eius lingua sensum adunandi habet : *et adunata est omnis domus Israel post servitium Domini*. Possumus forsan radici hebr. eandem tribuere *adunandi* significationem ; eidem autem constructio cum *post* omnino congruit, cum etiam voces affines כִּוְלֹא, הָלַךְ ita construantur. Cf. *Ges., Fürst.* — *Syr. inclinavit se, LXX* ἐπέβλεψεν.

v. 3 « *Ait autem Samuel ad universam domum Israel, dicens : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim et Astaroth, et praeparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philisthiim* ». *Baalim* spurie in *Vulg.* irrepsit (*Verc.*). Pro *et Astaroth* lege *et cippos* : auferendae erant idolorum statuae et trunci lignei, qui ascherae dicebantur. Erant ii modo cippi, modo arbores, modo luci ; eminebant maxime in collibus, prope altaria Baal, ubi luxuria pro religione erat. Sitne Aschera eadem

quae Astarte, non est huius loci dirimere: cf. *P. Scholz*, Goetzendienst u. Zauberwesen, p. 230 sqq., Regensburg 1877. v. 4 « *Abstulerunt ergo filii Israel Baalim et Astaroth, et servierunt Domino soli* ». Facile intelligitur, Heli pontifice quo tempore cultus tabernaculi profanabatur, eodem idololatriam per regionem late serpsisse, idque explicite affirmat Ps. 77 (78). Mortuo Heli et capta arca debuit eadem augeri, magis etiam ideo, quod Samuelis prophetica auctoritas clade accepta probabilius imminuta est, aliquorum mensium spatio usque ad arcae reditum. Eo tempore fuisse inter Hebraeos idololatriam, colligitur ex Iud. 18, 31 : « Mansitque apud eos idolum Michae omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel ». Perperam igitur *Then.*, *Wellh.* conqueruntur, inter nostrum versum 2 et 3 desiderari nexum. Cf. universale effatum Iud. 2, 19 : « Postquam autem mortuus esset iudex, revertebantur et multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis et adorantes illos ». — Alio praetextu v. 3 *Hensler, Ew., Then.* nexum desiderant cum prioribus. En, inquiunt, Philisthaei modo arcam demisissime retulerant, nunc exhibentur ut oppressores Hebraeorum ; Samuel iudicis munere fungitur, cum tamen nusquam ad illud assumptus esse legatur. Quos refutant *Keil, Wellh.* Arcae redditio non affecerat Philisthaeorum supra Hebraeos principatum : praelio nullo dimicatum est, urbs nulla recuperata. Dein Samuel hac ipsa occasione in iudicem assumptus est, exercuerat iam ante quasi iudicialem potestatem. — Dubitari hic potest, ea, quae v. 3 sq. narrantur, sintne singulare aliquod factum, quod populi conventum v. 5 Masphae actum praecesserit ; an eventus per totos viginti annos continuatus, Samuele constanter ab idolorum cultu populum revocante, et praemium religionis liberationem a Philisthaeis promittente, populo magis magisque eius monitis obsequente. Cum sit indubium admonitiones Samuelis v. 3 revera constanter esse repetitas, et consequenter verisimilius sit, neque idolorum destructionem fuisse unius diei opus, praeplacet utrumque versum interpretari de repetita populi admonitione et successiva idolorum destructione. Habes hic viri vitam per viginti annos indefesse protractam ; simul describitur populi requies seu adunatio post Dominum v. 2.

Magna exstat divergentia lectionum v. 3 et v. 4, ubi voces habentur vel identicae vel affines. *Hebr. Vulg. Chald. deos alienos et Astaroth, Baalim, et Astaroth. Syr. deos alienos et lucos, Baalim et lucos* ; ubi pro *lucos* verte *cippos*, et cf. *Ges.* Thes I. 162. *LXX deos alienos et lucos, Baalim et lucos Astaroth* ; ubi « lucos Astaroth » certe est spuria lectio ex duabus compacta. Iamvero *Astaroth* et *lucos* nos revocant ad duas voces hebr. אשתרות et אשרות, permutatu facillimas. Videtur primitus in altero versu fuisse vox אשתרות, in altero אשרות ; illa sane in v. 4, cum ibi nomen Baalim adiunctam sibi vocem Astaroth vindicet, haec in v. 3.

v. 5 « *Dixit autem Samuel : Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum* ». Maspha prope Lapidem Adiutorii, cf. 4, 1. 13 ; 7, 12, idem locus, quo prius iussu Dei 3, 21 Samuel populum convocaverat cladesque fuerat inflicta. Vel ipsum loci nomen promissio erat victoriae, ob peccata pridem dilatae, nunc tandem obtinendae, erat convocatio ad bellum : unde Philisthiim, ubi primum eum locum pugnae ineundae aptissimum ab Hebraeis occupatum, in eoque Samuelem iudicem creatum compererunt, eodem cum exercitu proficiscuntur (*Calm.*). Somniatur igitur *Then.* putans, ideo Samuelem in Maspha, non in Silo populum convocasse, quod sacerdotum regimen, sibi ex filiorum Heli praevaricatione dudum exosum, infirmare et liberiorem quemdam Iehovae cultum introducere voluerit. Siluntem non erat populus convocandus, quod ibi non esset tum arca Domini ; non in Silo se nacturum victoriam, prophetae Deus promiserat. — *Ut orem*, vel *LXX et orabo* : finis orationis, tandem Deum inter et populum efficere reconciliationem, eiusque pignus obtinere victoriam. Utique divino instinctu agebatur Samuel in populo Maspham convocando.

v. 6 « *Et convenerunt in Masphath, hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini, et ieiunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi : Peccavimus Domino* ». *Lap.* : « Ecce hic tres actus poenitentiae : sc. contritio significata in effusione aquae ; confessio, cum dicunt : Peccavimus Domino ; satisfactio, cum ieiunant ». Fecerunt invitante et praeeunte propheta : bonum igitur est ieiunium ad placationem obtinendam.

Adhibiti ritus sensum collige ex Thren. 2, 19 : « Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini ». Est ergo effusio omnium cordis affectuum in oratione facta ; quia vero tunc temporis Israelitae vel maxime agebantur affectu poenitentiae, recte ritus sensum explicat *Chald.* : *Effuderunt cor suum per poenitentiam sicut aquam coram Domino.* Rursum ritus significatio ex adiectis vocibus colligitur : *Peccavimus Domino.* Effusio igitur aquae erat symbolum dolorosae admissi peccati confessionis. Utrum vero ea confessio in solis verbis *Peccavimus Domino* haeserit, an saltem peccata superius vituperata, vel etiam omnia singulorum peccata distincte accusaverit, nescimus. Possumus insuper cum *Sanct.* ritum interpretari serii propositi significationem : « Aiunt, tam a se proiiciendam impietatem antiquam et deorum dearumque omnium memoriam, ut non minus excedant ab animo, quam aqua, cum e vase, in quo conclusa fuerat, effunditur, cuius neque sapor manet ullus neque odor ». Audacius fortasse nonnihil *S. Ephraem* (apud Verc). : « Quasi dicerent : Sicut aquas istas effundimus, sic noster sanguis effundatur, si in posterum a Domino defecerimus et ad deos gentium transierimus ». — Porro effusio sola in illo ritu symbolica erat, aquae haustio praecedere debebat effusionem. Nolim eius ritus vestigium Ps. 21 (22), 15 et 2 Reg. 14, 14 invenire, sed meram sermonis figuram.—Israelitis ieiu-

nantibus et peccata accusantibus, adhuc locus fuit Samuelis intercessioni pro populo v. 5 ; unde aperte sequitur, non repugnare, ut, ipso peccatore delicta detestante et accusante, alter homo tanquam minister remissionis sive impetrandae sive elargiendae interveniat.

« *Iudicavitque Samuel filios Israel in Masphath* », i. e. iudex factus est (*Calm.*) ; usurpatur h. l. vox *iudicavit* eo sensu, quo alias sexcenties (cf. 3 Reg. 11, 43 ; 14, 31 etc, etc) vox *regnavit*, de accepto sc. primum imperio. Prophetae partes iam egerat Samuel, iudicante Heli, cf. 3, 20 sq. Quo demortuo intercesserunt anni viginti oppressionis Philisthaicae (similia habes Iud. 3, 14 ; 6, 1 ; 10, 8 ; 13, 1). Tandem Samuel prophetico instinctu populum convocavit Maspham, ibique iudex ab omnibus agnitus est. Ipsum factum, quod Israelitae eum agnoverint iudicem in eodem loco, ubi viginti annis ante cladem fuerant experti, eiusque prophetica auctoritas apud plures fuerat obscurata, ostendit, quam integra et sincera iam fuerit Israelitarum conversio.

v. 7 « *Et audierunt Philisthiim, quod congregati essent filii Israel in Masphath, et ascenderunt satrapae Philisthinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum* ». *Sanct.* : « Expavit Israel, iamdudum desuetus arma tractare ». Ascendunt satrapae omnes, cum omnibus suis copiis, qui saepe iam minori bellico apparatu Hebraeos devicissent. v. 8 « *Dixeruntque ad Samuelem : Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum* ». Exprimitur hic filialis fiducia temperata agnitione propriae indignitatis, quantum diversa a praesumptione 4, 3 expressa ! v. 9 « *Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum holocaustum integrum Domino ; et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum Dominus* ». Respondit ei autem fragore de coelo facto v. 10. — כליל masc., *integrum*, refertur ad טלה *agnus*, non ad *holocaustum*, et dicitur vel de rei totalitate, vel de eius perfectione, vel de utraque simul. *Salian. Menoch.* intelligunt agnum integrum i. e. non dissectum, quod ingruentibus Philisthaeis tempus defuerit ad illum dissecundum. *Calm.* alique pleonasmum censent, ut sit idem, quod holocaustum.

Agnus hic ex Lev. 22, 27 saltem octiduum natus erat. Cur vero eiusmodi agnellus seligebatur ? Longius petita videtur explanatio *Keil*, fuisse illum imaginem populi per conversionem novae vitae restituti. Ex Lev. 22, 17 sqq. animalia provectioris aetatis fere a sacrificiis excludebantur, cum longe facilius aliquo ex defectibus ibi enumeratis laborarent. Animalia tenerioris aetatis Deo esse gratiora, colligi poterat inde, quod toties animalia « annicula » pro sacrificiis praescriberentur.

v. 10 « *Factum est autem* », — pro *autem* verte *enim* : explicatur modus, quo exauditus est (v. 9) Samuel a Domino — « *cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere praelium contra Israel; intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos et caesi sunt a facie Israel* ». Addit de suo terraemotum *Ios.*, in amplificando s. textu non raro liberior ; sed Iob 37, 4 eadem expressio certe solum tonitru significat. Ita etiam Eccli. 46, 19 sqq. nostrum textum intellexit : « Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati » (LXX lactentis). « Et intonuit *de coelo* Dominus, et in sonitu magno auditam fecit vocem suam, et contrivit principes Tyriorum et omnes duces Philisthiim ». v. 11 « *Egressique viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthaeos et percusserunt eos usque ad locum, qui erat subter Bethchar* ».

LXX Βαιθχόρ· *Ios.* μεχρὶ Κορράιων, quod in idem redit. *Chald.* בית שרון ; *Syr.* בית ישן. Ultimam formam secutus *Wellh.*, putat esse Iesanam 2 Par. 13, 19. Eidem formae adhaerens *Houb.*, putat intelligi Sen v. 12 : « Quorum nos concordiam secuti sumus, quia idem utrobique locus agitur : id enim series persuadet. Ibi monumentum victoriae collocatur, ubi pugna commissa est, nempe inter Maspha et eum locum, ubi Israelitae fugientes hostes assecuti sunt ». Attentis consonantibus, quas diversae lectiones offerunt, neque improbabile est, fuisse primitus in textu בית חרון, Bethoron cf. 13, 18, quae urbs adiacebat itineri frequentatissimo Philisthaeam versus septentrionalem.

v. 12 « *Tulit autem Samuel lapidem unum, et posuit eum inter Masphath et inter Sen, et vocavit nomen loci illius Lapis Adiutorii, dixitque : Hucusque auxiliatus est nobis Dominus* ». Sen alibi non habetur et tamen exspectares, s. auctorem situm loci minus noti, Lapidis Adiutorii, per notiorem aliquem locum explicaturum fuisse. *LXX* verterunt *veterem*, legerunt igitur ישנה ; idipsum legebat *Syr.*, corrumpens בין in בית. Non tamen h. l. intelligi potest Iesana 2 Par. 13, 19 (*Ios.* Ἰσανά), urbs in finibus Ephraim sita, haud longe a Bethel et Ephron. Neque Esna (אַשְׁנָה) Ios. 15, 43, haud longe a Nesib, Ceila et Maresa in tribu Iuda sita ; nequaquam enim ex Maspha eo dirigi potuit fuga. Optime e contra quadrat Asena (אַשְׁנָה) Ios. 15, 33, prope Saream et Zanoam atque ad septemtrionem Socho et Azecae sita, locus, uti videtur, obvius iis, qui e Maspha fugerent Azotum. *Hucusque*, non « hucusque tantum », fortasse nonnihil longius.

HISTORIAE SAMUELIS CONCLUSIO

Victoria apud Lapidem Adiutorii absolvitur narratio suscepti a Samuele

iudicis officii, quam auctor Historiae Samuelis scribendam sibi proposuerat. Quinque versibus, quibus iam narratio concluditur, edocemur, ad quos limites Samuelis potentia pertigerit, et qua ratione intra illos iudicis officio functus sit.

v. 13 « *Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis* ». Verba sunt plana, sensus difficultatem parit. Et primum, quomodo negantur Philisthaei venisse in terminos Israel *cunctis diebus Samuelis*, qui eo tempore, quo Samuel Saulem unxit, omnia Hebraeis ademissent ferrea arma? Respondent plures, verba *cunctis diebus Samuelis* ad solam alteram, non ad primam versus partem pertinere. Quae responsio, licet sit minus obvia, admitti tamen potest. Dicimus autem minus obviam, quod s. auctor in eo esse videatur, ut universali quodam conspectu describat, quomodo Samuel iudicis munere functus sit : ergo singulae sententiae sensu obvio de « cunctis diebus Samuelis » intelligantur oportet, licet ea verba non singulis affigantur. *Malv.* : « Est proleptica narratio omnium, quae tempore Samuelis contra Philisthaeos contigerunt ». — Ea tamen responsione admissa manet illud, quod evidenter habet textus, Philisthaeos *non ultra* venisse in terminos Israel. Quod *Menoch.* explicat, non venisse « longo tempore » ; et *Himpel* non venisse, quamdiu acceptae cladis effectus perdurarent ; et *Sanct.* « Redierunt sane », inquit, « Philisthiim tempore Saulis et adhuc vivente Samuele, imo fortasse aliquando Samuele regnante, licet id raro et successu nullo ; verum quia post longum tempus et irrito conatu, dicuntur non ultra rediisse ». Sed nota, tria sententiae membra sibi in Hebr. simplici copula iuxtaponi : Et humiliati sunt, et non apposuerunt, et facta est. Cum ergo tertium membrum certe de cunctis diebus Samuelis affirmetur, sensus obvius sane est, idem esse *non ultra* secundi membri, atque *cunctis diebus Samuelis*. A sensu autem obvio, nisi ob solidas rationes, recedere non licet. — Sed oritur tertia et gravior difficultas ex verbis *Facta est itaque etc*, quorum sensus evidenter is est, totum illud tempus, quod cuncti dies Samuelis appellatur, fuisse Philisthaeis tempus cladium et prostrationis ; idque confirmat v. 14 enumerans urbes, quae illis fuerint ereptae non solum in montanis Iuda, sed vel in ipsa planitie Philisthaica. At quae nobis narrantur inde a cap. 13, longe diversam rerum conditionem describunt. Philisthaei in mediam Iudaeam penetraverant ; omnia Iudaeis arma ademerant ; Saulis victoria 14, 46 incompleta mansit ; brevi post Samuelis mortem Philisthaei 28, 1 viribus minime fractis ad certamen redeunt et Hebraeorum copias in monte Gelboe fundunt. Quomodo ergo vere scribi potuerunt verba illa *Facta est itaque etc* ? Vere scribebantur, si sat diu ante prophetae obitum scribebantur, quo tempore Philisthaei

nondum felicius dimicaverant. Priora septem capita conscripta fuere ante Samuelis mortem et ab ipso Samuele : cunctis diebus, qui eousque effluxerant, facta erat manus Domini super Philisthaeos, cunctis illis diebus non ausi sunt regioni Hebraeorum pedem inferre. Haec solutio praeferenda, quia nullam textui vim infert, omnia eius membra sensu obvio intelligi permittit.

v. 14 « *Et redditae sunt urbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth et terminos suos ; liberavitque Israel de manu Philisthinorum* ». Haec facta sunt in diebus Samuelis, citius aut serius. Contra *Vulg. Syr.* iungunt *Hebr. LXX Chald.* : *et terminos earum liberavit Israel.* — « *Eratque pax inter Israel et Amorrhaeum* ». De Amorrhaeis fit mentio, quia post Philisthaeos infensissimi meridiem versus Israelitis erant. Quam late ibidem patuerint, ostendit Num 13, 30 ; Ios. 5, 1 ; 7, 2. 7 ; 10, 5 ; Iud. 1, 34 ; 3, 5.

Obiicit *Then.*, otiose post urbium etiam terminorum liberationem referri ; quod evidens sit cum urbibus etiam terminos esse occupatos. Verum quoad urbes Philisthaeae finitimas illud evidens nequaquam est, neque raro, ipsis urbibus occupatis, difficile et operosum est, earum terminos ab inimicis purgare. — Geth et Accaron non dicuntur ipsae in potestatem Iudaeorum esse redactae ; sed linea describitur, quae pridem separaverat nuncque rursum separabat Philisthaeam et Iudaeam, linea ab Accaron descendens versus Geth. Quidquid illa linea includebatur, i. e. ad orientem eiusdem situm erat, in potestatem cessit Hebraeorum (*Est*). — Nondum compertum est, quo loco fuerit Geth.

v. 15 « *Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitae suae* ». Additur brevis conspectus rationis, qua Samuel iudicis munere functus est. Illud in totis his septem capitibus adverte, narrata inseri quidem vitae Samuelis, cuius breviarium aliquod singularum paragraphorum initio praefigitur ; in narratione tamen ipsa non tam Samuelis personae primas partes assignari, quam potius iudiciis et magnalibus Dei. Auctor vere modestus Samuel de se non plus loquitur, quam quod narrandorum series exigit. — Quomodo iudex fuit Samuel *cunctis diebus vitae suae* ? Filii 8, 1. 3 utique sub patre iudicis officio functi sunt. Quid vero de Saule ? *Sanct.* censet Samuelem paulo post unctum Saulem defunctum esse vita, et ita moraliter verum manere, illum *cunctis diebus vitae suae* iudicem fuisse. *Calm.* affirmat, etiam regnante Saule retinuisse Samuelem iudicialem potestatem ; additque *Clair*, id patere ex Davidis unctione facta regnante Saule, praefuisse Saulem exercitui, Samuelem vero summam imperii retinuisse. Verum ad ea, quae afferuntur, facta explicanda sufficit Samuelis prophetica auctoritas ; speciatim regum unctio alias etiam per prophetas effecta est 4 Reg. 9 ; licet Saul rei belli-

cae operam maxime navarit, plenam tamen et veram obtinebat regiam potestatem, qualem habebant reges gentium 8, 5, speciatimque potestatem « iudicandi », ib. Optima solutio est, quam tradidimus ad v. 13, haec septem capita scripta esse a Samuele ante regni institutionem, neque post hanc esse mutata : tum ad literam verum erat, iudicasse Samuelem Israel *cunctis diebus vitae suae*, qui sc. eousque effluxissent.

v. 16 « *Et ibat per singulos annos circuiens Bethel et Galgala et Masphath ; et iudicabat Israelem in supradictis locis* », v. 17 « *Revertebaturque in Ramatha ; ibi enim erat domus eius, et ibi iudicabat Israelem ; aedificavit etiam ibi altare Domino* ». Iudicialis regiminis *ambitus* et *ordo* describitur. Samuelis, sicut aliorum iudicum, auctoritas non ad omnes tribus, vel certe non ad omnes aequaliter se extendebat. Princeps sedes erat in Rama, civitate eius, in tribu Iuda ; meridionalis tamen eius tribus pars cum tribu Simeon tum se videtur intimius illi adiunxisse, quando visum est filios constituere iudices in Bersabee 8, 2. Robur reipublicae tum erat in tribu Beniamin, tam natura quam ob constantes Philisthaeorum incursiones bellicosissima ; quae tribus duo obtinebat fora iudicialia, Galgala et Maspha, dum tertium Bethel eiusdem finibus proxime adiacebat. In Bethel sane iudicabatur a Samuele tribus Ephraim, saltem potior eius pars. Tribus reliquae non ita immediate Samueli suberant ; suberant tamen, ut patet ex facto electionis Saul 10, 19 sq., et ex viris Iabes Galaad cap. 11 in angustiis ad Samuelem recurrentibus. — Samuelem enumerata loca etiam eo, quo in textu recensentur, *ordine* circuivisse, ex sequenti narratione colligi videtur. Saul cap. 9 convenit Samuelem sacrificium offerentem in *Rama* ; 10, 3 agitur de viris ascendentibus in *Bethel*, uti videtur, ibi sacrificaturis, unde supponere fas est, Samuelem tunc eodem sacrificiorum causa ascendisse ; *Galgalae* quidem non fit mentio ; sed mox 10, 17 populus *Maspham* convocatur. Ex 16, 5 patet, Samuelem ad alia quoque loca quandoque sacrificiorum causa venisse, quasi per modum exceptionis. — Tandem etiam his versibus confirmatur, quod diximus, describi rerum conditionem, qualis obtinuit, non usque ad mortem Samuelis, sed usque ad tempus eius mortem sat diu antecedens, quo ipse hanc narrationem conscripsit ; quo sc. tempore ipse nondum ita senuerat, ut iudicandi onus cum filiis dividere, novamque iudicii sedem in Bersabee instituere cogeretur.

Loci illi erant ex tota traditione augustissimi. In *Bethel* bis Deus Iacobo apparuerat isque « titulum erexit, fundens oleum desuper » (Gen. 28, 18 sq. ; 35, 14 sq.), unde nomen sibi Deus assumpserat « Ego sum Deus Bethel » (Gen. 31,

13); tandem locus ob antiquam religionem a Ieroboam cultu vitulorum aureorum desecratus est 3 Reg. 12, 28 sqq. *Galgala* prima populi electi statio cis Iordanem fuerat Ios. 4, 19; 5, 10 sq., inter Iordanem et Iericho sita. *Maspha* iam ante sacra Hebraeis fuerat Iud. 11, 11; 20, 1, sanctior nunc ob memoriam vividissime animis impressam ostensae ibi divinae protectionis. Ea loca iam ante altaria habuerant: altare *Ramae* exstructum v. 17 explicite commemoratur. — Miraberis inter loca sancta non recenseri *Silo*, quae sedes sacrorum fuerat inde ab occupata terra sancta Ios. 18, 1; 19, 51; Iud. 18, 31. Sed textus affirmat, post mortem Heli Samuelem, relicta Silo, Ramae sedem fixisse. Erat is effectus divinae reprobationis, quam contra Silo factam esse Ps. 77 (78), 60. 67; Ier. 7, 12. 14; 26, 6. 9 docemur, quamque divina revelatione Samueli innotuisse dubitare nefas est. Fortasse etiam Silo, post Israelitas in Ebenhaezer caesos, a Philisthaeis vastata fuit. Tabernaculum foederis, arca orbatum, postea (1 Reg. 21, 7) offendimus in Nobe, civitate sacerdotum Ithamaridarum, quae 22, 19 a Saul funditus destructa legitur. Inde translatum est in Gabaon (1 Par. 21, 29; 2 Par. 3), civitatem sacerdotalem (Ios. 21, 17), fortasse ideo etiam selectam, quod non longe abesset a Cariathiarim (Ios. 9, 17) et ita spem offerret arcae rursus tabernaculo inferendae. Quod tamen nunquam effectum est. Imo postmodum David, quando arcam de Cariathiarim transtulit in Ierusalem, non antiquum tabernaculum ex Gabaon requisivit, sed novum construxit 2 Reg. 6, 17; 7, 2; 1 Par. 15, 1; 16, 1; 2 Par. 1, 4; quod ipse vix fecisset, nisi de novo tabernaculo priori substituendo sibi constitisset. In tabernaculo hoc antiquo apponebantur panes propositionis 1 Reg. 21, 6, aderat altare aeneum 2 Par. 1, 5 et 6, et, uti dubitari nequit, offerebantur sacrificia lege praescripta, cf. 3 Reg. 3,4, ea fere ratione, qua longe post, in secundo templo, et ipso arca orbato, offerri consueverunt. Negari tamen nequit, illud tabernaculum, usque ad Salomonem, neglectum quodammodo fuisse, neque a plebe tantum sed ab ipso Samuele, qui nunquam ibi sacrificasse narratur, nunquam eo populum convocasse. Num id forte factum est ideo, quod sacerdotes Ithamaridae illud sibi tabernaculum tamquam rem suam vindicaverint et, tamquam palladium contra mala a Samuele sibi indicta 2, 27 sqq., ex una urbium suarum in alteram, eo inconsulto vel etiam obnitente, transportaverint, quem dein sacerdotum errorem s. auctor reverenti silentio suppresserit? Tribuit quidem ei tabernaculo Salomon honorem (3 Reg. 3, 4): at nonnisi post expletam Samuelis praedictionem domumque Ithamar definitive a pontificatu remotam (3 Reg. 2, 27). Tum etiam tabernaculum in Ierusalem translatum (3 Reg. 8, 4; 2 Par. 5, 5) et in quadam templi parte reconditum est.

Verum gravis hic solvenda superest difficultas, quomodo Samuel potuerit aliis, quam apud tabernaculum, locis altaria erigere sacrificiave offerre; et quomodo omnino sacrificare potuerit, cum ipse sacerdos e familia Aaronica minime esset. Et primum quidem plura recensentur iudicum tempore sacrificia, non apud tabernaculum oblata: Gedeonis (Iud. 6, 24 sqq.), Manue (13, 16 sqq.), aliudque in loco flentium (2, 5),

tandem sacrificia a Samuele in variis locis excelsis, non tamen antequam in iudicem esset electus, peracta. Duo priora, Deo diserte approbante, locum habuerunt; sacrificium prope Lapidem Adiutorii oblatum Deus portentoso eventu confirmavit; reliqua omnia ita referuntur, ut intelligamus, ea a s. auctore pro actis Deo acceptis haberi; nulla usquam reprehensionis nota affigitur. Quod 1 Reg. 13, 13; 15, 22 in Saule carpitur, non est sacrificii procul ab arca attentata oblatio. 16, 2 praetextus sacrificii in Bethlehem, ergo procul ab arca offerendi, ab ipso Deo Samueli suggeritur. Quae facta omnia insinuant, eiusmodi tum sacrificia de se, non solum vi particularis cuiusdam divini privilegii, licita fuisse. Ea vero, quae Lev. 17, 3 sq. enuntiatur, sub poena mortis lex, ut de quolibet animali mactato oblatio offerretur ad ostium tabernaculi, valet tantum pro tempore, quando Israelitae in deserto « in castris » versabantur, et pro terra sancta partialiter abrogata est Deut. 12, 15 et 21. Alia, quae Deut. 12 habentur, valent unice pro tempore exstructi templi. Quando sc. Israelitae requiem habituri sunt a cunctis hostibus per circuitum, et absque ullo timore sunt habitaturi (v. 10), tum « cave, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo quem elegit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias et facies, quaecumque praecipio tibi » (v. 13 sq.). Ergo ante exstructum templum non erat simpliciter illicitum, sacrificare alio, quam ubi esset arca, loco. *Theodoret.* : « Sacro templo nondum aedificato, Deum colebant in diversis locis. Piis enim et scopum legis scientibus locus quilibet locus Dei cultui consecratus erat ». *Est.* : « Per id tempus arca non habebat stabilem mansionem, idque usque ad tempus, quo templum fuit exstructum a Salomone; et interea putant non fuisse peccatum immolare in excelsis, modo vero Deo ». Rursum sacerdotibus Aaronicis unice licebat in tabernaculo immmolare; et hoc utique sensu dicitur Num. 3, 10 (cf. 18, 7) : « Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. Num. 16 interimuntur Core aliique ob attentatum sacerdotii apud arcam exercitium. Post aedificatum templum severe reprehenditur et punitur Azarias rex, quod incensum ipse adoleverit. Verum ante illud tempus plures, qui sacerdotes Aaronici non erant, cum laude sacrificavere. Ubi illud primum videndum, intelligendane sint ea sacrificia omnia *ministerio sacerdotum* stirpis Aaron esse oblata. Quod tamen adstrui nequit in sacrificiis Gedeonis, Manue, Eliae; et communiter negatur de Samuele, utvis affirment *Est.* in 1, 4 et 13, 12 et *Mar.* in 7, 9. Admisso igitur, Samuelem non adscito sacerdote sacrificasse, quo iure id fecerit ambigitur. Ubi plures eum coniiciunt speciali divino indulto seu dispensatione sacerdotem fuisse : *Sanct.* in 2, 35; *Tir.* in 2, 31; *Gord.* in 2, 35; *Lap.* in 7, 9; *Menoch.* in Lev. 17, 3; eodemque, uti videtur, sensu dicit *S. Thom.* (in Hebr. cap. 7 lect. 3),

fuisse « sacerdotium translatum in Samuelem ». E contra *Calm.* ad 13, 12 pluribus defendit, ante exstructum templum eodem iure et Samuelem et Saulem sacrificasse, quo licuerit aliis a tabernaculo locis sacrificare. Verum undenam fluebat illud ius? In lege mosaïca nullibi exprimitur. Erit ergo potius repetendum ex lege ante Moysen vigente et nonnisi exstructo templo ultimatim exstincta. Ubi quaestio nostra in alteram resolvitur, quando et quo ordine lex illa Moyse antiquior quoad Hebraeos fuerit abrogata. Legem quidem veterem nonnisi successione quadam esse promulgatam novimus: circumcisionem Abrahae tempore, alia vivente Moyse, sed diversis temporibus, dum, quae templum spectarent, nonnisi diu post obligandi nacta sunt vim. Potuit ergo lex etiam patriarchalis nonnisi successione aliqua apud Hebraeos abrogari, ut quae sacrificia spectarent, aliis utique quam prope arcam locis offerenda, vim suam retinuerint usque ad exstructum templum. — In hac opinionum varietate, rem in medio relinquimus.

HISTORIA SAULIS 1 Reg. 8-16.

Historia haec non tam artificiose, quam Samuelis Historia, disposita est. Narrationis genus planum, quae suapte natura in duas dividitur partes, quarum prior cap. 8-12 Saulis ad regnum assumptionem, altera cap. 13-16 eius ab eodem reprobationem describit. Utraque complures complectitur eventus.

PARS I. SAULIS AD REGNUM ASSUMPTIO 1 REG. 8-12.

1) Regni fundandi occasio 1 Reg. 8, 1-22.

ARG. — Hebraei ingruentium Ammonitarum terrore perculsi, Dei fiduciae immemores atque explendorum promissorum impatientes, Samuelis tamen senium et filiorum avaritiam praetendentes, regem petunt. Quos Samuel lecto regis iure a proposito deterrere frustra conatur; tandem in poenam admissi delicti regem promittere iubetur.

Cap. VIII v. 1 « *Factum est autem, cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel* ». v. 2 « *Fuitque nomen filii eius primogeniti Ioel, et nomen secundi Abia, iudicum in Bersabee* ». 1 Par. 6, 28 nomen Abia excidit, unde sequens vox ושני, « et secundus », a versionibus pro nomine proprio accepta est : « Vasseni ». Tamen *Syr.* ib. integrum textum servavit. Bersabee, cf. 3, 20, in extremitate meridionali terrae

sanctae sita erat : facile intelligitur, Samueli seni iter in loca magis dissita gravius accidisse (*Sanct.*). Ex v. 5 licet fortasse coniicere, Samuelem ad filios iudices constituendos fuisse inductum quaerelis seniorum, qui eum senio confectum suo muneri imparem esse praetenderent. Iam antea iterato iudicum filii patrum honorem participaverant Iud. 8, 22 ; 9, 2 ; 10, 4 ; 12, 9 et 14 ; sed res vix non semper successu caruerat, deterrebatque recens exemplum filiorum Heli, qui ad communionem patriae auctoritatis, etsi fortasse non praecise ad iudicis munia exercenda, tam infeliciter fuerant admissi. Cur igitur exemplo non est deterritus Samuel ? Respondeo : aliud medium ad pacandas seniorum quaerelas non praesto erat, insuper filiorum institutio erat ad tempus tantum, norat enim (v. infra) sanctus senex, ipsum regnum aliquando per se fore instituendum. Neque dubium, cum filios longe severius admonuisse, quam admonuerat Heli. Quod ambos constituit in Bersabee, ratio fuit, vel quod plures ibi essent difficultates (*Clair*), vel quod ea regionis pars Samueli intimius adhaereret, vel quod munimentum probitatis reputaret convictum fratrum religiose educatorum. Ex v. 4 sq. elucet, patuisse recursum a filiis ad parentem. v. 3 « *Et non ambulaverunt filii illius in viis eius* » ; suas Samuel vias praeclare describit cap. 12 ; « *sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt iudicium* ».

Hebr. deflexerunt iudicium. Qui tropus plenius exprimitur Prov. 17, 23 : « ut deflectant semitas iudicii ». Iudicium, uti patet v. 11 sqq., non est ipsum ius, sed iuris pronuntiatio, quae utique, ut genuina sit, cum ipso iure concordare debet. Omne iudicium praetendit esse iustum et via ad iustitiam seu ius. Qui iniquum profert iudicium, hanc viam deflectit, ut non iam ducat ad ius.

v. 4 « *Congregati ergo universi maiores natu Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha* ». Solis senioribus Iuda et Simeon causa erat de filiorum rapinis conquerendi ; simul tamen reliquorum quaerelae revixerunt, prophetam suo officio ob senium imparem esse. Fortasse sub his etiam quaerelis latebat reliquarum tribuum contra tribum Iuda, e qua iudex esset oriundus, et tribum Beniamin, quae cum illa vix non omnes urbes principes finibus complecteretur, aemulatio aliqua, ob earum tribuum indubiam tunc temporis praeeminentiam. Iampridem, novo assurgente iudice, consueverat simul eius domus et tribus principatum inter reliquum populum obtinere, quem non semper aequo animo reliquae tribus ferebant, omnium minime praepotens tribus Ephraim. Gedeoni, e tribu Manasse oriundo sed Ephraimitis affinitate iuncto (Iud. 8, 31), infensa fuit tribus Ephraim (8, 1). Cui successere Abimelech et Thola, ille ex matre, hic domicilio (10, 1) Ephraimita. Contra Iephthe rursum rebellaverunt Ephraimitae (12, 1-6), ex quorum tribu, aliis duobus interiectis,

fuit Abdon iudex (12, 13). Praeterea Silo oppidum erat in tribu Ephraim. Minime igitur mirum est, aemulationem quamdam exstitisse tribuum septemtrionalium contra tribus meridionales seu, secundum loquendi usum s. scripturae familiarem, Israelis contra Iudam ; quippe longe antiquior Davide et Roboamo fuit haec nationis divisio.

v. 5 « *Dixeruntque ei : Ecce tu senuisti, et filii tui non ambulant in viis tuis : constitue nobis regem, ut iudicet nos, sicut et universae habent nationes* ». Haec verba quasi verbotenus desumpta sunt ex Deut. 17, 14 sq. : « Cum ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris : *Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes* ; eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit ». Institutio regis, teste ipso Deo, futura erat exoptanda ad « possessionem » terrae sanctae in tuto ponendam. Rex uniturus erat circa se totum robur nationis, ad repellendas gentes circumhabitantes. Iudices id nonnisi imperfecte praestiterant ; nam fere post singulos iudices res publica Iudaeorum collapsa erat. Regia successione stabilita perduraturum erat centrum politici roboris. Iudicibus quandoque nonnisi paucae tribus adhaeserant : rex sibi iure suo vindicaturus erat tribuum universarum obsequium. Neque tantopere timendum erat, ne tribus, ex qua sumeretur rex, alias tribus opprimeret : cum e regis utilitate futurum esset, omnes sibi tribus permanenter conciliare.

v. 6 « *Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent : Da nobis regem, ut iudicet nos* ». Non hoc Samueli displicuit, quod eum exhaustum senio dixerint, aut filiorum nequitiam carpserint, aut ipsum filiosque ab imperio removere studuerint. Quin potius sentiebat ipse, quod Gedeon Iud. 8, 23 : « Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus ». Quod Samueli displicebat, erat ipsa *regis petitio* (*Sanct.*). At haec non erat mala de se, erat enim petitio favoris a Deo praedicti et promissi ; neque ex verbis, quibus petebatur, erant enim ea fere verba Deut. 17, 14 ; ergo mala erat ex adiunctis quibusdam. Aliunde dubitari nequit, populum petendo regem *grave* admisisse peccatum. Quomodo secus dicere potuit Deus « Abiecerunt me » (v. 7) ? aut Samuel eos v. 9 sqq. tam solemniter contestari ? aut tandem 12, 19 populus se reum peccati confiteri, quod mortem mereretur ? Agebatur ergo de peccato, quod grave erat, et cuius gravitas ab omnibus facili ope agnosci potuisset.

Absurde hellenizat *Ios.*, asserens Samuelem stomachatum esse « ob invisum sibi regium dominatum ; vehementer enim delectatum esse optimatium regimine, quod ea reipublicae forma utentes veluti divinos faciat et beatos ». Norat Deut. 17, 14 Samuel. Neque sufficitcum *Sacy* dicere, debuisse seniores filiorum Samuelis naevos

patientius ferre, aut certe nonnisi adhibita ad Deum oratione de universa regiminis ratione immutanda deliberare.

Eius peccati naturam penitius perspiciemus, si, quae fuerit occasio regis petendi, perpendamus. Quam non fuisse solum Samuelis senium neque filiorum iniustitias, 12, 12 edocemur ; ubi Samuel, post recensitum auxilium a Deo per Moysen variosque iudices contra hostes populo suo praestitum, ita pergit : « Videntes autem, quod Naas, rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi : Nequaquam, sed rex imperabit nobis ; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis, » i. e. rex vester sit. Et distinctius populi petitio explicatur 8, 19 sq. : « Nequaquam, rex enim erit super nos, et erimus nos quoque sicut omnes gentes, et iudicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis ». Unde patet, regis institutionem fuisse postulatam, non tam desiderio efficacioris gubernationis, quam *fidei fiduciaeque in Deum defectu*. Cf. *Menoch.* (ad v. 30), *Calm.*, *Lap.*

Dominus fuerat et erat rex populi Israel, eum per politicas institutiones plus minusve perfectas firmiter semper atque secure gubernans. Ipse tot annis per Samuelem salutariter atque gloriose populum rexerat. Imminente iam rege Naas, seniores Samueli dicunt « Ecce tu senuisti », non iam idoneus es populo ad certamen ducendo ; quasi Samuel antehac in robore brachii sui salvasset Israel. Ita revera « abiiciunt » Samuelem, verum non ipsum solum, sed cum ipso Deum. Rursum, dicendo « Et erimus nos quoque, sicut omnes gentes » non solum exprimunt, suas hucusque institutiones politicas quadamtenus imperfectiores fuisse institutionibus aliarum gentium, sed protestantur, se simpliciter inferiores esse illis, cum tamen speciali divina electione et protectione longe efficacius illis defendantur.

Sed nondum ad plenam eius peccati atrocitatem pertigimus. Duo in Deut. Dominus, tamquam ad perfectum reipublicae Israeliticae statum pertinentia et inter se intime connexa, praedixerat atque promiserat : institutionem unici cuiusdam et permanentis centri universi cultus religiosi (tum alibi, tum Deut. 17, 8. 10), et institutionem unici et permanentis centri politici seu regni (ib. v. 14 sqq.). Haec duo Israel iudicum aetate brevi a Domino ipso efficienda exspectaverat ; haec, anticipato divino instinctu, humana industria atque virtute efficienda suscipere, supremae impietatis erat. Ita vel Gedeon senserat Iud. 8, 23. Tandem post longum silentium, ineunte aevo Samuelico, voces propheticae auditae sunt, promissionem brevi implendam esse annuntiantes. Celebrabatur in fine cantici Annae 2, 10 regni institutio ut imminens ; nec absurde supponimus, ipsum Samuelem mature gnarum fuisse, sibi

primum regem divino decreto ungendum reservari. Audita fuerat vox prophetae 2, 35, ruinam sacerdotii Ithamaridarum et sequentem alterius sacerdotii instaurationem cum regni institutione re et tempore coniungentis. Iamque Dominus ipse a verbis ad facta gressum fecerat, iam domus Heli humiliata iacebat, penitius adhuc 2, 18 prosternenda. Iam domus Silo prostrata locum dederat alteri sanctuario consecrando. Iam faustioris aevi initium arca ex captivitate redux portendebat. Orabat Samuel, orabant veri Israelitae omnes, ut Dominus coepta perficeret, tempus et personam faceret notam : cum ecce impatientia senilis prophetae imbecillitatis terrorque Ammonitarum irrumpentium vertigine plebis mentes abripuit, neque plebis tantum sed etiam seniorum, ut operi Dei temerarias admoverent manus et, circa prophetam collecti, conclamarent : « Constitue nobis regem ! » Peccatum istud fuit, peccatum grande.

« *Et oravit Samuel ad Dominum* ». Samuel, veri nominis propheta, in omnibus (cf. v. 10. 21. 22) Dominum consulit, ita practice senioribus in memoriam revocans, quodnam esset fundamentum securitatis Israel. v. 7 « *Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi in omnibus, quae loquuntur tibi ; non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos* ». Si solum te repudiassent, iuste eos punires denegando petita ; quia vero me repudiaverunt, severiori poena plectendi sunt, petitorum concessione. *Calm.* : « Iratus Deus ea concedit, quae misertus negaret ». Hinc patet, regnum Saul fuisse concessum Hebraeis in poenam peccati, fuisse dispensationem irae, fuisse regnum antecedenter conditionate reprobatum, praevisa simul conditionis expletione futura, non illud, quod Dominus in Deut. promiserat quodque in Davide impletum est.

v. 8 « *Iuxta omnia opera sua, quae fecerunt* » — *mihi* supplet *LXX*, recte quoad sensum — « *a die, qua eduxi eos de Aegypto, usque ad diem hanc ; sicut dereliquerunt me et servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi* ». Ad *consolandum* prophetam Deus descendit. Solamen in eo est, ut sciat Samuel se Deum habere *socium* repudiationis ; dein ut sciat, quae *nunc* ipse patiatur, ea *dudum* passum esse Deum. Sicut me, inquit, a saeculis habuerunt, sic habent te nunc. Quomodo autem fuerit habitus, explicat. Sicut me post tot tantaque mirabilia dereliquerunt, ita te post tot praeclare gesta derelinquunt ; sicut me repudiaverunt pro idolis inanibus, ita te repudiant pro rege mere humanae auctoritatis. v. 9 « *Nunc ergo vocem eorum audi* ». Post servum suum consolatum, Deus sententiam v. 7 prolatam repetit atque confirmat. Concedit tamen aliquod resipiscentiae spatium, iubens Samuelem, ut *regis ius*, explicet et sic eos a postulando rege deterreat. « *Verumtamen contestare eos, et praedic* » (explica) « *eis ius regis, qui regnaturus est super eos* ». Hoc *ius regis* non

intelligitur, quale a natura et a revelatione definitur, nam quaedam in sqq. certe iniustitiam sapiunt. Cf. *Beda*, *S. Thom.* 1. 2ae q. 105 a. 1 et 2: de Regim. Princ. II. 9 et 12; III. 11. Exprimit igitur regiam gubernationem, qualis de facto in Hebraeorum monarchia futura erat (*Clair*), ad instar gubernationis gentium. Quam proponi iubet Deus ad populum a rege postulando deterrendum, eratque ad eum finem tanto efficacior ex eius discrepantia a « iure Samuelis » ipsius, quod ipse 12, 2 sq. tam pulchre describit. Quinimo, neque filiorum Samuelis administratio tanta, quanta hoc *ius regis*, populo imponebat onera.

v. 10 « *Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem* », v. 11 « *et ait : Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis* ». Seniores in petendo rege eam secuti fuerant illusionem, inter novarum rerum studiosos non infrequentem, ut gratuito supponerent, constanter se nacturos esse *bonos* reges. Samuel vicissim procedit ad describendas imperfectiones omnibus illius aevi regnis suapte natura communes. De facto reges iudicibus peiores fuerunt, cf. Eccli. 46, 13 sqq. et 49, 5 sq.; a S. Paulo Hebr. 11, 32 sqq. fides celebratur iudicum et prophetarum, non regum.

« *Filios vestros tollet, et ponet in curribus suis, facietque sibi equites et praecursores quadrigarum suarum* ». Agitur de curru in pompis, non in proeliis adhibendo, de lectis servis, non de militibus. Sequens membrum est de ducibus militum. v. 12 « *Et constituet sibi tribunos et centuriones, et aratores agrorum suorum et messores segetum, et fabros armorum et curruum suorum* ». *Hebr. : Et (tollet eos) ad constituendos sibi duces super mille et duces super quinquaginta, et ad arandum arationem suam et ad metendam messem suam, et ad fabricanda vasa armaturae eius et vasa currus eius.* A nobilioribus ad humiliora officia descendit. Cum eo regis obsequio confer libertatem vel potius licentiam epochae iudicum Iud. 21, 24 : « In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat ». v. 13 « *Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias et focarias et panificas* ». Voces hebr. eandem omnes terminationem habent, quod *Vulg.* in duabus prioribus imitata est. *Focaria* est ancilla in culina serviens, *Hebr. coqua.* Filiabus tribuuntur officia ad cultum et nutritionem corporis spectantia. v. 14 « *Agros quoque vestros et vineas et oliveta optima tollet, et dabit servis suis* ». Beatum vitae otium 3 Reg. 4, 25 ita describitur : « Habitabatque Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua ». v. 15 « *Sed et segetes vestras et vinearum reditus addecimabit, ut det* », sc. decimam, « *eunuchis et famulis suis* ». Notat *Calm.*, Deum iam Lev. 27, 30 sqq. decimas sibi reservasse, easque Num. 18, 21 levitis concessisse; ergo hae decimae regiae futurae erant alterae,

praeter leviticas, decimae. Utrum de facto a regibus fuerint exactae, non liquet. Addecimatio de se satis gravis est civibus, gravior etiam, si non in necessarios usus, sed in gratificando aulicis expendatur. v. 16 « *Servos etiam vestros et ancillas et iuvenes optimos et asinos auferet, et ponet in opere suo* ». *Optimos Chald. Syr.* intellexerunt *formosos* ; sed sensus est « robustos ». v. 17 « *Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi* ».

ואת, *quoque*, hoc versu restituendum ex *Vulg. LXX Syr.* Quae copula singulis versibus, simul cum verbis tollendi et decimandi et suffixo possessivo *vestros, vestras,* constanter repetita exprimit, sub regia administratione requisitionum et vectigalium non fore finem neque mensuram. Quibuscum conferas Samuelis integritatem 12, 2 sq. descriptam. Nota, quae v. 11-17 describuntur, non esse de se iniusta ; regem servos sibi et etiam splendorem quemdam vitae comparare, quis vituperet ? ipso v. 14 non est sermo de agris vi nulloque persoluto pretio abripiendis. Tota nihilominus descriptio suggerit, facillime reges in rebus istis omnibus ad excessum et iniustitiam progressuros esse. Cum *keri* et *LXX* legunt v. 16 *Then., Keil, Wellh.* pro « iuvenes » « boves », ut boves et asini symmetrice opponantur servis et ancillis : at, etiam secundum lectionem receptam, pulcherrima in enumeratione est gradatio. v. 11-14 recensentur ea, quae rex sibi integre ablaturus sit : filii, filiae et optimi agri. Sequuntur ea, quae rex partim tantum sua faciet ; decimabit segetes et greges ; labores pro suo commodo requiret, primum servorum et ancillarum, deinde robustissimorum quorumque e filiis familias, iis sc. qui non iam v. 11 sqq. ad obsequium perpetuum fuerint requisiti, tandem ipsorum iumentorum. Dices : quare greges decimandi (v. 17) non recensentur cum aliis decimis, sed interponuntur v. 16 angariae ? Ne hoc quidem ratione caret. Hebraeis tum alendis gregibus imprimis studentibus nihil carius erat gregibus. Levius ferebatur liberorum avocatio, quibus regi famulari utique proderat ; levius agrorum decimatio et angariae a familia exactae ; gravissima erat gregum decimatio, et quasi «servilis » conditionis apex.

v. 18 « *Et clamabitis* » — *Hebr. Chald. Syr. ululabitis* — « *in die illa a facie regis vestri* », auferentis et decimantis, « *quem elegistis vobis : et non exaudiet vos Dominus in die illa, (quia petistis vobis regem)* ». Ultima verba ex *LXX* post Hier. in *Vulg.* transiere (*Verc.*). Regia auctoritas tunc erit legitime constituta, vobis petentibus, Deo petitioni annuente.

v. 19 « *Noluit autem populus audire vocem Samuelis* », quem fidelem Dei prophetam 3, 20 et sapientem consiliarium tot annis erant experti, quem norant Deum in hoc negotio (v. 6) consuluisse, et verba Domini (v. 10) esse prolocutum, « *sed dixerunt : Nequaquam* » a petendo rege desistemus (*Vatabl., Malv.*) ; « *rex enim erit super nos* », v. 20. « *et erimus nos quoque sicut omnes gentes* », hucusque enim inferiores

eramus illis (cf. dicta ad v. 6) ; « *et iudicabit nos rex noster, et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis* » ; et ita, re militari efficacius instructa, hostium incursiones tandem reprimentur. *Greg.* : « Magnae quidem temeritatis exstitit, contra Dei voluntatem regem petere ; magnae duritiae, consiliis prophetae vinci non posse ». v. 21 « *Et audivit Samuel omnia verba populi, et locutus est ea in auribus Domini* ». v. 22 « *Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem eorum et constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel : Vadat unusquisque in civitatem suam* ». Recte *Ios.* complet sententiam : « Opportune autem vos accersam, quando a Deo didicero, quem vobis regem designet ».

Ter Dominus pronuntiat : « Vocem eorum audi », et ita decretum eligendi Saulis confirmat. Verum haec electio, ut ante dictum est, fuit dispensatio irae, fuit poena infidelitatis et pusillanimitatis populo inflicta, quas culpas Deus in V. T. constanter assueverat severe punire. *Quare totum Saulis regnum, inde ab ipsa eius electione, sigillo insignitum erat reprobationis.* Ita *S. Aug.* (36. 600) : « Saul enim rex non ad permanendum electus a Domino, sed secundum populi cor durum et malum datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem ». Et *S. Cyprian.* (4. 395) : « Cum Samuel sacerdos a Iudaeorum populo ob senectutem contemneretur, exclamavit iratus Dominus et dixit : Non te spreverunt, sed me spreverunt. Et ut hoc ulciscetur, excitavit eis Saul regem, qui eos iniuriis gravibus affligeret, et per omnes contumelias et poenas superbum populum calcaret et premeret, ut contemptus sacerdos de superbo populo ultione divina vindicaretur ». Eam reprobationem ipsa regis ex Gabaa origo adumbrabat, qua civitate vix ulla inter Hebraeos foediore scelere fuisset desecrata (Iud. 20). Adumbrabat origo ex tribu Beniamin, cui, post sceptrum Iudae promissum, regnum permanenter conferri nequaquam poterat. Seligebatur « lupus rapax » (Gen. 49, 27), qui gregem summi pastoris oblitum pasceret. Probatio quidem Saulem manebat 10, 8 praenuntiata ; in qua cum defecisset, 13, 13 ei dixit Samuel : « Quodsi non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum ». Sed eam selegit Deus probationem, in qua defecturam eius virtutem, et quia defecturam praevidebat. Cave tamen, ne *regni* Saul reprobationem cum ipsius *Saul* aeterna reprobatione confundas, quam quidem insecutam esse aliqui curiosius affirmant. Toto coelo duo haec distant. Saulem gratia manebat. Neque ita certo constat, ut suo loco videbimus, Saulem 13, 9 graviter peccasse, divina quippe prohibitio 10, 8 satis obscure exprimebatur ; neque eum graviter tum peccasse, sequitur ex abiudicato illi regno, cum Dominus etiam praeter hominis culpam sua possit revocare beneficia.

2) Saulis unctio 1 Reg. 9, 1-10, 16.

Arg. — Promiserat Deus regem in poenam praesumptionis constituen-

dum : virum iam ipse ad Samuelem deducit. 9, 1-13 describitur Saulis origo atque adeundi Samuelis occasio. 9, 14-10, 8 narratur, quomodo propheta Saulem perquam honorifice exceptum, nullo adhibito teste, unxerit, ei tria quibus se vere regem a Deo constitutum esse plenius perspiceret, signa praenuntiaverit, simulque futuram indicaverit fidelitatis probationem. 10, 9-16 signa impleta demonstrantur.

Cap. IX v. 1 « *Et erat vir de Beniamin, nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Iemini, fortis robore* ». Pater Cis 1 Par. 9, 35 vocatur « pater Gabaon », unde patet, eum fuisse in urbe Gabaon opulentum et quodammodo principem. Unica laus, quae tribuitur Cis, est *fortis robore* (*Vulg. Syr.*), *LXX* δυνατός. Expressio etiam (cf. Ruth 1, 2 et *Ges.*), sed non necessario, significat « pollens opibus » : cum 1 Par. 9, 36 sq. decem filii patris Cis recenseantur, licebit dubitare, singuline fuerint « pollentes opibus » ; tamen sensus expressionis h. l. certo definiri nequit. Seror, Bechorath, Aphia secus in s. scriptura non nominantur. *Filii viri Iemini*, i. e. Beniaminitae cuiusdam, cuius nomen ignoraretur : haud mirum, si post ingentem Beniaminitarum stragem Iud. 20 et 21 non iam singulorum genealogia perfecte sciretur.

Et erat vir de Beniamin — ita textus omnes. Tamen *Wellh.* censet, textum esse corruptum et prius scriptum fuisse « vir de Gabaa » vel simile quid. Rationibus innititur his : quod modo eiusdem viri Beniaminitica origo iterum efferatur (*filii viri Iemini*) ; quod generatim solent s. auctores habitaculum indicare notabiliorum personarum ; quod Saulis domicilium eo magis indicandum fuerit, quod secus locum ignoremus, unde eius iter tam accurate descriptum initium sumpserit. At voces *filii viri Iemini*, i. e. Beniaminitae (cf. 2 Reg. 20, 1 ; Est. 2, 5), non adiiciuntur, ut Saulis Beniaminitica origo secundo efferatur, sed ut indicetur eum inter Beniaminitas fuisse ignobilis stirpis (cf. 9, 21), cuius non plus quam quinque membrorum nomina memoriae fuerint prodita. Deinde non semper (cf. Iud. 3, 15) s. textus domicilium virorum eximiorum indicat, potuitque illud h. l. tanto facilius supprimi, quod cunctis in viro tam famoso fuerit notissimum, et brevi in s. textu nominandum.

Pater Cis 1 Par. 9, 35 dicitur Iehuel (kethib) vel Iehiel (keri), formae evidenter formae Abiel affines. 1 Reg. 14, 51 discimus, Cis habuisse fratrem Ner, cuius filius fuerit Abner ; Ner frater Cis, etiam recensetur 1 Par. 9, 36, et evidenter excidit ib. 8, 30, cum secus eius mentio v. 33 explicari non possit. 1 Par. 8, 33 et 9, 39 dicitur : « Ner autem genuit Cis, et Cis genuit Saul ». Una solutio est, ut duos Ner et duos Cis in genealogiam introducas, ita ut Iehiel vel Iehuel genuerit Cis et Ner, qui Ner per Abiel genuerit alterum par fratrum, Cis et Ner. Sed cum in Par. toties nomina propria sint alterata, planius cum *Bertheau* (Die Bücher der Chronik, Leipzig 1854) supponimus, primitivam 1 Par. 8, 33 ; 9, 39 lectionem hanc fuisse : « Et Ner genuit Abner, et Cis genuit Saul ». Alius solutionis meminit *Drus.* : « Reperi in Vaicra Rabba, fundamentale nomen fuisse Abiel, quem Ner cognominarunt, eo quod succenderet lucernas in ingressibus caliginosis ». En quomodo oriuntur traditiones rabbinicae ! —

v. 2 « *Et erat ei filius vocabulo Saul, electus et bonus ; et non erat*

vir de filiis Israel melior illo : ab humero et sursum eminebat super omnem populum ». Nomen Saul nomini Samuelis affine. Sed nota differentiam : Samuel « impetratus a Deo » appellatur 1, 20, Saul « impetratus », impetratus sc. populi impatientia. Non tamen sequitur, fuisse nomen impositum ab eventu, cum nomen Saul non fuerit infrequens, et speciatim primogenitis filiis convenientissimum. — Recte *Vulg. Syr. electus et bonus*, quod videtur esse ἐν δὲ ἀοιῦν, et explicatur sequentibus, ut sit robur et proceritas seu, si melius placet, virilis pulchritudo. Perperam *Chald. iuvenis et pulcher* : nam Saul, qui iam tum haberet filium adultum, non poterat dici iuvenis. Urget *Keil*, Saulem fuisse « comparative » iuvenem, comparatione sc. patris Cis : at hac ratione etiam Noe, cum quingentorum esset annorum, iuvenis erat.

v. 3 « *Perierant autem asinae Cis, patris Saul* », — *Hebr.* habet articulum, ergo omnes asinae eius (*Then.*) ; non videtur tam multas numero habuisse — « *et dixit Cis ad Saul filium suum : Tolle tecum unum de pueris, et consurgens vade et quaere asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim* », v. 4 « *et per terram Salisa, et non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, et non erant ; sed et per terram Iemini, et minime repererunt* ». Saul certe profectus est de Gabaa, quae postea vocata est Gabaa Saulis, 10, 26 ; 11, 4 sq.

Quae fuerint terrae Salisa et Salim nescimus. Nomen habebant aut a possessore, aut a natura loci, aut ab alia aliqua re : temerarium est, ex similitudine cum quibusdam modernis nominibus quidquam concludere. — Terram Iemini iam *Chald. Syr.* intellexerunt terram tribus Beniamin, sine sufficienti ratione. Demus, « terram Iemini » reapse designare posse terram Benianim, sicut « vir Iemini » virum Beniaminitam. Sed num nomen Beniamin post patriarcham nemo habuit ? Certe nomina Iuda vel Iudas, Gad, Simeon, Levi, Ioseph, Manasses ab aliis quoque post patriarchas gesta sunt. Inter Simeonitas exstat vir Iamin Gen. 46, 11, cuius progenies Num. 26, 12 Iemini vocantur. In tribu Iuda 1 Par. 2, 27 habetur Iamin, inter levitas 2 Esdr. 8, 7 Iamin. Praeterea « terra Iemini » potuit designare campum australem, vel prae ceteris fertilem. Ergo nihil de situ horum locorum definiri potest.

v. 5 « *Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad puerum, qui erat cum eo : Veni et revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, et sollicitus sit pro nobis* ». Terra Suph, in qua erat Rama, nomen videtur obtinuisse a Suph, Elcanae proavo, cf. 1, 1. — *Hebr.* : *ne forte desistat* (*mente*) *ab asinis*. Erat is ex v. 20 tertius ab amissis asinis dies, neque longe aberat ex v. 13 tempus coenae vespertinae. Quodsi ergo supponamus, Cis primo post amissas asinas mane Saulem misisse quaesitum, abfuerat hic iam domo amplius die cum dimidio. Poterat ea, quae supererat, diei parte, si recta via tenderet, domum repetere.

v. 6 « *Qui ait ei : Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis ; omne, quod loquitur, sine ambiguitate venit. Nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus* ». *Vir Dei est in civitate hac* idem sonat, quod « habitat », ut iam sensit *Ios.* vocans civitatem Ramatham ; puer a priori sciebat, ibi degere prophetam ; propheta ibi habebat domum ; civitas erat in terra Suph. Ceterum verba produnt, locum et prophetae personam et nomen Sauli fuisse ignota : secus puer dixisset : Ecce Samuel est in civitate hac. Cf. v. 18, ex quo patet, Saulem tum Samuelem prima vice vidisse. Ergo Rama et Gabaa erant satis longo intervallo separatae. — *Nobilis* seu honoratus dicitur Samuel *propter dignitatem prophetiae* (*Syr.*). v. 7 « *Dixitque Saul ad puerum suum : Ecce ibimus. Quid feremus ad virum Dei? Panis defecit in sistarciis nostris, et sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud* ».

V. 6 אשר־הלכנו עליה recte *Vulg. propter quam venimus*, non « super quam ivimus, et adhuc imus » (*de Wette, Then., Keil*). Si propheta tantum de hac altera via responsum dedisset, significans v. g. eam fuisse falsam, non esset satisfactum inquirentibus, qui viam asinarum nosse cupiebant. Cf. v. 8 « ut indicet nobis viam nostram ». — v. 7 pro *nec quidquam aliud* habet *Hebr. quid nobiscum*, ubi supplendum « est », ergo « quid habemus ? » Eum esse sensum patet ex responso pueri, quod haberet, proferentis. *Syr.*, sicut *Vulg.*, interrogationem in affirmationem vertit : Nihil habemus. Minus exacte *Chald.* : *Quid nobis faciendum ?* — תשורה *Chald.* derivavit a ישר, ergo id quod rectum, debitum est : *Syr.* a שור *itinerarium* (si tamen ea radix genuina sit), ergo *viaticum ; Vulg.* indeterminate *sportulam*, i. e. donum. *Calm.* : « Ex universa scriptura constat, nunquam adiri consuevisse prophetas, quin ferrentur munera in obsequii et grati animi significationem. Vetuit Deus, ne quis se coram numine vacuis manibus sisteret ; idem ferme a subditis reges et principes exigebant ; neque hodie pariter ab eo more cessatum est apud Syros ; nemo enim amicus amicum sine munere invisit ; idque si quis negligat, ille inofficiosus habetur et inurbanus ». Cf. **Num. 22, 7. 17 ; 3 Reg. 14, 1 sqq.**

v. 8 « *Rursum puer respondit Sauli et ait : Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti ; demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram* ». Quarta sicli pars fere aequat septuaginta octo centesimos. v. 9 « *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum : Venite, et eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns* ». Hac nota duo affirmantur, principalius unum, accessorium alterum. Principalius est popularium familiaritas, in suis quisque privatis difficultatibus videntem facile adeuntium, quod in posterioribus prophetis ita factum esse, non comperimus. Secundario docemur, vocem *videns* eo, quo nota scribebatur tempore, iam fuisse obsoletam ; quae quidem vox v. 11 primum usuvenit, sed concinnitatis ergo, quae de eius usu traduntur, adnectuntur priori

et principaliori notae, quae omnino huius loci est. Quod ignorans *Houb.* putavit verba post v. 11 esse transponenda.

Textus non affirmat, quod putabat *Cler.*, vocabulum *propheta* Samuelis tempore fuisse ignotum, sed solum vocabulum *videns* tum fuisse in usu, postea evasisse obsoletum. Usum vocis quod attinet, David 2 Reg. 15, 27, si tamen eius sermo de verbo ad verbum referatur, Sadocum *videntem* appellat. Samuel vocatur ראה 1 Par. 9, 22 ; 26, 28 ; 29, 29 ; נביא solum 2 Par. 35, 18. Hanani tempore Asae regis vocatur ראה 2 Par. 16, 7. 10, חזה 19, 2, נביא 3 Reg. 16, 7. Reliqui prophetae nonnisi duas supremas appellationes nanciscuntur. Si ergo supponamus, auctores Reg. et Par. illos terminos ex regni fastis transsumpsisse, licebit inferre, vocem ראה non ita diu post Asam regem in desuetudinem abiisse. Nam Is. 30, 10 ; 32, 3 eadem vox adhibetur ideo, quod ex antiquitate saporem quemdam poeticum derivet. — Liceat advertere, Saulem cum puero loqui de *viro Dei* (v. 6. 7. 8. 10), cum Ramathensibus (v. 11. 18) de *vidente*. Etiam propheta in Silo vaticinans 2, 27 vocabatur *vir Dei*. Ergo fortasse iam tum, qui prope Ramam dicebatur *videns*, apud tribus Beniamin et Ephraim idem dicebatur *vir Dei*. Qua dictionis discrepantia confirmatur, Ramam non fuisse sitam in tribu Beniamin aut Ephraim, sed in tribu Iuda.

Quis huius versus auctor sit, disputatur. Non utique Samuel, quo aetate iam multum provecto ea, quae narrantur, locum habuere ; nec ita verisimile est, eo quod superfuit, vitae eius tempore illum loquendi usum esse mutatum. *Beda* (91. 557) accedit sententiae quorumdam, versum Esdrae attribuentium, neque serioris facile originis potuit esse additamentum, quod in omnes omnino transiit versiones. Ex supra dictis auctor videtur fuisse Asa posterior. Potuit is esse unuslibet ex prophetis, in quorum scholis libri historici posteriores videntur fuisse asservati, quoad in canonem sunt recepti. Quae hypothesis ne inspirationi quidem versus officit, cum inspiratio non necessario debuerit restringi ad verba ipsius auctoris libri, sed potuerit extendi ad animadversiones aliquas a prophetis ante constitutum canonem adiectis. — Aliam explicationem tradunt *Then.*, *Wellh.*, *Clair* rati, versum esse glossam cuiusdam copistae, e margine manuscripti in textum translatam, tempore utique perantiquo, cum ea in versionibus omnibus legatur. Ubi advertas, critice constare aliquas eiusmodi glossas in versiones authenticas penetrasse ; ergo neque repugnare ; eiusmodi aliquas iam a. C. n. in textum hebr. irrepsisse. Non enim defendi potest, Deum magis providisse integritati textus hebr. quam graeci aut versionum authenticarum, magisve a. C. n. quam aevo christiano.

v. 10 « *Et dixit Saul ad puerum suum : Optimus sermo tuus ; veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei* ». Tota narratio suggerit, civitatem et nomen viri Dei fuisse Sauli ignota : ergo civitas non erat Rama Beniamin, quae minus horae itinere a Gabaa Saulis aberat.
v. 11 « *Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredi-*

entes ad hauriendam aquam, et dixerunt eis: Num hic est videns? » Vox articulum habet, ergo sensus est: Num ille videns, qui hic habitare consuevit, nunc ipsum adest in civitate? Fons in valle erat; mulierum, maxime puellarum, erat haurire aquam, cf. Gen. 24, 11 sqq.; Ex. 2, 16; Io. 4, 7. Gaudet hic spiritualiter *Sacy*, monialium Portus Regii moderator, quod detur Christianis quandoque occurrere animabus sanctis, illis puellis praefiguratis, quae aquam divinae benedictionis pro tota Dei civitate haustum eant. v. 12 « *Quae respondentes dixerunt illis: Hic est, ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso* ». *Ps. Hier.*: « Sacrificium in h. l. prandium intelligitur », i. e. epulum sacrificale, quo vescebantur convivae victima aliqua, non diu ante mactata. Ita etiam *Ios.* Neque enim v. 13, quod Samueli et populo praestandum supererat, mera « vescendi » voce exprimeretur, si ipsa mactatio, actio longe nobilior, nondum habuisset locum. Ex v. 23 sequitur, mactationem ante prophetae profectionem, ex qua modo revertebatur, esse factam: nam Sauli propheta proposuit portionem lectissimam, ergo e victima excisam, neque certe carnis minus recentis, quam quae ceteris apponeretur. v. 24 eadem portio dicitur esse seposita, quo tempore populus « vocabatur »: una autem erat invitatio quum ad ipsum sacrificium, tum ad epulum sacrificale, cf. 16, 5, et haec ante sacrificium obtinuerat. Ergo hic de solo epulo sacrificali est sermo.

Improbat *Wellh.*, puellas loqui numero singulari, cum duobus viris dicantur respondere. At, licet interrogatio et responsio duobus esset profutura, interrogatio ex ore unius processerat, ideoque responsio etiam ad unum dirigi potuit. — Sed quare *festinare* iubent puellae? Ut *ante* epulum Samuel conveniatur, cf. v. 13. Ceterum ex narratione intellige, peregrinos semper fuisse invitatos, dum loci incolae non semper omnes invitabantur. — Urget *Wellh.*, Samuelem hic describi modo reducem ex longinquo itinere, sed ex v. 23 patere, cum paulo ante coquum quaedam iussisse. Quam longinquum iter fuerit non indicatur; auctorne narrare nobis debuit minute, quidquid prophetam inter et coquum locum habuerit? tota difficultas evanescit, si supponatur Samuel non ex longinquo itinere, sed ex illis Naioth in urbem advenisse, de quibus cap. 19 dicetur. — במה, *Vulg. excelsum*, certissime collem seu montem significare patet ex Num. 22, 41 (cf. 23, 14. 27); 2 Reg. 1, 19. 23; Ier. 26, 18; Mich. 3, 12; Ez. 36, 2 (cf. totum caput). Qui vero loci si cum Num. 21, 28 variisque locis prophetarum conferantur, illico patet, במה non usurpari nisi aut sermone poetico, aut de collibus sacris. Est nomen constans eorum collium, in quibus sacrificia fiebant: cf. 3 Reg. 3, 4; 2 Par. 1, 3. Posteriores reges constanter aut vituperantur aut laudantur, ob cultum *excelsorum* aut toleratum aut abolitum. Is cultus quorsum fuerit licitus antiquitus, diximus in fine cap. 7. — Merito ex textu concludit *Clair*, in illo colle fuisse altare permanenter erectum, illud sc. quod Samuel

civitate sua Rama 7, 17 construxerat. Ergo ruit hypothesis *Keil*, cui fatetur interpretes fere omnes adversari, locum hunc, ubi primum convenerint Samuel et Saul, alium esse a Rama Samuelis.

v. 13 « *Ingredientes urbem statim invenietis eum, antequam ascendat excelsum ad vescendum. Neque enim comesurus est populus, donec ille veniat, quia ipse benedicit hostiae, et deinceps comedunt, qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie* », i. e. nunc ipsum (cf. *Wellh.* ad 1, 7), « *reperietis eum* ». v. 14 « *Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum* ». Hic versantur *in medio urbis*, v. 18 adhuc sunt *in medio portae*. Unde *Houb.*, litera una textus hebr. mutata, v. 18 portae substituit urbem, dum *Then.*, *Wellh.* pro urbe h. l. scribunt portam. *Clair* putat, Saulem in media quidem urbe Samuelem conspexisse, dein reflexo itinere, nam Samuel *obviam* illi venerat, ad portam usque esse comitatum, ibique esse allocutum. Solutionem simplicissimam tradit *Calm.*, בתוך quandoque idem esse, quod ב, cf. 3 Reg. 6, 19 ; 2 Esdr. 4, 22 (16) ; Gen. 9, 21 ; 18, 24 ; Is. 6, 5 ; Mich. 3, 3. Ergo h. l. Saul generatim asseritur fuisse *in* urbe, v. 18 accuratius *in porta* urbis. Vertebat iam *Vatabl.* « intra urbem ». — v. 15 « *Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam veniret Saul, dicens :* » v. 16 « *Hac ipsa hora, quae nunc est, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, et unges eum ducem super populum meum Israel, et salvabit populum meum de manu Philisthinorum, quia respexi populum meum* », — *LXX Chald. afflictionem populi mei* — « *venit enim clamor eorum ad me* ». v. 17 « *Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei : Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo* ». Hi tres versus parenthesis quaedam sunt. *Revelare auriculam* de locutione audibili dicitur, cf. Ruth. 4, 4 ; hic utique de ea, quae a solo Samuele audiri potuerit.

v. 18 « *Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portae, et ait : Indica, oro, mihi, ubi est domus videntis* ». Ergo nunquam antea viderat Samuelem Saul, quod fieri nequaquam potuit, si Samuel constanter in Rama Beniamin habitasset. Aliunde verba v. 16 « virum de terra Beniamin » suggerunt, Samuelem tum non in terra Beniamin moratum esse. v. 19 « *Et respondit Samuel Sauli dicens : Ego sum videns : ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie* », tu et puer tuus, « *et dimittam te mane ; et omnia, quae sunt in corde tuo, indicabo tibi* ». Honoris causa eum, qui a Deo electus esset rex, praecedere iubet (*Then.*). Vox *mane* ad verbum *dimittam* pertinet, non necessario etiam ad verbum *indicabo*. Ergo primum solvendum promittitur dubium de

asinis, quod illico v. 20 solvitur ; dein dubium, quod brevi in animo Saulis debebat exsurgere, genuinane esset sua vocatio, quod dubium solvitur variis 10, 2 sqq. praenuntiatis signis. Hic vero ponit generalem propheticae suae scientiae assertionem, ut Sauli reverentiam ingerat et fiduciam. v. 20 « *Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventae sunt* ». Assertionem illico confirmat argumento propheticae suae scientiae, ostendens se nosse, cuius negotii causa Saul advenerit. Simul sopit sollicitudinem omnem, ne, Saule apud ipsum morante, mali quidquam accidat asinis ; magnamque sui parit existimationem, qua opus habet in re regni manifestanda Sauli. « *Et cuius erunt optima quaeque Israel? nonne tibi et omni domui patris tui?* » Quare sollicitudine de pauculis asinis angaris, cum non hae solum, sed *omnia desiderabilia Israel* (*Hebr.*) te exspectent? Magis magisque compescit propheta sollicitudinem rerum minimarum, dirigens attentionem ad sublimiora. Intellexit utique Saul, sibi grande quiddam praesagiri ; unde v. 21 « *Respondens autem Saul, ait : Numquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israel? et cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Beniamin? Quare ergo locutus es mihi sermonem huiuscemodi?* » Minima dicitur tribus Beniamin, quod non ita diu ante clade Iud. 20 sq. narrata fuerit vix non exstincta. Ex responso patet, Saulem omnino intellexisse agi de regno. Quaestioni non respondet Samuel, priorem assertionem mox in convivio factis confirmaturus, simul Sauli tribuens tempus ad animum ad res magnas parandum.

מקטני שבטי, verbotenus *ex parvis tribuum* (*Chald.*). Sed videtur קטני esse obsoleta quaedam forma stat. constr. sing., ergo *de minima tribuum* (*Syr.*) ; vel, cum ipsum שבטי possit esse talis stat. constr. (cf. Iud. 20, 12), talisque certissime sit, ubi secundo in nostro versu recurrit, retineri potest versio *Vulg. de minima tribu.*

v. 22 « *Assumens itaque Samuel Saulem et puerum eius, introduxit eos in triclinium, et dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitati. Erant enim quasi triginta viri* ». Triclinium et ipsum in « excelso » situm erat, cf. v. 13. 19. 25. Sauli primus locus dabatur, certe non ideo tantum, quod hospes esset aliunde adventitius, sed simul ob eminentiam illi v. 20 praenuntiatam ; item puero non ideo solum, quod hospes esset, sed quod potior ceteris esset ille, qui famularetur viro, cuius essent « optima quaeque Israel ». v. 23 « *Dixitque Samuel coquo : Da portionem, quam dedi tibi, et praecepi, ut reponeres seorsum apud te* ». v. 24 « *Levavit autem coquus armum, et posuit ante Saul* ».

Vulg. LXX armum, sed *Hebr. Syr. armum et id, quod super eum erat*, quod explicat *Chald. coxam et femur*, i. e. totum crus ; mira tamen esset circumlocutio. Aliqui veteres, citati a Malv., « armum cum eo, quod proxime illi adhaerebat ». At utrum

id fuerit iusculum (*Maur.* ?), an adeps (*Clair*), aut aliud quid ; utrum armus fuerit dexter vel sinister, ex textu emungere non valemus, cum sacrificia excelsorum facta sint praeter legem mosaicam, ideoque fortasse eius legis rituali non subiacuerint. Nolumus silentio premere emendationem *Houb.* reapse obviam, licet nullo textu confirmatam, legentis אליה pro עליח, quo significatur pinguis cauda ovium, luculentum, ut initiati norunt, edulium.

« *Dixitque Samuel : Ecce quod remansit, pone ante te et comede, quia de industria* » — *Hebr. Chald. Syr.* habent *pro statuto tempore*, cf. v. 16, — « *servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa* ». — v. 25 « *Et descenderunt de excelso in oppidum,* » ubi domus erat prophetae, (« *et locutus est cum Saule in solario,) stravitque Saul in solario, et dormivit* ». *LXX* legebant, et quidem recte : וירבדו לשאול על הגג וישכב *et straverunt Sauli in solario, et dormivit* ; *Hebr. Chald. Syr.* : וידבר עם שאול על הגג וישכמו *et locutus est cum Saul in solario, et mature surrexerunt*. Sed quid locuti sunt ? Quare surgendi fit mentio, cum eorum somnus taceatur ? In *Vulg.* utramque lectionem commixtam habes, cf. *Verc.* — v. 26 « *Cumque mane surrexissent et iam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario* », — *Hebr. in solarium*, vocans sc. vocem dirigebat in solarium (*Houb.*) — « *dicens : Surge, et dimittam te* », te abscedentem honoris gratia nonnihil comitabor, quem sensum verbum etiam habet Gen. 18, 16 ; 31, 27. « *Et surrexit Saul, egressique sunt ambo, ipse videlicet et Samuel* ». v. 27 « *Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul : Dic puero, ut antecedat nos et transeat ; tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini* ».

Cap. X v. 1 « *Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput eius, et deosculatus est eum, et ait : Ecce unxit te Dominus super haereditatem suam in principem (et liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem* »). Altera versus pars tollenda videtur, quae in solis *LXX* habebatur, inde in *Vulg.* irrepsit. « At quis dixerit, undenam illud additamentum hauserint graeci ? *Houb.* autumat olim in hebr. codicibus exstitisse ; at multo nobis verisimilius videtur, ab ipsis graecis scriptoribus, ut alia huius generis non pauca, adiectum fuisse » (*Verc.*). Genuinum contendit *Then.*, debuisse Samuelem clarius quid sui consilii esset, Sauli manifestare. Fecerit sane, at verbis a s. auctore non recitatis ; verbis enim, quae uncinis inclusimus, vix quidquam Saul edocetur. Ceterum (cf. v. 6. 7) videtur Samuel Saulis instructionem pro maiori parte divinae inspirationi permisisse.

Deosculantur aequales aut propinqui : rex iudicis aequalis aut superior, prophetae propinquus est. — *Haereditas* seu possessio Domini appellatur Israel

duobus imprimis locis maxime solemnibus, in explicatione legis per Moysen facta Deut. 9, 26. 29, et in ultima eius oratione Deut. 38, 8 sq. Israel est haereditas et possessio Domini, quam prae ceteris gentibus omnibus sibi appropriavit, quam « custodivit quasi pupillam oculi sui » ; nemo eius legitimus princeps esse potest, quem non ipse ad hoc magis minusve directe vocaverit. — De unctione regia disserunt *Abul.*, et post eum *Sanct.*, *Calm.* aliique. Apud gentes Palaestinae affines viguisse videtur mos unctionis regiae, ut coniicitur ex Hazaelis, regis Syriae, exemplo 3 Reg. 19, 15. Etiam Iud. 9, 8, quo tempore Israelitae regibus adhuc carebant, describitur (*Hebr.*) regis institutio unctionis voce : « Ierunt ligna, ut ungerent super se regem ». Ungebantur certe reges Iuda, uti Ioas 4 Reg. 11, 12, Ioachaz 23, 30, etiam Absalom 2 Reg. 19, 10. E regibus Israel legitur unctus a propheta Iehu 3 Reg. 19, 16, plures alii a prophetis sane non sunt uncti, fortasse adulterinam unctionem receperunt a sacerdotibus excelsorum. Unctio fiebat effusione olei in caput (h. l.), quod erat oleum sanctum (Ps. 88, 21), de tabernaculo petitum 3 Reg. 1, 39.

Ad sequentia *Sanct.* : « Expediebat maxime, ut Saul sibi persuaderet, unctionem illam non esse ab homine, sed divinam ibi quoque auctoritatem intercessisse. Atque ideo *signa* illi dat certa, quae nemo nisi illustratus a Domino nosse potuisset ». v. 2 « *Cum abieris hodie a me, invenies duos viros iuxta sepulcrum Rachel, in finibus Beniamin, in meridie* ». Illud sepulchrum haud longe abest a Bethlehem, *in finibus Beniamin*, i. e. *prope* fines Beniamin, nam hunc quoque sensum praepositio ב habet, et locus Sauli describitur per illud, quod ipse prae ceteris norat, suae tribus fines. — De sepulchro Rachel acriter disputabatur, sed iam interpretes magis magisque revertuntur ad locum prope Bethlehem, cui tota adstipulatur traditio. Gen. 35, 19 : « Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quae ducit (a Bethel) Ephratham, haec est Bethlehem ». Cf. 48, 7, unde clarius patet, *prope* Bethlehem esse sepultam. Obiicitur Ier. 31, 15 : « Vox in excelso (LXX et Matth. 2, 18 : in Rama) audita est lamentationis, luctus et fletus Rachel » ; ergo, inquiunt, Rachel prope Ramam Beniamin sepulta erat. Sed Rachelis lamentatio non e sepulchro resonat, sed ex loco, in quo ipsa praesens adest posteris iamiam in exilium deducendis : cf. *A. Scholz* in Ieremiam, et *P. Schanz* in Matthaeum. Insuper vox hebr. cum *Vulg.* verti potest « in excelso », ut Rachel supponatur de colle quodam filiorum miseriam contemplans, vel ut eius lamentatio intelligatur exaudiri a Deo in excelso montis Sion, cf. Ier. 31, 12. Certe, quod Matth. textum applicaverit caedi innocentium in Bethlehem factae, indicat intimiorem aliquem inter Rachel et Bethlehemitas exstitisse nexum, qui alius esse non potest a situ sepulchri. Multum quidem eos hoc sepulchrum incommodat, qui Ramam Samuelis tribui Beniamin adscribunt, quos infra expediemus. —

בצלצח *Chald. Syr.* nomen proprium interpretati sunt, sed mirum est sepulchrum Rachel describi per locum secus penitus ignotum Zelzach. Verius *Vulg. LXX* intellexerunt nomen appellativum; et *LXX* quidem videtur legisse pluralem, quid vero *Vulg.* legerit (*in meridie*), non liquet. Sed licet non valeamus lectionem restituere, possumus tamen sensum satis accurata coniectura definire. Samuel, in singulis signis describendis, indicat non solum regionem, sed ipsum veluti punctum, quo sint eventura : « ad quercum Thabor », « ubi est statio Philisthinorum ». Ergo h. l. simile quid exspectare fas est, non nomen proprium alicuius urbis, sed singulare aliquod obiectum, arborem, rupem, vel huiuscemodi quid.

« *Dicentque tibi* : *Inventae sunt asinae, ad quas ieras perquirendas*; *et intermissis pater tuus asinis sollicitus est pro vobis, et dicit : Quid faciam de filio meo ?* » i. e. quoad filium meum, ad eum recuperandum. Hoc primum signum aptissimum erat, quod confirmaret Samuelis assertionem 9, 20, asinas esse repertas, et consequenter ipsam prophetae auctoritatem. v. 3 « *Cumque abieris inde, et ultra transieris, et veneris ad quercum Thabor* », — arborem, uti videtur, notissimam, secus aliqua loci descriptio adderetur — « *invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hoedos, et alius tres tortas panis, et alius portans lagenam vini* ». Ascendebant sacrificii causa, quod patet ex iis, quas ferebant, oblationibus. v. 4 « *Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, et accipies de manu eorum* ». *Hebr. Cumque inquisierint apud te de pace*, formula salutandi usitata, cf. 16, 4 sq. ; 3 Reg. 2, 13 ; 4 Reg. 9, 17 sqq. Sicut rex participat unctionem, antehac sacerdotibus rebusque sacris reservatam, ita pars oblationum Deo dicandarum nunc illi cedit. Hoc alterum signum aptissimum erat, quod confirmaret Samuelis assertionem, Saulem a Deo regem esse electum. v. 5 « *Post haec venies in collem Dei, ubi est statio Philisthinorum* ». Collis hic Dei seu Gabaa Dei re videtur coincidere cum Gabaa, Saulis domicilio, quae postea vocabatur Gabaa Saulis (11, 4 ; 2 Reg. 21, 6 ; Is. 10, 29) ; nam ibi terminatur Saulis iter, ibi notissimus est omnibus v. 11. Nolim tamen cum *Keil* asserere, antiquius urbis nomen « Gabaa Dei » fuisse, postea mutatum in « Gabaa Saulis ». Sed « Gabaa Dei » seu « collis Dei » erat locus sacer, proxime extra Gabaam situs : excelsa enim videntur extra urbes fuisse sita (*Then.*), cf. 2 Reg. 21, 9. — Versiones pro נְצִיב legebant נְצִיב, sed varie verterunt. *Vulg. statio* seu praesidium, *Chald. duæ*, *Syr.* aliquid *erectum*, *LXX* ἀνάστημα, *Arabs columna*. Significatio *praesidium* nullo textu firmari potest, ad 3 Reg. 4, 19 et 2 Par. 8, 10 misere discordant versiones. Certe non intelligitur h. l. praesidium, locus enim describitur in latere seu ad radicem collis, atque in ipso civitatis

ingressu situs : at Philisthaei sane collocassent praesidium aut in vertice collis, aut intra urbem. 2 Reg. 8,6 utique intelligitur *dux* seu praefectus, aliquis sc. qui est *constitutus*, et in eundem sensum facile cedit 3 Reg. 4,19. Sed h. l., ut omnes praeter Chald. perspexere, describitur locus non ex persona aliqua, quae facile istinc alio poterat secedere, sed ex re aliqua fixa permanenti. Adde, descriptionem hic loci adhiberi, non ut Saul doceatur, ubi sit Gabaa eiusque sanctuarium, sed ut ipsum quodammodo punctum discat, ubi sibi occursuri sint prophetae : tale punctum per *ducem* describi non poterat. Unde, sensum *LXX Syr. Arab.* secuti, qui ex Gen. 19,26 certe stabilitur, vertendum censemus *cippus* seu *monumentum*. Sed quodnam hoc monumentum est ? *Then.* cogitat de monumento a Philisthaeis in testimonium victoriae aliquando erecto ; melius fortasse intelligitur monumentum funebre, cum *Fürst* ex *Steph. Byz.* affirmet, נצב apud Phoenices eum sensum habuisse.

« *Et cum ingressus fueris ibi urbem* », — *Hebr.* in ipso tuo in urbem ingressu ; videtur monumentum in ipso urbis aditu fuisse erectum — « *obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium et tympanum et tibiam et citharam, ipsosque prophetantes* ». Aliud praeter centrum religiosum et politicum, templum et regnum (Deut. 17), Deus promiserat permanens institutum Deut. 18,9 sqq. *prophetarum*, oppositum ariolis et divinis gentium. Huic quoque instituto plenius quam antea evolvendo adlaboraverat Samuel inde a Heli morte, et quam praeclaro effectu ! In diebus Heli 3,1 fuerat sermo propheticus rarus ; sed iamiam collegerat Samuel integras familias prophetarum, quae ipsum patrem et magistrum 19,20 agnoscebant. Unam offendimus h. l. prope Gabaa, alteram ab illa sane diversam 19,20 prope Ramam, ubi locum quemdam Naioth, fortasse coenobii instar, 4 Reg. 6,1 sq., incolebant. Prophetabant omnes et propheticam inspirationem etiam in alios, qui adessent, non prophetas transfundebant. Eorum prophetia non est ad solum futurorum praesagium restringenda. — De vi musices ad disponendam animam ad recipiendum influxum divinum, vel declinandum sinistrum influxum, cf. 4 Reg. 3,15 ; 1 Reg. 16,23.

Excelsa videntur fuisse in pluribus locis, praeter quatuor 7,16 sq. enumerata ; nisi forte de excelso Maspha reduces intelligantur hi prophetae. Ubi *Vulg. gregem, LXX* habet χορός, *Hebr. Syr. funis*, quo videntur homines processione quadam incedentes designari, dum אגרה *fasciculus* 2 Reg. 2,25 densam potius hominum turmam indicat. De instrumentis musicis dicemus ad 2 Reg. 6,5.

v. 6 « *Et insiliet in te spiritus Domini, et prophetabis cum eis, et mutaberis in virum alium* », uti patet, permansione spiritus insilientis.

Hoc tertio signo intime fiet conscius Saul divinae suae in regnum electionis ; eodem simul et unctio a Samuele collata absolvitur, eiusque significatio declaratur, ut significet communicationem divini spiritus, qui spiritus est sapientiae (cf. 3 Reg. 3), ad finem regii officii apte et digne implendi. v. 7 « *Quando ergo evenerint signa haec omnia tibi, fac quaecunque invenerit manus tua* », quaecunque « iudicaveris facienda » (*Sa*), age proprio instinctu ; quam eandem expressionem Vulg. Iud. 9, 33 vertit « fac ei quod potueris » ; « *quia Dominus tecum est* » speciali assistentia tam in deliberando quam in agendo. « Ex hisce signis intellige certissimo, te esse regem a Deo electum, et facultatem regiam adeptum cum ope Dei tibi assistente, ut possis perficere quae velis, quaecunque in regimine agenda tibi occurrent. Regaliter ergo age et pugna intrepide pro populo Dei et tuo » (*Lap.*).

v. 8 « *Et descendes ante me in Galgala, ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem, et immoles victimas pacificas. Septem diebus exspectabis, donec veniam ad te, et ostendam tibi quid facias* ». Verba *ego quippe descendam ad te* recte parenthesi includit nostra Vulg. Verbum *et descendes* non est iungendum cum imperativo *fac*, quasi *iubeatur* Saul descendere, sed cum futuro *et erit* (*Hebr.* v. 7) : *praenuntiatur* siquidem Sauli fore, ut, dum facturus sit, quod invenerit manus eius, angustiis pressus (cf. 13. 6 sq.) inducatur ad descendendum in Galgala, sine Samuele. Textum ita concipi posse, iam intellexit *Sanct.* : « aut *praedicit* aut monet ». Hoc tempus tamquam omnino summi in regno Saul momenti effertur, quo sit eam regni administrandi institutionem a propheta accepturus, quae nondum nunc ei datur ; tempus probationis, quo de regno eius familiae perenniter conferendo 13, 13 decerneretur.

Hinc facile postea intellexit Saul, haec non esse dicta de descensu Galgalam 11,15, quando innovandi regni causa eo cum Samuele perrexit : nulla enim tum fuit Samuelis exspectandi occasio. Neque peccavit Saul, iter Galgalam differens, quia non fuerat iussus eo ire, sed solum, si in quibusdam adiunctis eo veniret, quasdam conditiones implere. — *Keil* ita construit : « Si descendis in Galgala etc, septem diebus exspectabis » ; constructio possibilis, sed durior, quaeque fere recidit in alteram *Seb. Schmid* : « Quoties descendes in Galgala etc », seu quorundam veterum putantium, Sauli hic generaliter mandari, ut in difficultatibus quibusvis Galgalam descenderet. — Intelligitur autem Galgala eadem, ubi iudicabat Samuel 7, 16, ubi innovatur regnum 11,15, locus, ad quem « descenditur » de Rama vel Gabaa 10,8 et de Machmas 13,12, a quo « ascenditur » in Gabaa 13,15. Hic locus non est Djildjilia in monte Ephraim prope Bethel sita, sed Galgala inter Ierichuntem et Iordanem.

v. 9 « *Itaque, cum avertisset humerum suum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, et venerunt omnia signa haec in die illa* ».

Totus effectus secutus unica sententia exprimitur. Idem est *cor aliud*, quod v. 6 *vir alius*. Sola tertii signi impletio accuratius describitur, quia illo signo Saul publice conspicuus factus est, simulque altioris prudentiae documentum edidit, acta premens silentio (*Clair*). v. 10 « *Venerunt que ad praedictum collem, et ecce cuneus prophetarum obvius ei, et insiluit super eum spiritus Domini, et prophetavit in medio eorum* ». v. 11 « *Videntes autem omnes, qui noverant eum heri et nudiustertius, quod esset cum prophetis et prophetaret, dixerunt ad invicem: Quaenam res accidit filio Cis? Num et Saul inter prophetas?* » Verba aliquid dedecoris habere, v. 12 docet; sed quaeritur, in cuius dedecus vergant. Prophetarum, inquit *Wellh.*; idem quippe sonant atque : Quomodo vir tam sensatus, Saul, eo devenit, ut isti prophetarum gregi iungeretur? Saulis, inclamat *Bunsen* (apud Wellh.); ut sensus sit fere hic : quomodo fieri potuit, ut vir tam stupidus, Saul, inclytae prophetarum familiae adsciscerctur? Respondeas, carpi una Cis et Saul, ut ex. v. sq. patet. Stomachabantur sc., qui adstabant, Beniaminitae, unum e « cognatione novissima inter omnes cognationes tribus Beniamin » (9, 21) prophetiae charismate esse insignitum.

Ergo non est necesse, cum *Sanct.* coniectare, Cis fuisse « hominem rusticum, incultum et longe alienum ab omni ingenua atque urbana disciplina ». Quem vicissim *Ios.* sibi depingit « honesto loco natum cultisque moribus ».

v. 12 « *Responditque alius ad alterum, dicens : et quis pater eorum?* » *Hebr. Chald. Syr. Et respondit vir inde,* ergo sane inde i. e. ex Gabaa oriuntus; sed probabilior est lectio *LXX*, מֵהֶם pro מִשָּׁם, ergo *Et respondit aliquis vir ex ipsis,* i. e. de populo (cf. 14, 28). *LXX Syr.* dein inducunt hunc virum interrogantem *Et quis est pater eius,* sc. Saulis? quis est Cis, ut filius eius inter prophetas recipiatur? Quae interrogatio repetit, quod iam v. 11 dictum fuerat. Multo praegnantius *Hebr. Vulg. Chald. Et quis est pater eorum,* sc. reliquorum prophetarum ? Omnibus admirationem exprimentibus, quod filius Cis inter prophetas versetur, unus de turba alta voce interrogat : Et quis est pater reliquorum prophetarum ? Num ipsi iure haereditatis prophetiae charisma nacti sunt, an gratis illud a Deo acceperunt ? Et si ita, quid obest, quominus idem charisma filio etiam Cis tribuatur ? (*Mar.*, *Menoch.*, *Lap.*). Minus obvia est, tamen fere in idem recidit explanatio *Greg.* : pater prophetarum est Deus, « prophetae non ex carnali progenie, sed ex coelesti origine censebantur ». « *Propterea versum est in proverbium : Num et Saul inter prophetas ?* » Ita sane dicebatur, quando quis insuetum prorsus vitae genus seu occupationem suscipiebat. His docemur, cur s. auctor, missis duobus prioribus signis, tertii signi adimpletionem pluribus nar-

ret. Volebat eius proverbii meminisse, quod vivens exstabat impleti signi monumentum ; volebat titulum inculcare elevationis Saul, gratuitam Dei electionem. Apposite hic *Greg.* in comparationem adducit Iudaeorum admirationem, quando Saulus e persecutore in apostolum fuit mutatus Act. 9, 21.

v. 13 « *Cessavit autem prophetare, et venit ad excelsum* ». Prophetas offendit v. 5 de excelso « descendentes », ergo ab illis eum oportuit secedere, ut ipse excelsum orationis gratia conscenderet ; ubi ab illis discessit, cessavit influxus propheticus. v. 14 « *Dixitque patruus Saul ad eum et ad puerum eius : Quo abistis* ?» Secundum haec videtur fuisse eo tempore aliquod festum in excelso, ubi Saul patruum, i. e. *patris fratrem* (*Chald.*), et cognatos invenerit, qui curiositate acti interrogationibus indulserint. Potest tamen res etiam aliter concipi, ut non de singulari aliquo facto, quod in excelso obtigerit, sed de responso iterum iterumque a Saule dato agatur.

דוד non solum significat patruum, sed cognatos generatim, gallice : « un cousin, un compère ». Puto vocem hic adhiberi, quo sensu saepe adhibetur איש : ut, quoties cognatorum aliquis eiusmodi quaestiones proferret, toties Saul idem prudens responsum daret. Suspicabantur cognati aliquem inter Saulis ad Samuelem iter et subsecutam inspirationem nexum ; animadvertebant, Saulem mutatum esse « in virum alium » ; fortasse post aliquot dies innotuit honor a Samuele Sauli in convivio tributus. Unde vividissime excitata est curiositas cognatorum, idque tanto magis, quod illi essent ex « cognatione novissima » in Israel. — Considera Saulis h. l. cum Salvatore similitudinem. Hic duodennis in medio doctorum assurgit, notitiam attrahit, dein se abscondit usque ad tempus suscipiendi publici magisterii : ille prophetis iungitur, admirationem generat, inde modeste delitescit, donec coram populo eligatur rex.

« *Qui responderunt : Quaerere asinas ; quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem* ». v. 15 « *Et dixit ei patruus suus : Indica mihi, quid dixerit tibi Samuel* ». v. 16 « *Et ait Saul ad patruum suum : Indicavit nobis, quia inventae essent asinae. De sermone autem regni non indicavit ei, quem locutus fuerat ei Samuel* ».

Verum, priusquam ad alia transeamus, solvenda tandem nos manet quaestio, *cur Ramam Samuelis tribui Iudae attribuamus, non Beniamin.* Et primum quidem omnino excludendam censemus sententiam, a *Clair* nuperrime resuscitatam, secundum quam Rama eadem fere esset, quae Diospolis vel Lydda audiebat. Haec sententia conditionem reipublicae hebraicae aevo Samuelis penitus ignorat. Obtinebant tunc Philisthaei omnem planitiem, quae secus mare protenditur, Iudaeis in montana repulsis. Non potest iudici Israel sedes assignari ante ipsas portas urbis

munitae Philisthaeorum, Accaron. Quodsi igitur revera Diospolis eadem sit, quae Arimathaea, ut vult *Euseb.*, dicendum potius erit aliam esse Arimathaeam a Rama Samuelis.

Iam contra Ramam Beniamin hae faciunt rationes.

1) Exigua inter Ramam Beniamin et Gabaam Saulis est distantia, etenim er-Ram et Tulel-el-Ful ne horae quidem itinere distant. Idem confirmat Iud. 19, 12 sq. : « Transibo usque Gabaa et, cum illuc pervenero manebimus in ea, aut certe in urbe Rama ». Confirmat itinerarium Is. 10, 28 sqq. descriptum. Iam, uti vidimus, Saul nobis describitur omnino ignarus personae Samuelis, quem nunquam antea viderit, cf. 9, 18. Estne possibile, Saulem degentem in Gabaa, unde Rama oculis cerni poterat, nunquam tot annis eam urbem adiisse, nunquam vidisse prophetam, ad quem undique Iudaei confluebant?

2) Iter Saulis a Gabaa ad Samuelem non ita accurate assequi possumus, quod ille videatur esse progressus quasi in incertum, vagantes secutus asinas, et quod insuper terram Salisa, Salim et Iemini 9, 4 ignoremus. Sed aliud est de Saulis reditu. Recta, ut ex contextu eorum patet, quae 9, 5 et 10, 2 de sollicitudine patris Cis dicuntur, Rama rediens Gabaam transit Saul prope sepulchrum Rachel, quod 10, 2 prope Bethlehem collocandum ostendimus. Ergo Rama, unde profectus erat Saul, erat in tribu Iuda, longius etiam quam Bethlehem a finibus Beniamin remota.

Hinc etiam novissimum opus chartographicum : Map of Western Palestine by C. R. *Conder* and H. H. *Kitchener*, reduced from the one inch map, London 1881, in folio addititio, Ramam Samuelis ei, quem nos defendimus, loco in tribu Iuda adscribit.

3) Saulis publica electio 1 Reg. 10, 17-27.

Arg. — Conventu populi a Samuele Maspham coacto sorte eligitur Saul, quem plures regem salutant, alii despiciunt.

v. 17 « *Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha* », locum utique convenientissime electum, ubi recens ostenderat Dominus, quam gloriose ipse populum suum, licet rege careret, posset salvare ; v. 18 « *et ait ad filios Israel Haec dicit Dominus Deus Israel : Ego eduxi Israel de Aegypto, et erui vos de manu Aegyptiorum, et de manu omnium regum, qui affligebant vos* ». Reges devictos recenset, populo regem exposcente (*Clair*). Formula *Ego eduxi vos de Aegypto* solemnis est Deo, quando agitur de eius auctoritate et praeceptis inculcandis, et saepe iungitur formulis « ut essem vester Deus », « mei enim servi sunt », « ut haberet populum haereditarium » (cf. Deut. 4, 20, et supra v. 1). Habes eam formulam initio decalogi Ex. 20, 2 ; Deut. 5, 6 ; in promul-

gatione aliorum mandatorum Ex. 29, 46, Lev. 11, 45 ; 19, 36 ; 22, 32 sq. ; 25, 38. 42 ; 26, 12 sq. ; Num. 15, 41 ; in ultima oratione Iosue 24, 6. 17 ; in oratione angeli Iud. 2, 1 et prophetae 6, 8 sqq. Porro factum eductionis ex Aegypto efferri consuevit, quando Deus de infidelitate populi conqueritur, uti h. l. et 8, 8. v. 19 « *Vos autem hodie proiecistis Deum vestrum, qui solus* » — ita recte *Vulg.* vertit *Hebr. ipse* — « *salvavit vos de universis malis et tribulationibus vestris, et dixistis : Nequaquam, sed regem constitue super nos* ». Pro לא *nequaquam kethib* habet לו *ipsi*, et consonat accentus, vocem trahens ad priora. Sane phrasis eadem est cum altera 8, 19, et aliunde לא et לו saepissime permutantur, ergo standum lectioni versionum et keri. — Huc usque Samuel statum quaestionis egregie exposuerat ; iam voce *Nunc ergo* proponit divinum decretum : Habebitis, quod petistis, et quidem in poenam stultae petitionis habebitis. « *Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras et per familias* ». v. 20 « *Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, et cecidit sors tribus Beniamin* », *Hebr. et deprehensa est tribus Beniamin.* v. 21 « *Et applicuit tribum Beniamin et cognationes eius, et cecidit cognatio Metri* », — *Hebr. Iussit accedere tribum Beniamin secundum cognationes eius* — « *et pervenit usque ad Saul, filium Cis. Quaesierunt ergo eum, et non est inventus* ».

Modus electionis graphice describitur. Ex Ios. 7, 14 novimus, singulas tribus fuisse divisas in cognationes (משפחה), cognationes in domos (בית), domus tandem individuis constabant ; ex Iud. 6, 15 ; Num. 1, 16 novimus, nostrum אלף idem esse quod משפחה. Accedendum igitur erat *coram Domino*, ante illud sane altare 7, 9, cuius sacrificio placatus Dominus se regem et salvatorem contra Philisthaeos tam praeclare exhibuerat. Sortium usus non infrequens erat apud Iudaeos ad divinum oraculum obtinendum. Sorte caper emissarius eligebatur Lev. 16, 8 ; sorte terra sancta divisa est Num. 26, 55 sq. ; 33, 54 ; sorte detectus est scelestus Achan Ios. 7, 14 sqq. ; sorte Saul reum Ionathan demonstravit 1 Reg. 14, 38 sqq. ; sorte ministeria templi divisa sunt 1 Par. 24, 5 sqq. ; 26, 13 sqq., et habitacula post exilium 2 Esdr. 11, 1 ; sorte S. Matthias electus est apostolus Act. 1, 26. Ex 1 Reg. 14, 36 sqq. elucet, sortium oraculum non fuisse situm in consulendo Urim et Thummim, quod putavit *Munst. Accedebant* igitur tribus, familiae, personae, et quidem plures simul, cf. 1 Reg. 14, 40, *iaciebatur calculus* (גורל), quem tesseram fuisse minime dubitandum est. Qui non *deprehenderetur*, ille *exibat* 1 Reg. 14, 41. Si quis abesset, v. g. Saul, alius eius nomine prostabat, dum mittebantur sortes.

v. 22 « *Et consuluerunt post haec Dominum, utrumnam venturus esset illuc.* »

Vulg. LXX Syr. merito omittunt alterum וצד, et pro איש legunt האש ; ergo : Venitne huc ille vir ? *Syr. Ubi est vir iste?* potius secundum sensum, quam secundum textum.

Hac vice non per tesseras consuluerunt, sed per Urim et Thummim (*Menoch., Sanct.*) ; nam tesserae non poterant respondere « Ecce absconditus est domi ». Ergo, quod etiam per se verisimile est, intererat electioni pontifex (*Menoch.*), cuius esset ex Urim et Thummim responsum elicere, cf. Num. 27, 21. שאל ביהוה etiam Iud. 1, 1 ; 20, 27 de eodem oraculo adhibetur ; cf. Ex. 21, 26.

« *Responditque Dominus : Ecce absconditus est domi* ». *Hebr.* et reliquae versiones pro *domi* habent *prope sarcinas*, cf. Gen. 31, 37 ; Ier. 46, 19. Non videtur Saul longius abfuisse. v. 23 « *Cucurrerunt itaque et tulerunt eum inde. Stetitque in medio populi, et altior fuit universo populo ab humero et sursum* ». v. 24 « *Et ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo* », corporis sc. proceritate et robore, nam haec sola *videri* poterant. « *Et clamavit omnis populus et ait : Vivat rex* ». In rege, ex solo hostium timore carnaliter petito, constanter laudantur corporis dotes, has solas propheta explicite commendat, his stultae plebi abunde satisfactum est.

v. 25 « *Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, et scripsit in libro, et reposuit coram Domino ; et dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam* ». Reposuit apud arcam (*Sa, Mar., Lap.*), quae, sicut etiam alias cf. 14, 18, videtur illuc venisse cum pontifice. Quodnam fuerit illud scriptum, nescimus ; certe non intelligitur 8, 11 sqq., nam illud « iudicium regis », non « regni », describebat, non quae agi oporteret a rege, sed quid de facto acturi essent reges (*Est.*). v. 26 « *Sed et Saul abiit in domum suam in Gabaa ; et abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda* ». Ubi *Hebr. Syr.* habent ההול, *Vulg. LXX Chald.* aliam vocem additam legebant, quae secundum *LXX* erat בני *filii*, quod apud *Vulg. Chald.* defiguratum est in מיני *pars*. Illi *filii roboris* seu viri robusti comitati sunt Saulem, ut regio illum obsequio honorarent ; sine dubio munera protulerunt. An forte oblatio munerum ipsa « lege regni » praescribebatur ? Certe munera in toto Oriente regibus offerebantur : ita ab Israelitis Iud. 3, 15 Egloni Moabitae, a Davide Sauli 1 Reg. 16, 20 etc. Cf. *Calm.* Qui ea denegaret, reapse probebat animum regi infensum (*Clair*).

v. 27 « *Filii vero Belial dixerunt : Num salvare nos poterit iste* », novissimae cognationis filius ? « *Et despexerunt eum, et non attulerunt ei munera. Ille vero dissimulabat se audire* ». *Hebr. Et ipse erat omnino taceus* : habes hic, quod Rabbini vocant, caph veritatis.

4) Saul post Ammonitas devictos ab omnibus agnoscitur 1 Reg. 11, 1-15.

Arg.—Brevi post affertur Gabaam nuntius de urbe Iabes ab Ammonitis misere obsessa. Coacto Saul exercitu, hostes primo mane adortus in fugam agit. Hinc Galgala profectus ab omnibus rex salutatur.

Cap. XI v. 1 «(*Et factum est quasi post mensem*) *ascendit Naas Ammonites et pugnare coepit adversum Iabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos foederatos, et serviemus tibi*». Ammonitis erat ad meridiem fluminis Iabor. Iabes caput erat regionis Galaaditidis, tribus Manasse, unius noctis itinere distans a Bethsan, quae 31, 12 prope montes Gelboe sita erat. Hic locus primae Saulis victoriae fuit, huc cadaver demortui regis perlatum est. Eadem porro pusillanimitas, quae toti populo persuaserat, nonnisi regis ductu efficaciter resisti posse Naas, viros Iabes induxit, ut, Dei et Samuelis ope neque petita, unam in deditione salutem quaererent. Prima verba ex *LXX* in *Vulg.* penetrarunt. *LXX* ultima praecedentis capitis verba ויהי כמחריש huc traxerunt, legentes ויהי כמחדש. Quodsi quaeras, quanto post electionem Saul tempore Naas castra fixerit apud Iabes, tempus oportuit esse perbreve, cum ex 12, 12 incursio Naas Hebraeis fuerit praetextus postulandi regis. v. 2 «*Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc*», hac conditione, «*feriam vobiscum foedus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel*». *Ad eruendum* (*Hebr.*) recte explicat *Vulg. ut eruam*, male *Syr. ut eruatis. Ponamque hoc* (*Hebr.*) : suffixum fem. pro neutro, respiciens totum praecedens incisum, vos ita mutilatos, ergo recte *Vulg. vos*. — Cur voluit Naas Iabesitis oculum eruere? Recte *Ios.* : ut dextro oculo effosso, et sinistro oculo obiecto clypeo obscurato, ad rem bellicam essent prorsus inepti ; concessit tamen unum oculum, ut essent ad opera servilia idonei. Addit *Lap.* : ut terrorem Hebraeis omnibus iniiceret. Praeterea effossum oculum voluit esse «oris dehonestamentum» (*Menoch.*), eratque futura tanto turpior mutilatio, quod ex foedere percusso locum habitura fuisset (*Munst.*). Porro haec crudelitas ostendit, Naas magis in animo fuisse, cladem a Iephthe Iud. 11 illatam ulcisci, quam solum Galaaditiden subiicere (*Keil*).

v. 3 «*Et dixerunt ad eum seniores Iabes*», qui misericordiam impetraturi videntur in castra processisse : «*Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel*» (cf. Iud. 6, 35 ; 19, 29), «*et, si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te*», conditioni acquiescentes. Consensit Naas, tum quod septiduo prius urbem subigere non valeret, tum quod minime exspectaret, populum valenti duce destitutum tam brevi intervallo ad certamen proditurum esse. Ignorabat

regis factam electionem, quam ignorabant ipsi Iabesitae, qui nuntios non ad Saulem, sed ad universos terminos Israel deputarunt (*Clair*).

v. 4 « *Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis, et locuti sunt verba haec audiente populo, et levavit omnis populus vocem suam et flevit* ». v. 5 « *Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, et ait : Quid habet populus, quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Iabes* ». Saul considerata quorumdam invidia plebisque, regno necdum assuefactae, inconstantia, optimum duxerat ad pristinas redire occupationes, donec occasio offerretur regie agendi regiique obsequii vindicandi. Similiter suam quisque domum abierant viri illi robusti, qui 10, 26 Sauli adhaeserant : nullus quippe tum stabili lege collectus erat exercitus. Perperam igitur *Wellh.* (Prol. 262) exinde, quod h. l. viri illi non compareant, infert cap. 11 esse diversi a prioribus auctoris. v. 6 « *Et insilivit spiritus Domini in Saul* », — cf. 10, 7 « Dominus tecum » — « *cum audisset verba haec, et iratus est furor eius nimis* », propter opprobrium populo, cuius ipse rex esset, intentatum ; propter opprobrium Domini, qui ipsum elegisset. v. 7 « *Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta misitque in omnes terminos Israel per manus nuntiorum dicens : Quicunque non exierit et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus eius* ». Recte seipsum primum nominat Saul ; addit autem prophetae nomen, quo mediante Dei in se virtutem derivari agnoscit. « Addidit Samuelem, quod nondum approbatus esset rex ab omnibus, quasi dicat : Qui nolunt sequi Saulem, saltem sequantur Samuelem » (*Vatabl.*). Factum omnino in memoriam revocat alterum levitae factum Iud. 19, 29, qui cadaver uxoris ab incolis Gabaa foede interemptae gladio concidit in duodecim partes, misitque in omnes terminos Israel ; quasi dicat Saul : Si unius mulieris Israeliticae ulciscendae causa egressi estis « quasi vir unus » (Iud. 20, 1) contra unam tribum Beniamin, nunc, tam atroci iniuria integrae urbi Israeliticae intentata, egredimini « quasi vir unus » contra antiquos vestros hostes. — *Sic fiet bobus eius* : per manus hostium, inquit *Then.*, regionem totam depopulantium. Melius *Ios.* : per manus Israelitarum, poenam a rege latam executioni mandantium. Vel est sola imprecatio *Sic fiat*, quam utique rex parta victoria adimplevisset ; et ita haec expositio in Iosephi expositionem recidit.

Utrumque bovem : melius « par boum » (*Sa*). *Hebr.* non habet articulum, quare inferre non licet, Saulem cum unico boum pare ex agro reducem adfuisse. — Secundum accentum hebr. iungendum est *per manum nuntiorum dicens* (*Then.*) ; sed parum id facit ad sensum, cum probabilius iidem nuntii et boum frusta et regis mandata circumtulerint. Nuntii vero articulum habent, non necessario quod iidem sint, qui ex Iabes advenerint (*Calm.*), sed quod in voce *misit* eorum implicita iam mentio habita sit.

« *Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus* ». *Malv.* : « Timor Domini, vel quo Iehova timebant, vel immissus a Iehova, vel magnus et vehemens, ut nomen Dei adiici solet ad augmentum ». Ex Saulis indignatione percipiebat populus auctoritatem Sauli divinitus collatam. v. 8 « *Et recensuit eos in Bezec, fueruntque filiorum Israel trecenta millia, virorum autem Iuda triginta millia* ». *Bezec* tribus Issachar Iud. 1, 4, fere opposita urbi Iabes. *LXX* habet sexcenta millia et septuaginta millia, sed *Ios.* septingenta millia et septuaginta millia, quos numeros etiam LXX primitus habuisse suspicor. — De distinctione Iuda et Israel cf. dicta ad 8, 4. Ergo iam tempore, quo haec gesta sunt, *numerabantur* distincte Iuda et Israel. Alter numerus in priori censendusne est inclusus, annon ? Id omnino videtur ; numeri sunt approximativi, non numeratione sed aestimatione comparati ; sensus est, fuisse circiter trecenta millia, e quibus circiter triginta millia ad tribum Iuda pertinuerint.

v. 9 « *Et dixerunt* » — *LXX Syr. dixit* — « *nuntiis qui venerant : Sic dicetis viris, qui sunt in Iabes Gabaad : Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol* ». *Cras* explicat *Syr.* diem consequentem reditum nuntiorum, et patet ex verbis Iabesitarum v. 10 « Mane exibimus ». sed potuit ille reditus dies idem esse, quo recensitus fuerat populus, nam Bezec a Iabes non ita multum distat, et Sauli citissime agendum erat, ne Naas de eius adventu fieret certior. Cum nuntii Iabes aliquo tempore indiguerint, ad nuntium per terram Israel circumferendum, et item Hebraei ad cogendum exercitum, supponi potest, septem dies a Naas concessos fere iam effluxisse ; idque rursum confirmatur verbis v. 10, nam Iabesitae vix ante exactum septiduum sine suspicione paratos se profiteri poterant, ad se Ammonitis tradendos, oculo sc. orbandos. — Utrum verbis *cum incaluerit sol* indicetur summus calor tempore meridiano, an primus sensibilis calor matutinus, hora septima vel octava, quaeri potest. Alterum suadetur Ex. 16, 21. Si prius supponas, erit sensus verborum : Non diutius vobis exspectandum erit, quam cras usque meridiem ; tum certissime perfecta erit salus. « *Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Iabes, qui laetati sunt* ». v. 10 « *Et dixerunt* » : — *viri Iabes* addunt *Hebr. LXX Syr.* ; et pergunt *LXX*, recte secundum sensum *ad Naas Ammoniten* — « *Mane exibimus ad vos, et facietis nobis omne, quod placuerit vobis* ». Verba non fuerunt mendacium (*Keil*), sed anceps dictum (*Greg.*), quo hostes securi redderentur, atque certo certius a Saulis exercitu primo mane opprimerentur.

v. 11 « *Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usquedum incalesceret dies ; reliqui autem*

dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter». E tribus simul partibus in castra irruperunt. *Vigilia matutina* est, quae Matth. 14,25; Marc. 6,48 (cf. Luc. 12,38) «quarta vigilia noctis» dicitur, tempus «sub auroram ipsam» (*Vatabl.*), fere a tertia ad sextam horam. — Ad ultima verba notat *Sanct.*: «Proverbium olet hic dicendi modus: non est necesse, ut duo in fuga coniuncti non fuerint».

v. 12 «*Et ait populus ad Samuelem; Quis est iste, qui dixit: Saul num regnabit super nos?*» Recte *kethib* reddit *Vulg.* interrogative. Sed *keri LXX Chald. Syr.* legunt negationem *Saul non regnabit super nos*. «*Date viros, et interficiemus eos*». Cf. 10,27 et adverte plebis animos mutabiles. v. 13 «*Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel*». Sapienter Saul, non exspectato Samuelis responso, generosum et prudens consilium eloquitur. Idem fecit David 2 Reg. 19,22, sed eiusmodi indulgentiam per se non plenam praestitisse securitatem, ostendit 3 Reg. 2,8 sq. — Cur ad Samuelem populi petitio dirigitur? Licet Samuel proclamaverat Saul regem, tamen iudiciali potestate ipse nonnisi post hanc victoriam cap. 12 se abdicavit, a Saule interim 11,7 plane singulariter honorabatur. Praeterea eorum, qui Saulem regem repudiassent, condemnatio potius spectare videbatur ad Samuelem, cui totum instituendi regni negotium divinitus demandatum fuerat.

v. 14 «*Dixit autem Samuel ad populum: Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum*». Ex locis sanctioribus 7,16 recensitis, Galgala propius ceteris aberat a Iabes. v. 15 «*et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et laetatus est ibi Saul et cuncti viri Israel nimis*».

Perperam *LXX* alteram introducunt Saulis unctionem, qualem adhibitam esse Davidi 2 Reg. 2,4 legimus. Quid ergo Galgalis actum est? Longe maiori solemnitate regni institutio celebrabatur, sacrificia offerebantur, sequebatur convivium, omnisque nemine excepto populus regi adhaesit.

5) Samuel iudicis officium abdicat 1 Reg. 12, 1-25.

ARG. — Samuel Galgalis officium iudicis abdicat; habita ad populum oratione suam in republica administranda integritatem vindicat, portenta a Deo pridem patrata populique ingratitudinem recenset, petitionem regis instituendi ex animo pusillo profectam carpit, institutum regem demonstrat, recessuris a Deo adversa indicit, precibus se pro illis semper intercessurum esse pollicetur. Cuius verba miraculo de coelo facto confirmantur.

Cap. XII. Hoc capite Samuel, quod iam perspexit *Theodoret.* et pro eum *Sanct.*, *Lap.* aliique, *abdicat a se iudicis officium*; quod enim ex 7, 15 obiicit *Clair,* iudicem fuisse Samuelem omnibus diebus vitae suae, explicatum ib. habes, agi de diebus vitae Samuelis usque ad conscriptum cap. 7, non usque ad vitae exitum transactis. Oratio haec sane habita est Galgalis, ipsa occasione celebratae regni institutionis. Uti 10, 18 sq., ita rursum hic duobus primis versibus exponitur status quaestionis. v. 1 « *Dixit autem Samuel ad universum Israel: Ecce audivi vocem vestram iuxta omnia, quae locuti estis ad me, et constitui super vos regem* ». Ita egerat ex ter repetito divino mandata 8, 7. 9. 22. v. 2 « *Et nunc rex graditur ante vos* ». Exprimitur tota gubernatio, speciatim vero imperium militare, cf. 8, 20 : « Egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis ». Adest rex : ego igitur iam possum iudicis munus abdicare. Adest rex, quo praesente rationem reddere possim gesti officii. « *Ego autem senui et incanui; porro filii mei vobiscum sunt* », iudiciali dignitate iam privati et in ordinem subditorum redacti ; mei igitur solius agenda restat causa.

Sensus non est : Ego ob senium impar iam sum muneri iudicis sustinendo secus enim ex parte evanesceret ratio, ob quam cap. 8 Deo et Samueli displicue rat regis petitio. Quaecunque hoc versu dicuntur, praeparant ultimam vocem « ecce me » seu, ut recte vertit *Vulg.*, « ecce praesto sum » . Hinc : Ego senex deoque reddendae rationi omnino maturus ; ego senex, ergo non differenda diu ius reddenda ratio. — Sed quid sibi vult *filiorum* mentio ? *Then.* : Senex sum, nam, uti videtis, adultos habeo filios. Ast, quare eo argumento utatur Samuel ad rem luce clariorem demonstrandam ! Norant universi atque cernebant, illum senio esse confectum. Infelicius etiam *Vatabl.* : « Succedent in locum meum poteritis eos consulere de rebus sacris ». Praeclari consiliarii, qui iam ob avari tiam iudicis officio fuissent privandi ! Unde mitigandam iudicavit eam exposi tionem *Cler.* : « Qui, licet avari, fidelem tamen et strenuam in multis operam poterant populo Hebraeo navare ». Melius *Tremell.* (apud Then.), *Tir.* : Adsunt filii ad satisfaciendum, si cui debitor sum ; vel *Clar.* : En, filii mei in vestra potestate sunt, delicta patrum in filiis puniri consueverunt, accipite ergo rationem et, si sontem me inveneritis, ab ipsis poenam exigite. Sed periculi plenum erat hoc argumentum : potuit enim quis suggerere, haberi sufficientem causam, cur filii pro peccatis *propriis* plecterentur, et eorum quoque in eo consessu dis cutiendam esse causam. Quem sensum directe exprimunt *Menoch.*, *Calm.* : « Si cui vestrum est de illis querela, habetis illos in vestro coetu ; facile est unicuique, reos illos apud regem agere ». Optime placet *Malv.* expositio : « In ordinem redacti sunt, auctoritate iudicum exuti, privata vobiscum conditione vivunt », ergo mei solius causa agenda est, nam filiorum causam ego ipse iam expedivi. Placet hic sensus multo magis quam alter, qui Samuelem inducit populum quasi provocantem, ut in filios animadvertat. Samuelis sane officii fuerat, iniustitiarum, quae se iudice patratae fuissent a filiis, poenas sumere.

« *Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce praesto sum* ». Scitis omnia, quaecunque egerim ; mittite igitur moras, ad examen meorum gestorum accedite : ecce praesto sum ! v. 3 « *Loquimini de me coram Domino et coram christo eius* », — Recte *LXX Chald. Syr. testificamini contra me*, nam eum esse sensum expressionis hebr. docet Num. 35, 30 ; Deut. 19, 18 ; 2 Reg. 1, 16 ; Ex. 20, 16 ; cf. etiam infra v. 5 « Testis est Dominus *adversum* vos ». Magna viri confidentia, qui eosdem et iudices constituit et accusatores : sed utique accusatio pronuntianda erat *coram Domino*, qui toties Samuelis partes susceperat, omnipotenti, omniscio, iustissimo rege populi Israel, *et coram Christo eius*, visibili eius vicario, eius spiritu, virtute, auctoritate imbuto — « *utrum bovem cuiusquam tulerim aut asinum ; si quempiam calumniatus sum* », i. e. ex usu loquendi Vulg. oppressi, « *si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi* ». Nervosius *Hebr. : Bovemne cuiusquam tuli ? an asinum cuiusquam tuli ? ecquem oppressi ? ecquem laesi ? eccuius ex manu acceptavi propitiationem*, i. e. donum, quo se quis redimat a poena ? « *Et contemnam illud hodie, restituamque vobis* ». Haec omnino iungenda prioribus, et probabilius vertenda : *Eccuius ex manu acceptavi propitiationem, et averti oculos meos ob illam* a scelere, quod carpere, a poena, quam infligere debui ? Profitetur Samuel, se perseverasse immunem ab eo scelere, quod maxime 8, 3 in filiis reprehenderat populus : « declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, et perverterunt iudicium ». Quod versiones reddunt *restituamque vobis*, notat *Munst.* posse etiam verti « et respondebo vobis » : re uterque sensus coincidit.

Vertimus secundum *Hebr.*, ad quem facile *Chald.* revocatur. Eundem textum, sed minus accurate, reddit *Vulg. et contemnam illud hodie*, i. e. avertam oculos meos ab illo. Sed futurum cum ו habet praeteriti significationem ; vox *hodie* qua via irrepserit, nescimus. — Longe aliter legebant *LXX*, quorum lectionem cum altera confudit *Syr.* : וְנַעֲלַיִם עָנוּ בִי, *Eccuius ex manu acceptavi propitiationem et par calceorum ? Testificamini contra me.* Quem textum praeferunt *Then.*, *Wellh.*, ut igitur asserat Samuel, se pro absolvendo reo nullum unquam donarium accepisse, ne rem quidem minimam, qualis esset par calceorum. Et provocant ad Am. 2, 6 (cf. 8, 6) : « pro eo, quod vendiderit pro argento iustum, et pauperem pro calceamentis ». Magnaque accedit auctoritas ex Eccli. 46, 22 (19) : « Et ante tempus requietionis de saeculo testimonium praebuit (Samuel) in conspectu Domini et uncti ; pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo ». Dico tamen : certum est, Siracidem in consulenda scriptura adhibuisse versionem LXX ; certum est ex ipsa Siracidae citatione, illud mendum, si mendum sit, antiquitus infuisse versioni LXX ; certum est, illud mendum, si mendum sit, Samuelis loquentis ideam substantialiter nequaquam mutare ; aliunde inspirationis conceptus non videtur excludere, ut auctor inspiratus, ad 1 Reg. 12, 9 secundum LXX appellans, illud mendum, si mendum sit, transsumpserit, cum illud sensum substantialiter non mutet ; potuitque

illud tanto facilius transsumere, quod ipse minime praetendat citationem verbalem textus originalis dare : ergo, salva Siracidae auctoritate, possumus stare textui *Hebr. Vulg. Chald.*

Utvis Samuel ex conscientia innocentiae loquatur, tamen verba *restituamque vobis* innuunt, eum saltem mediocriter opulentum fuisse. — Ceterum, cum tantum agatur de muneribus *iniuste* acceptis, non sequitur, quod vult *Duguet*, prophetam recusare consuevisse munuscula, qualia 9, 8 recensentur.

v. 4 « *Et dixerunt : Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quidpiam* ». Samuel non est contentus mera suae innocentiae affirmatione, sed eandem vult iuramento firmari : v. 5 « *Dixitque ad eos : Testis est Dominus adversum vos, et testis christus eius in die hac, quia non inveneritis in manu mea quidpiam. Et dixerunt : Testis* ». Vos contra me murmurastis, me accusastis : accusatio in eos, qui gubernant, est praeprimis iniustitiae ; si iniustitiae rei non sint, ergo neque accusandi, sed potius iuvandi. Fatentes igitur, me immunem esse ab iniustitia, *contra* vosmetipsos fassi estis, et Deum et regem testes habetis *adversum* vos. v. 6 « *Et ait Samuel ad populum : Dominus, qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Aegypti* », Iehova Deus foederis *testis est* : ita supple cum *LXX*. Sed non est necesse cum *Then.*, *Wellh.* supponere, excidisse verbum, licet עד post עם facillime potuerit excidere : longe praegnantior est sententia, qualem textus habet. *Qui fecit Moysen et Aaron*, sensu historico, tales ac tantos viros, cf. Hebr. 3, 2 (*Malv.*).

Sui defensio non erat illud, quod Samuel sua oratione primarie intendebat ; nemo enim eius integritatem, quantum novimus, in quaestionem vocaverat. Praeprimis cordi ipsi erat vindicare divinum honorem in facto institutionis regni. Sed ideo procuravit, ut primum eius integritas solemni iuramento agnosceretur, ut inde iure tanto magis indubio posset assurgere tamquam accusator populi et vindex laesi divini honoris. Porro ad hoc iam transit, pronuntians Deum, qui testis fuerit agnitae suae innocentiae, esse ipsum Dominum, Iehovam, eoque nomine foederis Deum. Quod foedus *cum populo* initum est per manus Moysis et Aaron, tempore siquidem patriarcharum populus non erant. v. 7 « *Nunc ergo state* », — quod decet accusatos, quasi excusationibus pugnaturi contra meas accusationes — « *ut iudicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum et cum patribus vestris* ». Dicendo *vestris*, non « nostris », se tamquam accusator populo opponit. Quaecunque beneficia Dominus populo Israel praestabat, quatenus fructus erant eius in servando foedere fidelitatis, *iustitiae Domini* (*Hebr.*) erant : iustum est enim foederi stare (*Keil*). — Cur non etiam « coram christo Domini » iudicio contendit, cf. v. 3. 5 ? Saul iam non

potest iudicis partes agere cum ipse culpae populi intimo nexu copuletur, sitque rex Deo quasi invito extortus.

In sequentibus propheta eo utitur argumento, ut ostendat, quoties temporibus anteactis Israelitae similibus vel maioribus fuerint oppressi periculis, maxime ob sua peccata, ac deinde cum poenitentia et fiducia clamaverint ad Dominum, toties illum varios providisse egregios viros, qui eos ab hostibus liberaverint. Quibus exemplis exaggerat populi ignaviam, in periculo Ammonitarum regem sibi exposcentis, quasi non eadem atque prius ratione Deus etiam ea vice eum salvare potuisset. Plura de hoc argumento vide apud *Sanct.* v. 8 « *Quomodo Iacob ingressus est in Aegyptum* », — haec veluti prodosis, quam merito claudunt *Masor.* Athnach. *Iacob* intelligitur patriarcha cum familia, ipse iam populus recens natus. *Aegypti* nomen non est loci solum, sed illico oppressionem in memoriam revocat ; unde pergitur « et clamaverunt » — « *et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Aegypto et collocavit eos in loco hoc* ». Samuel non ntendit dare chronologicam synopsin historiae populi electi, sed conspectum omnino generalem. Quare, omissis omnibus infidelitatibus, quae in eserto locum habuerant, unico aspectu complectitur totum tempus ab exitu de Aegypto ad ingressum terrae sanctae. Praestitit quippe eo tempore Deus illud, ad quod ipse in foedere se obstrinxerat Ex. 6, 4. 8 ; quomodo vicissim populus pacto steterit, enuntiat v. 9 « *Qui obliti sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisarae, magistri militiae Hasor, et in manu Philisthinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos* ». *Hebr. LXX vendidit eos,* quasi debitores insolventes ; gentiles vero a Deo exactores mittuntur, qui debitum extorquent. Inimici non recensentur ordine chronologico. Primus, saltem in narratione sacra, est Sisara, cuius clades celeberrima erat, posterior tamen clade Eglon, regis Moab Iud. 3, 12 ; Philisthaei iterato populum Dei molestaverunt Iud. 3, 31 ; 10, 7 ; 13, 1 sqq., maxime vero Samuelis aevo. v. 10 « *Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth ; nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi* ». *Et nunc,* seu *nunc autem* confidimus, poenitentiam cum proposito flexuram esse indignationem tuam iustam, ideoque clamamus : Erue nos. En, quae in praecedentibus periculis saluti fuerat Israeli, poenitentia iuncta fiduciae. v. 11 « *Et misit Dominus Ierobaal et Badan et Iephthe et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter* ». Exaggerat partae salutis universalitatem *in circuitu,* et suavitatem, *habitastis securi.* Per iudices *eruebat* Deus, etiam er Samuelem ; unde repudians Samuelem populus vere 8, 7 Deum

repudiabat. Putant aliqui, immodestius Samuelem se ipsum, aliis quibusdam iudicibus praetermissis, efferre ; quare praeferunt lectionem *Syr. Samson*. Sed haec lectio confirmatione caret, et Samuelis argumentum mire roboratur ex hoc, quod efferatur, tempore incursionis Naas exstitisse iudicem aliquem a Deo electum. — Ierobaal est Gedeon. Pro Badan cum *kethib LXX Syr.* corrige Barac. Ordo nominum neque est chronologicus, neque respondens ordini v. 9 ; Barac vicit Sisaram, Samuel Philisthaeos ; sed Gedeon vicit Madianitas, et Iephthe Ammonitas, qui v. 9 non recensebantur. Nominantur iudicum notissimi, quique magis universalem salutem effecissent. v. 12 « *Videntes autem, quod Naas, rex filiorum Ammon, venisset adversum vos, dixistis mihi : Nequaquam, sed rex imperabit nobis ; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis* ». Cf. 8, 19 ; 10, 19.

Iam loquitur Samuel de recentissimo eorum peccato. Quod non fuit idem atque illud v. 9. 10 enuntiatum. Ibi neglexerant cultum Dei « servientes Baalim et Astaroth », fidei tamen et fiduciae non fuerant immemores. Nunc neglexerunt fiduciam Deo debitam propter compertam eius in foedere servando fidelitatem, et multoties per iudices, imo semel per ipsum Samuelem effectam salutem. Ignoraverunt Dominum ipsum esse suum regem, neque sufficientem securitatem nisi in rege humano se reperturos esse arbitrati sunt. *Greg.* : « Qui ad omnia pericula submovenda Dominum praesentem habuit populus, hominem super se regem necessarium non habuit ».

v. 13 « *Nunc ergo praesto est rex vester, quem elegistis et petistis ; ecce dedit vobis Dominus regem* ». Elegerunt regem prae iudice, non Saulem prae alio, hunc enim *dedit* eis Deus. Quam diversa haec exauditio ab aliis v. 10. 11 memoratis ! Illae consequebantur contriti atque meliora proponentis animi supplicationem ; haec decernitur in poenam (cf. 8, 7. 9. 22) petulantis postulationis. Est ipsa quoque una ex « iustitiis » (v. 7) Domini. Conditio populi sub rege inordinate petito inferior est priori eius conditione sub iudice a Deo constituto, inferior futura conditione sub rege a Deo praeordinando (Deut. 17, 15). Cum tamen ea conditio non sit simpliciter infausta, sicut servitus sub regibus gentium, non retractatur, sed fidelitate in cultu Dei corrigenda et consecranda relinquitur. Hinc v. 14 « *Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem eius, et non exasperaveritis os Domini, eritis et vos et rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum* ». Samueli maxime cordi illud est, ut Dominus revera maneat « rex » Israel (v. 12), ut Dominus « incedat » (v. 2) ante populum ipsumque regem humanum, seu ut tam populus quam rex *sint post* (*Hebr.*) Deum, sequantur Deum (*Menoch*).

Esse post pro *sequi* habes Ex. 23, 2 ; 2 Reg. 2,10 ; 15,13. — Sententia *Hebr.* non est manca, sed potest verti sicut *Vulg.* — *Keil* : « Dummodo timeatis, audiatis, sequamini ! » Constructio correcta, sed minime correspondens constructioni versus sequentis (*Then.*) ; duo quippe versus correspondent invicem, eadem voce incipiunt, unus positivus, alter negativus est. — *Exasperaveritis*, verbotenus *amarificaveritis*, ad nauseam provocaveritis et ad iram (*Lap.*).

v. 15 « *Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones eius, erit manus Domini super vos, et super patres vestros* » ; *keri Chald. Syr. sicut super patres vestros,* et hic omnino est sensus. Conclusio practica ex hucusque dictis ea fluit, ut populus de admisso peccato doleat, et cum maiori timore Deo serviat. Hanc conclusionem ut efficacius inculcet Samuel, addito miraculo dictis fidem facit.

v. 16 « *Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro* ». v. 17 « *Numquid non messis tritici est hodie,* » seu *nunc ?* Nonne tempus anni est, quo minime pluere consuevit ? Tempus sc. a medio mense Maio ad medium Iunium. Etiam *Hier.* in Am. 1,18 pluviam eo anni tempore factam miraculo adscribit. « *Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias ; et scietis et videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem* ». v. 18 « *Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces* », i. e. tonitrua, « *et pluvias in illa die* ». Miraculum est analogum ei, quod 7,10 narrabatur : illud Philisthaeos, hoc ipsos Iudaeos perculit terrore. Fuit autem is timor salutaris : v. 19 « *Et timuit omnis populus nimis Dominum et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem : Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum* », nunc magis tuum quam nostrum, quia abiecimus eum (cf. *Menoch.*), « *ut non moriamur. Addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem* ». *Sanct., Tir.* putavere, Hebraeos timuisse, ne fulgure interirent ; potestque urgeri, eos eadem sibi timuisse, quae Masphae ipsis spectantibus accidissent Philisthaeis. Planius tamen ita. Miraculum patrabatur in confirmationem ante dictorum, eos sc. regem petendo magnum admisisse nefas. Hinc in illo phaenomeno contemplabantur quasi manum Domini sibi iamiam imminentem, agnoscebant culpam et supremam, quam se promeritos esse intelligebant, deprecabantur poenam.

v. 20 « *Dixit autem Samuel ad populum : Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc ; verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro* » ; v. 21 « *et nolite declinare post vana, quae non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt* ». Eos a timore servili ad filialem erigere studet atque ad eum scopum, quae ultimis versibus dixerat, repetit. Verum utique est, inquit, vos peccatum hoc grande admisisse, ideoque merito de illo dolere ; non

tamen pusillanimitati indulgendum, quia, certis conditionibus servatis, Dominus populo suo (v. 22) aderit. Conditiones sunt, ut a Domino non recedant, v. 14 iam inculcata, et ut post vana non declinent. Severissima haec vox, qua tandem utitur propheta, postquam suaviori fiduciae affectu auditorum corda subegit. Quaenam ista *vana* intelliguntur ? Primum omnino fiduciam mere naturalem, in subsidia humana repositam, qualem in petendo rege ostenderant ; dein utique etiam fiduciam idolorum et consequentem idololatriam, contra quam constanter Samuel praedicaverat, et cuius mentio in hac ipsa oratione v. 10 saltem indirecta habetur. Vana ista non *proderunt* ad bonum, neque *eruent* a malo, idque non propter accidentalem aliquam, sed propter essentialem insufficientiam, *quia vana sunt*. Non poterat nervosius propheta suum implacabilem horrorem exprimere. — Dictis conditionibus observatis, iam nulla superest causa timendi : v. 22 « *Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum ; quia iuravit Dominus facere vos sibi populum* ».

Non *derelinquet*, licet ipsi 8, 7 *abiecerint*. Qui modo peccati conscii v. 19 Dominum vocaverant *Deum tuum ;* hos nunc, effecta reconciliatione, appellat *populum suum*. Quam formam *Vulg.* ab אלה derivavit (*iuravit*), ea secundum *Hebr. Chald. Syr.* derivanda est a יאל, ergo *placuit, voluit, decrevit*. Cum Deus decreverit facere sibi Israel in populum, et hoc decretum etiam iuramento firmaverit (Vulg.), Deus suo *nomini* maculam inconstantiae inureret, si populum suum proiiceret. Tanta est firmitas fundamenti, cui fiducia Israelitarum superstruitur, ab omni utique *vanitate* longissime aliena.

v. 23 « *Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam* ». Respondet Samuel ad petitum v. 19 ad se individue directum : « Ora pro servis tuis ad Dominum ». Propheta, inquit *Greg.*, eos, qui se abiecerunt, abiicere nefas ducit ; et 76. 970 : « Culpam vir sanctus perpetrare se credidit, si eis, quos adversarios pertulerat benignitatem gratiae non reddidisset in prece ». Censet se stricte obligari qua Hebraeum, ad contribuendum pro viribus saluti populi ; strictius etiam qua prophetam, quem constituit Deus mediatorem inter se et populum, ut orationem Deo offerat pro populo et nomine populi, charismatibus propheticis ad bonum populi utatur, et imprimis propheticas Dei instructiones eidem communicet. Quae, si negligeret, peccaret ipse « in Dominum ». v. 24 « *Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate et ex toto corde vestro ; vidistis enim magnifica, quae in vobis gesserit* ». Pro *igitur LXX* non inepte *tantummodo* : haec unica requiritur conditio, iam v. 14. 20 inculcata ; hac una neglecta, nihil proderunt prophetae orationes et institutiones. *Hebr.* verti potest :

« Quia videte, quomodo magnificatus est in vobis ! » idque tam temporibus anteactis, quam ipso iudicante Samuele. v. 25 « *Quodsi perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis* ». Propheta, veluti praescius neglectum iri sua monita, hac voce minatoria concludit. Hac oratione abdicasse iudicis officium Samuelem, etiam innuitur sequenti versu, illico initium regni Saul pronuntiante.

PARS II. SAULIS A REGNO REPROBATIO 1 REG. 13-16.

Tantum abest ut s. auctor totius regni Saulitici historiam texat, ut evidenter ex toto regno ea sola facta seligat, quae reprobationis causa fuere. Utrum bellum Philisthaicum, quod modo narratur, primum fuerit, nescimus.

1) Saul ob diffidentiam Galgalis admissam carpitur 1 Reg. 13, 1-16.

ARG. — Praedixerat Sauli Samuel 10, 8 : « Et descendes ante me in Galgala, ego quippe descendam ad te, ut offeras oblationem et immoles victimas pacificas. Septem diebus exspectabis, donec veniam ad te et ostendam tibi, quid facias ». Iam aderat probationis praenuntiatae tempus. Philisthaeis Israelitas imparatos adortis, exspectavit quidem Saul septiduo iuxta placitum Samuelis, peccavit vero defectu timoris filialis et fiduciae, quae Deus 12, 24 sq. per prophetam inculcaverat ; peccavit eo quod, dilato praeter exspectationem prophetae adventu, rem fere pro desperata habuerit, nec nisi holocausto praecipitanter oblato restituendam. In cuius pusillanimitatis poenam non ipse quidem, sed eius posteritas regno est exclusa.

Cap. XIII v. 1 « *Filius unius anni erat Saul, cum regnare coepisset, duobus autem annis regnavit super Israel* ». Textus disputatissimus, qui ignoratur a *LXX* et, quoad priorem partem, etiam a *Ios.*, fortasse quod illi de eo restituendo desperarent. Versus evidenter vult dare annos aetatis et regni Saul : eadem siquidem formula constanter initio singulorum regnorum recurrit, cf. 2 Reg. 2, 10 ; 5, 4 ; 3 Reg. 14, 21 ; 22, 42 ; 4 Reg. 8, 17 etc. Aliunde evidens est, numeros, uti nunc leguntur, non potuisse ab auctore scribi, sed debere esse corruptos.

Hebr. : Filius anni erat Saul, cum regnare coepisset etc. Chald. : Sicut filius anni, in quo non sunt culpae, erat Saul, etc. Syr. : Cum anno uno vel duobus regnasset Saul in regno suo super Israel, elegit sibi Saul etc. Quas duas versiones alii aliter modificaverunt : sed admitti neutra potest ob rationem supra positam, formulae siquidem sensus dubium non patitur. Ceterum ex Hebr. et Chald. patet, Vulg. *unius*

et Syr. *uno* explicationis gratia textui esse addita. Antiquiores interpretes fere sequebantur Chaldaeum, fuisse Saulem innocentem uti unius anni infantem, quando regnare coeperit, atque in hac felici conditione duos annos regnasse : ita *Ps. Hier., Greg., Eucher., Angelom. Procop., Abul., Cai., Lyr., Sa, Est.* ; ubi alii cum *Sanct.* biennium illud de toto regno intelligunt, alii cum *Vatabl.* illud ad solam Saulis reprobationem contrahunt. Meminerunt *Mar.* et *Malv.* opinionis quorumdam Hebraeorum, intercessisse annum a privata Saulis unctione vel publica eius electione usque ad regni innovationem Galgalis factam 11, 14, atque inde alterum annum, quoad 13, 2 Saul delectum habuit trium millium virorum. *Tir.* et *Malv.* parenthesin quamdam astruunt : « Agens primum annum Saul in regno suo (duobus autem annis regnavit super Israelem), elegit sibi tria millia etc. ». Haec omnia sunt perquam violenta, maxime cum agatur de formula, quae frequenter et determinato omnino sensu in Regum libris adhibeatur. — Facillima est solutio *Cani* (De loc. theol. XI.), in priore versus parte antiquitus excidisse numerum, hoc modo : « Filius.... annorum erat Saul ». Quam Cani O. P. sententiam ignorans *Malv.* O. P., vehementius in eiusdem sententiae *Scaligerum* invehitur : « Hic est divinus Scaliger, qui ab ipso aeterno Patre potestatem accepit mutandi et supplendi sacras scripturas ». Sed parcat Scaligero Malv., cuius sententiam primo loco recenset *Calm.* et nunc sequuntur plures. Imo *L. Reinke* (Beitraege I. 133) censet, ipsum s. scriptorem primitus versum omisse aetatis numero narrationi inseruisse, quod eum tum numerum compertum non habuerit ; quem postea aut supplere omisit, aut nunquam cognovit. Cuius sententiae sunt *Then., Hitzig, Wellh.* — Quaenam fuerit Saulis aetas initio regni, nescimus ; quod enim aliquis codex LXX (in Hexapla) habet « triginta », videtur esse coniectura. Alii putant fuisse fere quadragenarium, quod filium haberet Ionatham, quem initio regni v. 2 iam copiis praefecerit : sed, quantum tempus inter bellum Ammoniticum et Philisthaeum intercesserit, ignoramus ; potuit illud esse plurium annorum, maxime si regno Saul quadraginta anni tribuantur.

Etiam Saulis regnum *biennio* longius duravit. Secus David, qui triginta annos natus 2 Reg. 5, 4 regnum obtinuit, fuisset viginti octo annorum, quando unctus est a Samuele : at longe iunior tum fuisse 16, 11 ; 17, 33 describitur. Insuper quatuor supremos regni Saul menses versabatur David 27, 7 apud Achis, regem Geth. Restant igitur illius biennii menses viginti, quibus debuit David regi ita fieri familiaris, ut in generum regis 18, 21 assumeretur ; debuit praeter regis filiam alias duas 23, 42 sqq. ; 30, 5 ducere uxores, et interea ea omnia peragere, quae ab eo contra hostes et in fuga gesta esse narrantur. Quae omnia certe nonnisi insignis roboris et mirae agilitatis vir potuit mensibus viginti absolvere. — Act. 13, 21 assignantur regno Saul quadraginta anni, eosdemque *Ios.* (Ant. VI. 14. 9) habet, tribuens octodecim Sauli vivente Samuele, et viginti duos eo defuncto. Aliqua confirmatio inde sumitur, quod 2 Reg. 2, 10 Isboseth tribuantur quadraginta anni, ille autem 1 Reg. 14, 49 inter filios Saul nondum recenseatur, ergo videatur a Saule genitus esse post acceptum regnum. Numerus hic quadragenarius certe est retinendus, quamdiu nullum exstat argumentum, illum falsum esse demonstrans. Facile insuper antiquis characteribus permutari poterant מ (40) et ב (2).

v. 2 « *Et elegit sibi Saul tria millia de Israel* ». Initium id fuit exercitus permanentis ad auctoritatem regis tuendam tam contra hostes exteros, quam contra domesticos inimicos, cf. 10, 26. *Then.* putat, Saulem ab ipso regni exordio consilium iniisse Philisthaeorum debellandorum :

at tum imprudenter egisset, aut non inquirendo de numero copiarum Philisthaeorum (cf. v. 5), aut, eo comperto et longe maiori numero iam Galgalis collecto (11,15), sola tria millia secum retinendo. *Keil* etiam tenet, Saulem meditatum esse bellum, voluisse tamen primum solummodo praesidium aliquod observare, quod Philisthaei prope Gabaam obtinerent (?). Una ratio, cur Saul illa tria millia elegerit, omnino videtur fuisse haec, ut sibi sufficientem auctoritatem inter Hebraeos regno necdum assuetos conciliaret, cui fini etiam alias 24,3; 26,2 ea cohors adhibita est. Ita tamen simul nanciscebatur Saul stabilem nucleum exercitus, qui hostium incursionibus extemplo obiici posset. «*Et erant cum Saul duo millia in Machmas et in monte Bethel, mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin; porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua*». Machmas, hodie Michmas, locus est fere ad orientem Bethaven (v.5), ad meridiem Aiath seu Hai, et Magronis (Is. 10, 21). Mons Bethel ex Gen. 12,8 erat ad orientem Bethel, fere medius inter Bethel et Hai. Gabaa h. l. vocatur Gabaa Beniamin, ut distinguatur a Gabaa Iuda Ios. 17,57 et etiam a Gabaa Saulis seu Dei, nunc Djeba, cf. 10,5; 11,4; Is. 10,29; et dicenda ad 14,2. Saul ipse substitit in Machmas, sive quod eum locum a Philisthaeis primum impugnatum iri coniiceret, sive quod eum munitiorem iudicaret. Ionathanem constituit in Gabaa seu Geba, in opposita parte eiusdem saltus (Wadi Suwenit): ita utrimque hostes a descensu in Galgala prohibebantur.

v. 3 «*Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quae erat in Gabaa*», sc. in Geba (Hebr.) seu Gabaa Beniamin, ubi ipse v. 2 erat. Ergo monumentum (*Vulg. stationem,* sed cf. dicta ad 10,5) h. l. non est idem illud, quod erat prope Gabaa Saulis, sed aliud quoddam, uti videtur, a Philisthaeis in signum prioris alicuius victoriae erectum. Ionathas videtur inconsulto patre egisse, vel ut Iudaeis adderet animum, vel ut Philisthaeos confunderet. Sed aliter res cessit, nam Philisthaei, re audita, convolarunt ad arma, ut ex contextu patet. «*Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebraei?*» Buccina populus ad arma vocabatur Iud. 3,27; 6, 34; 2 Reg. 20,1; 3 Reg. 1,34. 39; 4 Reg. 9,13. Tuba homines reddebat attentos, dein tibicen aliusve verba proferebat. Quaenam summa fuerit proclamationis, ex praecedentibus colligitur et versu sequenti enuntiatur: propalabatur sc. Ionathae facinus, ad inflammandos popularium animos. Illico enim perspexit Saul, in sola iam pugna salutem esse positam: quare populum Galgalam convocavit, et ipse illuc primus properavit; unde v. 7 dicitur «adhuc» ibi fuisse. Properavit autem instruendi exercitus causa, relictis sane tribus millibus virorum in Machmas, Gabaa Beniamin et in monte Bethel. v. 4 «*Et universus Is-*

rael audivit huiusmodi famam : Percussit Saul stationem Philisthinorum », seu verius monumentum. Ducum facinora regibus adscribuntur. « *Et erexit se Israel adversus Philisthiim; clamavit ergo populus post Saul in Galgala* ».

Vulg. erexit se, Chald. concitatus est ; item *Syr.*, ubi legendum puto וחסם pro וחסן ; ergo « et *exarsit* Israel adversus Philisthaeos », sensus de se valde aptus. Videntur legisse נכעש pro נבאש, « *foetens factus est* Israel apud Philisthaeos », LXX ἠσχύνθησαν. Rursum formam ויצעקו *Vulg. LXX*(ἀνέβησαν, corrige ἀνεβόησαν *Wellh.*) interpretati sunt kal, *clamavit ;* melius certe *Masor. Chald. Syr.* niphal, *convocati, congregati sunt*. Sensus videtur esse, Israelitas, audito nuntio, primum magno animo contra Philisthaeos exarsisse, et Galgala confluxisse.

Fateamur oportet, *Hebraeorum* nomen generatim tantum ex ore aut ex mente hostium populi electi vel certe alienigenarum usurpari. Sic Gen. 14, 13 ex mente nuntii ; — Gen. 39, 14. 17 ; 41, 12 ; 43, 32 ; Ex. 1, 11. 16 ; 2, 6. 11. 13 ex mente Aegyptiorum ; — 1 Reg. 4, 6. 9 ; 13, 19 ; 14, 11 ; 29, 3 ex mente Philisthaeorum ; — Gen. 40, 15 ; Ex. 1, 19 ; 2, 7 ; 3, 18 ; 5, 3 ; 7, 16 ; 9, 1. 13 ex ore Israelitarum alienigenas alloquentium ; — pauciores sunt loci, ubi simile quid non obtinet. Ideo eadem vox h. l. in solemni regis ad populum proclamatione, suspicione non caret. Cum tamen eadem vox quandoque, et speciatim nostro hoc libro, etiam ex mente Israelitarum ponatur (Deut. 15, 12 ; 1 Reg. 13, 7. 19 ; 14, 21) et, quomodo textus prudenter emendari possit, non compareat, vox merito proscribi nequit.

Scio equidem, pro *audiant Hebraei LXX* habere *contempserunt servi*. Facillime *Hebraei* in *servos* mutari potuerunt, commutato ר cum ד ; verum lectionem LXX confodiunt non solum reliqui textus, etiam *Aq.* et *Symm.*, sed ipse *Ios.* textum, quem in LXX legebat, ita circumscribens : « Ubi de praesidio capto audiere Philisthaei, indignati et *contemptum* gravem iniuriam rati, *Hebraeis* bellum inferunt ». Est autem in lectione LXX alterum, quod vel ipse Ios. ibi legebat, sc. vox *contempserunt*. Fortasse pro שבת legebant LXX בעט, quae vox 2, 29 et Deut. 32, 15 contemnendi, imo recalcitrandi significationem habet (*Wellh.* suggerit בשע *deficere*) ; vertendum igitur esset : « dicens (Saul) : Rebellentur Hebraei ». Qui sensus satis commodus est, sed nondum satisfacit LXX ; ipsi enim non legebant futurum vel imperativum, sed perfectum. Saul autem vix potest fingi dixisse : Rebellaverunt Hebraei ; nondum quippe rebellaverant, sed ad rebellionem instigabantur. Cum *Wellh.* igitur dicendum erit, id que fortasse (?) ex Ios. aliquatenus poterit confirmari, verba nunc alio, quam quo primitus legerentur, exstare loco, textumque fuisse hunc : « Et audierunt Philisthaei, dicentes : Rebellaverunt Hebraei ; et Saul cecinit buccina in omni terra, et universus Israel audivit, etc. ». Num contra reliquos textus omnes (etiam *Aq.* et *Symm.*), sola praelucente LXX, tanta textus mutatio adstruenda sit, ipse videris, lector benevole.

v. 5 « *Et Philisthiim congregati sunt ad praeliandum contra Israel, triginta millia curruum, et sex millia equitum, et reliquum vulgus* », i. e. pedites, « *sicut arena, quae est in littore maris plurima* ». Expressio haec hyperbolica scripturae valde familiaris est (cf. Ios. 11. 4 ; Iud. 7, 12 ; 2 Reg. 17. 11 ; 3 Reg. 4. 20. 29, etc.) ; h. l. designat numerum comparatione valde magnum, simul patefacit rationem, cur Hebraei ex summo pugnandi ardore v. 4 tam cito ad summam deiectionem transierint. Numerus tamen curruum certe excessivus est.

Verc. : « Omnes fatentur, incredibilem esse numerum triginta millium, si ad currus referatur, nullamque esse proportionem cum sex millibus equitum ». Nec ullus tot curruum poterat esse usus in regione montibus obsita (*Reinke* p. 209 sq.). *Calm.*, *Duguet* notant, teste scriptura habuisse Pharaonem nonnisi sexcentos (Ex. 14,7), Iabin regem Asor nongentos (Iud. 4, 3), Salomonem mille quadringentos (3 Reg. 10, 26), Sesac ducentos (2 Par. 12, 3), Zaram Aethiopem trecentos (2 Par. 14, 9), Adarezer regem Syriae mille (1 Par. 18, 4), Antiochum Eupatorem trecentos (2 Mach. 13, 2) currus ; ipse Darius Arbelis ducentos tantum currus Alexandro opposuit. Qui igitur misellis istis Philisthaeis curruum triginta millia concedamus ! *Syr.* habet *tria millia*, forte legens שלשת pro שלשים, consentiuntque *Carrière*, *Grotius ;* sed et hoc vix credibile. *Ios.*, retentis triginta mille curribus, posuit equites sexaginta millia, sive quod legerit ששים pro ששת, sive quod, sapientis imperatoris partes agens, tot illis curribus iudicaverit plures numero equites esse attribuendos : peditum praeterea addit trecenta millia. Unus codex Hebr. habet *mille*, putatque *Then.*, ante hanc vocem inadvertenter esse repetitum ל finale praecedentis vocis *Israel*, cui valor numeralis triginta. Sed et hoc nimium ducit *Reinke*.

« *Et ascendentes castrametati sunt in Machmas, ad orientem Bethaven* ». Bethaven prope abfuisse a Bethel et ab eodem distinctum, clare affirmatur Ios. 7, 2 ; 18, 12 sq. Quod *excelsum* extra Bethel situm et idololatria desecratum, a prophetis (Am. 5, 5 ; Os. 4, 15 ; 10, 5. 8) Bethaven loco Bethel, i. e. domus abominationis loco domus Dei, appelletur, non probat *urbem* Bethaven eandem esse quae Bethel. Philisthaei eo penetrare non poterant, quin Israelitas, a monte Bethel usque Machmas dispositos, in hunc locum repellerent. De his Israelitis iam loquitur v. 6 « *Quod cum vidissent viri Israel, se in arcto positos, afflictus enim erat populus, absconderunt se in speluncis et in abditis, in petris quoque et in antris et in cisternis* ».

Saule absente, secesserat enim in Galgala, dilapsi sunt, qui fuerant circa Machmas, Hebraei in omne genus latebrarum, tam naturalium, quas *Hebr.* enumerat a radice ad cacumen collis : *in speluncis, et in rubetis, et in rupibus* ; quam artificialium, quae sive supra terram prominerent : *et in turribus* (cf. Iud. 9, 46. 49 et *Ges.*), sive infra terram descenderent : *et in cisternis*. Verba *quoniam comprimebatur populus* perperam otiosa censet *Then.* : Saul copias ita disposuerat, ut venientes trita via de Maspha hostes exciperet. Illi, via Bethaven incedentes dexterum eius cornu, quod a Machmas usque ad montem Bethel protendebatur, reiecerant atque vix non a septemtrione et oriente circumvenerant. Comprimebantur igitur omnia illa duo millia virorum in Machmas parumque abfuit, quin circumvenirentur. Quo viso illi dilapsi sunt, Ionathas vero in altera parte interiectae profundae vallis (Wady Suwenit) Gebam obtinebat.

v. 7 « *Hebraei autem transierunt Iordanem in terram Gad et Galaad* ». עברים cum *LXX* sume appellative : ergo non *Hebraei*, sed *ii qui*

ulterius habitabant, non prope Machmas. *Hugo a S. Vict.* intelligit, Hebraeos transiordanicos ad Saulem confluxisse : sed non de populis ad regem confluentibus his versibus agitur, sed de secedentibus a rege. Articulus omissus numerum indeterminatum significat (cf. *Ew.* et 23, 19); quodsi hanc regulam admittere nolis, facilius articulum excidisse suppones, quam illas admittes textus mutationes, quas alii adstruunt. « *Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum* ».

Septem dies, de quibus v. 8, numerantur ab adventu Saulis in Galgala. Dies quisque infaustum nuntium afferebat, rapidi progressus Philisthaeorum, desertae Machmas, dilabentium militum, populi, quem ad arma vocasset, trans Iordanem fugae. Illi ipsi, qui v. 4 vocanti se iunxerant et nunc cum eo versabantur, repleti erant terrore. Adverte exiguam populi fidem, in ipsis Galgalis trementis, ubi non ita diu ante divinum vidisset miraculum 12, 18, atque illa audisset verba 12, 22 : « Non derelinquet Dominus populum suum ». Ceterum ex hoc ipso fortasse coniicere fas est, saltem aliquot annos intercessisse inter regnum Galgalis instauratum et Philisthaicum bellum. — Probe conscius erat Saul, suae nunc probationis tempus advenisse, cf. 10, 8 ; quare v. 8 « *Et exspectavit septem diebus iuxta placitum Samuelis, et non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo* » ; illi ipsi, qui hucusque pleni pavoris ei adhaeserant. Ergo Saul non eo peccavit (*Greg.*, *Sanct.*), quod ante completos septem dies sacrificaverit, nam dicitur expresse usque ad praestitutum terminum exspectasse, et verba *et non venit Samuel* secus sensu carerent. Neque eo peccavit (*Rup.* 167. 1088 sqq., *Lyr.*), quod sacrificium ipse ad altare obtulerit ; etiamsi enim sacrificia excelsorum per sacerdotes Aaronicos offerri oportuerit (cf. quae diximus in fine cap. 7), at non asseritur Saul eorum opera non esse usus, et certissime non ob eiusmodi delictum a Samuele reprehenditur. v. 9 « *Ait ergo Saul : Afferte mihi holocaustum et pacifica. Et obtulit holocaustum* ». v. 10 « *Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat ; et egressus est Saul obviam ei, ut salutaret eum* ».

v. 11 « *Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti?* » i. e. male egisti. « *Responditque Saul : Quia vidi, quod populus dilaberetur a me, et tu non veneras iuxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas* », v. 12 « *Dixi : Nunc* », disiecta tandem exigua Ionathae manu atque occupatis collibus, « *descendent Philisthiim ad me in Galgala* », locum patentem, quo facillime oppressuri sint me (*Then.*), « *et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus obtuli holocaustum* ». Optime *Vulg.* tria membra v. 11 construit dependenter a *Quia vidi*, ita ut apodosis v. 12 cum *Dixi* incipiat. Tria vidit Saul, quo-

rum primum et tertium, populi incerta fides et Philisthaeorum adventus, rationem dant non dilati sacrificii; alterum, dilatus Samuelis adventus, rationem dat sacrificii etiam absente propheta oblati. Saul eadem, qua ceteri, pusillanimitate laborabat. Rem fere pro perdita habebat. Galgalam, locum tam evidenti miraculo illustratum, reputabat pugnae ineundae iniquissimum esse. Non sufficiebat ei Domini promissio, se non derelicturum esse populum suum; putabat ad minimum faciem Domini addito sacrificio esse demulcendam, huiusque sacrificii cum populi salute necessariam quamdam connexionem se perspicere arbitrabatur. v. 13 « *Dixitque Samuel ad Saul : Stulte egisti, nèc custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi* ».

Quodnam mandatum neglexit Saul ? Non illud de Samuele septiduo exspectando, nam exspectavit, cf. v. 8. Non mandatum aliquod, ne laici sacrificarent. Dices, non solo septiduo iussum esse Saulem exspectare, sed 10,8 : « exspectabis, donec veniam ad te et ostendam tibi, quid facias » ; peccasse eo, quod ipse diremerit quaestionem nonnisi a propheta dirimendam. Partes sententiae Hebr. mera copula coordinat, illud « et ostendam etc. » per modum non mandati sed potius promissionis enuntiatur ; unde neque ita severe potuisset Saul carpi. Dein quaestionem quid faciendum Saul nequaquam privata auctoritate dirimendam susceperat : non enim, essentne in tantis angustiis sacrificia offerenda, id ambigebatur, sed quid post oblata sacrificia in hostes agi oporteret. Quibus missis, mandatum a Saule neglectum quaerendum nobis erit cap. 12, potestque resumi verbis 12,24 sq. ; « Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate et ex toto corde vestro . . . Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis ». Inculcatur ibi timor ille filialis, fidem atque fiduciam includens ; timor, a quo defecerant Israelitae, dum peterent sibi regem 12,12. Illum timorem illamque fiduciam Saulem Galgalae exercere oportebat, desperatis iam fere secundum humanam aestimationem rebus omnibus. Haec erat probatio a Deo praestituta, qua se dignum regno exhiberet atque regni ad posteros transmissionem mereretur. Ad eam fidem atque fiduciam Saul, sicut et reliqui Israelitae, omnino obligabatur ; fueratque ei, sicut illis, ea obligatio solemni Samuelis oratione cap. 12 denuo inculcata ; imo benignissimus Deus 10,8 ei momenta non obscure praemonstraverat, quibus tempus probationis adesse intelligeret, sibique tanto magis caveret. — Fatendum tamen aliunde est, verba Samuelis 10,8 illud, in quo futura esset regis probatio, non distincte efferre, imo potius in obscuro relinquere, unde facile Saul in errorem, eumque fortasse minus culpabilem, induci potuerit. Sensus satis obvius verborum 10,8 is videri potuit, probationem limitatam fore ad septidui exspectationem. Neque est ratio supponendi, Samuelem aliis, praeter verba cap. 10 descriptis, Saulem de probationis obiecto distinctius edocuisse. Sed cur demum tam severe carpitur Saul ? Primum adverte, eum nusquam commissi ea in re peccati *gravis* accusari, quod utrum admiserit necne, interpretis non est definire. At, si non admiserit, num non fuit poena severior ? Non fuit. Nam Sauli, non quod suum iam erat, auferebat Deus, sed ab

ulteriori tantum conferendo beneficio temperabat. Non est autem iniustum, vel ob parvum naevum a magno beneficio conferendo abstinere. Non privat Saulem Deus h. l. regno collato, id enim nonnisi 15, 28 pronuntiatur, sed non extendit regnum ad Saulis posteritatem, cui nequaquam antehac illud fuerat promissum.

« *Quodsi non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum* ». Decreverat Deus, ut, si Saul fidelis in hac probatione perseveraret, regia dignitas ad eius posteros descenderet. Quomodo vero eiusmodi decretum stare potuit cum vaticinio prius edito, de sceptro tribui Iudae attribuendo? Decretum nostrum fuit conditionatum, illud vero vaticinium fundabatur in praescientia, conditionem non impletum iri. Quod si Deus praevidisset, eam conditionem a Saule impletum iri, aut illud vaticinium antea non edidisset, aut modum invenisset, illud salvo tali decreto adimplendi. Cf. *Sanct.* — Tandem, ne cum Saule durius actum esse suspiceris, sedulo distingue Saulis privatam utilitatem ab eius regio officio. Ipsum *qua individuum* manebant gratiae coelestes ; ipsius *regnum*, ex divina praescientia et praecordinatione, erat a priori reprobatum, populo in poenam neglecti numinis concessum : « Rex non ad permanendum electus, sed secundum populi cor durum et malum datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem » (*Aug.*). — Notat *Duguet*, severius Deum primam in quovis statu praevaricationem punire consuevisse : primam in Adamo inobedientiam, primum in Cain homicidium, primum in Nadab et Abiu sacrilegium, primam in Achan rerum devotarum abstractionem, primum in Saule regis peccatum.

v. 14 « *Sed nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum, et praecepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris, quae praecepit Dominus* ». Ratio latae sententiae denuo effertur. Non tamen dicitur ille vir nacturus principatum, Saule adhuc superstite. v. 15 « *Surrexit autem Samuel, et ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. (Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin)* ». Ultima haec sola *LXX* habet, unde in *Vulg.* post Hier. penetrarunt (*Verc.*). Samuel Gabaam Beniamin ascendit, ut interesset pugnae ibidem, uti interfuerat Masphae. « Hinc constat, nondum fuisse Saulem reprobatum a Domino, quando illum Samuel non deseruit, sicut fecit postea in causa Amalec » (*Sanct.*). « *Et recensuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros* ». Ergo, acceleratum in Galgala sacrificium, non praepediverat, quominus populus dilaberetur, cf. v. 11 (*Keil*). v. 16 « *Et Saul et Ionathas, filius eius, populusque, qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin; porro Philisthiim consederant in Machmas* ». His

resumitur narratio v. 7 abrupta de actis apud Gebam seu Gabaam Beniamin.

2) Bellum Philisthaicum 13, 17-14, 52.

ARG. — Dum Philisthaei et Hebraei adversos eiusdem vallis scopulos obtinent, Ionathas solus cum armigero, Dei auxilio fretus, hostes adoritur atque in fugam agit. Rem Saul e longinquo contuitus praeceps eosdem insequitur, totumque populum temerario voto, ne quis ante plenam hostium stragem cibum capiat, adstringit. Votum inscius Ionathas transgressus sorte deprehenditur, interim vero Philisthaei dilabuntur. Quaecunque Ionathae fiducia feliciter fuerant incoepta, eadem Saulis praesumptione et superstitione retardantur atque truncantur. Concluditur narratio summario regni Saul conspectu.

v. 17 « *Et egressi sunt ad praedandum de castris Philisthinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Sual* »; v. 18 « *porro alius ingrediebatur per viam Bethhoron; tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum* ». *Hebr. Et egressus est vastator, tres cunei.* Vox *vastator* articulum habet, eo quod res fuerit Philisthaeis omnino usitata atque Hebraeis oppido nota : vastationes illae in omnibus Philisthaeorum incursionibus locum habere consueverant.

Terra *Sual* ignoratur. *Ephra* civitas est tribus Beniamin Ios. 18,23, creditur que eadem esse atque Ephron 2 Par. 13,19 et Ephraim Ios. Bell. Iud. IV. 9. 9 : omnes hi textus intendunt locum propinquum Bethel. Sed nostrum Ephra non est idem atque Ephron Ios. 15,9, civitas Beniamin, prope fines tribus Iuda, inter Ierusalem et Cariathiarim sita : eo enim iter a Machmas Saulis praesidio intercipiebatur. *Bethhoron*, hodie Bet Ur, civitas Ephraimitica, omnino propinqua finibus Beniamin Ios. 16,2. 5; 18, 13 ; secus viam, quae ex Gabaon ducit Macedam 10,11, vel etiam Lyddam Ios. Bell. Iud. II. 19. 1, et Antipatrin II. 19. 8. Pro גבול *termini* legebant *LXX* גבע *collis* quod utique contextui melius respondet : iter collis imminentis valli. Nominatur urbs *Seboim* Beniaminitica 2 Esdr. 11,34. Desertum intelligi potest vel illud trans Iordanem (sed ab hoc videntur Philisthaei Saulis praesidio efficaciter fuisse exclusi), vel desertum prope Bethaven, vel desertum Iuda. Si hoc ultimum supponamus, habemus Philisthaeos palantes versus septentrionem (Ephra), occidentem (Bethhoron), meridiem (Seboim) : ab oriente cohibebantur Saulis praesidio.

v. 19 « *Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel : caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam* ». v. 5 et iterum v. 17 sq. perspeximus, quam expediti ad bellum fuerint Philisthaei : nunc docemur, quam misere Israelitae fuerint armis instructi.

Videtur ea constans fuisse Philisthaeorum praxis, ut, quos subegissent, He-

braeis arma adimerent. Dum enim Aod Iud. 3,16, Gedeonis 8,20, Abimelechi 9, 54 tempore, itemque tempore belli a reliquis contra tribum Beniamin suscepti 19,29 ; 20,17. 25. 37. 48 ; 21,10 gladiorum fit mentio : Samgar 3,31 Philisthaeos percussisse narratur *stimulo*, neque in tota Samsonis historia *gladii* mentio habetur. Ex his vero confirmatur, quod diximus, verba 7,13 « et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis » — haec, inquam, verba non de tota Samuelis vita esse accipienda, sed solum de tempore usque ad conscripta ab ipso septem priora nostri libri capita. Credo equidem caruisse Israelitas fabris et gladiis, quando 7,6 Maspham convenerunt : sed num in illa Philisthaeorum strage ne gladium quidem lanceamve acquisiverunt ? Acquisiverunt utique, sed pluribus annis post reddere coacti sunt, quando sc. rursum « apposuerunt Philisthaei, ut venirent in terminos Israel ». Rursum credo bello Ammonitico cap. 11 Israelitas gladiis et lanceis caruisse. Sed num carebant Ammonitae ? et quando « dispersi sunt ita, ut non relinquerentur in eis duo pariter », num ne unus quidem ensis aut lancea in manus incidit Hebraeorum ? Inciderunt sine dubio, sed a Philisthaeis rursum collecti sunt, qui eo tempore iam ab annis, Hebraeis haud mussitantibus, toti regioni imperasse videntur. Imperium vero ita videntur exercuisse, ut statis temporibus regionem armata manu ingrederentur, arma, si quae essent, auferrent, tributa colligerent, imo fortasse agros vastarent, monumenta sive triumphatoria sive funebria (10,5 ; 13,3) erigerent. Et nota, nostram narrationem procedere ab auctore, qui mediis eventibus narratis inerat ; quando igitur ipse nobis dicit « descendebat omnis Israel ad Philisthiim », non sunt censendi aliqui remotiorum tantum partium Israelitae ad Philisthaeos descendisse, sed in primis etiam ii, quos auctor maxime prae oculis habebat, tribuum Beniamin et Iuda.

v. 20 « *Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, et ligonem, et securim, et sarculum* ». Dixerat de gladiis et lanceis, iam dicit de instrumentis agrestibus, explicatque quomodo fuerint acuta, cum nullus in regione esset faber.

Quod in *Hebr.* secundo loco ponitur את, ex Is. 2,4 ; Mich. 4,3 ; Ioel 3 (4), 10 utique cum *Syr.* vertendum est *vomer ; LXX* aliis locis vertunt ἄροτρον, h. l. indeterminate σκεῦος· קרדם ex Ps. 73 (74), 5 ; Iud. 9,48 ; Ier. 46,22 constat esse instrumentum caedendis arboribus inserviens, ergo *securis*, ut vertunt *Vulg. LXX Chald. Symm.* מחרשת (etiam v. 21) et מחרשה, *Vulg. ligonem et sarculum*, ambo a radice חרש *incidit, insculpsit, aravit* derivantur, et aliquod agriculturae instrumentum designant. Mirantur tamen aliqui, duorum instrumentorum diversorum nomina fuisse tam affinia, aut potius identica, ideoque secundum מחרשתו putant esse corruptum ex חרמשתו, a חַרְמֵשָׁה vel חֶרְמֵשׁ, quod ex Deut. 16, 9 *falcem* significare constat.

v. 21 « *Retusae itaque erant acies vomerum, et ligonum, et tridentum, et securium, usque ad stimulum corrigendum* ». Verte sic : Et inserviebat lima ad temperandam aciem omnis vomeris, et tridentis, et

securis, et ligonis acuti. Sensum hunc iam habent *Amama*, *Calm.*, *Cler.*, sed non valuerunt totum textum, qui corruptus est, reconstruere. Eius disiecta et deformata fragmenta ex variis versionibus sunt colligenda.

Hebr. habet: והיתה הפציר פים למחרשות ולאתים ולשלש קלשון ולהקרדמים ולהציב הדרבן quem textum *Vulg.* satis exacte reddidit. Sed plura sunt, quae illum valde suspectum reddunt: 1) habentur in eo quatuor ἅπαξ λεγόμενα, sc. פציר, פים, קלשון, et terminus complexus שלש קלשון; 2) ante פים pro פציר deberet esse stat. constr. פצירת; 3) forma פים explicari nequit; 4) ultima verba (*Vulg. usque ad stimulum corrigendum*) sensu carent. — Iam ad singula descendamus. Pro radice פצר significatio *obtundere* (Vulg. *retusae*) demonstrari nequit; e contra *Chald. Syr.* פציר reddiderunt שופינא *limam*, quorum concordi testimonio aliorum coniecturae postponi debent (*Mar.*, *Malv.*, *Amama*). Vox chald. in linguam latinam transsumpta est, et apud *Plin.*, *Varr.*, *Tert.* « scobina » limam significat. — Pro למחרשות *LXX Chald.* legebant infinitivum לחרש, *ad acuendum*; qui si acceptetur, excluditur suppositio quorumdam, sequentibus vocibus mere intendi repetitionem nominum instrumentorum, quae v. 20 recensebantur; quae suppositio causa fuit, cur critici illi textum restituere non valuerint. — Praeterea *Chald.* ordinem vocum invertit et, pro פים למחרשת ולאתים, legebat לחרש את פי כל אתים, *ad temperandam aciem omnis vomeris*. Literae parum differunt, sensus est planus. — Tandem facere non possumus, quin, quod etiam *LXX Syr.* sensisse videntur, suspicemur, in ולהציב latere nomen alius cuiusdam instrumenti. Hic autem sponte se offert correctio ולחציב, a radice חצב *excidere*, quae praeprimis de lapidibus praedicatur. חציב הדרבן videtur significare ligonem illum lapicidarum, qui hinc in malleum, illinc in acumen terminatur: Germanice « Spitzhacke ». Textus igitur hebr. restitutus hic est:

והיתה הפציר לחרש את פי כל אתים ולשלש קלשון ולהקרדמים ולחציב דרבן.

Versionem supra adscripsimus.

Hinc v. 21 nequaquam continet repetitionem vel amplificationem eorum, quae v. 20 narrabantur, sed consequentiam et complementum v. 19 et 20. Cum sc. non esset faber ferrarius inter Israelitas, cum ipsi nonnisi ad instrumenta agricultura reficienda permitterentur fabros ferrarios Philisthaeorum adire, ipsi instante bello aliqua ,non omnia instrumenta agriculturae ope limae bellico usui adaptabant: vomerem, tridentem, securim, lapicidarum ligonem. Vide exemplum Samgar Iud. 3,31. Ergo licet Saul et Ionathan, soli gladium gererent et hastam, reliqui tamen Israelitae armis nequaquam erant destituti, licet armis Philisthaeorum longe imperfectioribus. Adde arcuset sagittas.

v. 22 « *Cumque venisset dies proelii, non est inventus ensis et lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule et Ionatha, excepto Saule et Ionatha, filio eius* ». v. 23 «*Egressa est autem statio Philisthiim, ut transcenderet in Machmas* ». Dicimus germanice: « Ein Posten wurde vorgeschoben bis an die Schlucht von M. » מעבר recte vertit *Chald. saltum*. Hic versus complet narrationem v. 17 sq., ostendens, Philisthaeos etiam orientem versus processisse; simulque introducit narrationem cap. 14, quippe cum illa statione congressus est Ionathan. Finis constituendae

stationis is videtur fuisse, ut Hebraei ab adoriendis castris in Machmas positis arcerentur, et magis etiam, ut, quid Hebraei agerent, observaretur.

Cap. XIV v. 1 « *Et accidit quadam die, ut diceret Ionathas, filius Saul, ad adolescentem armigerum suum : Veni et transeamus ad stationem Philisthinorum, quae est trans locum illum* ». *Hebr. quae est ibi, ex altera parte.* Locus ob saltus angustiam oculis distincte videri poterat. Quae sequuntur usque ad v. 6, parenthesis instar interiiciuntur et quorumdam, quae sequente narratione habentur, rationem reddunt. « *Patri autem suo hoc ipsum non indicavit* ». Hinc explicatur Saulis v. 17 ignorantia. v. 2 « *Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub malogranato, quae erat in Magron* ».

Iam de situ locorum Geba, Gabaa Beniamin, Gabaa Saulis nobis est disserendum. Et duo quidem extra quaestionem versantur : Geba, quae est Djeba, opposita Machmas, prope ingressum saltus Wadi Suwenit ; et Gabaa Saulis, quam in colle nunc Tulel el Ful nuncupato sitam fuisse ii, qui ipsam regionem explorarunt, pronuntiant. Difficultatem parit Gabaa Beniamin, quae cum Gabaa Saulis identificari consuevit, ob eam, uti videtur, maxime rationem, quod Gabaa Saulis fuerit in tribu Beniamin, ergo apte potuerit vocari Gabaa Beniamin. Ast multiplex hinc nascitur difficultas, ut ipse recentissimus interpres *Clair* ad 13, 16 fateatur, « certissime textum esse obscurum, nosque vix quidquam de Saulis itineribus intelligere ». Is modo Gebae (ita *Hebr.*) cum Ionatha 13, 16 residet, modo 14, 2 castra habet in Gabaa. Ex Gabaa, quam Gabaam Saulis supponunt, horae itinere, interiectis saltibus, a Machmas distantem, speculator es 14, 16 distincte omnia, quae in Machmas aguntur, videt, atque 14, 19 audiunt tumultum ib. exortum, non solum in confuso, sed prout « crescebat paulatim et clarius resonabat ». Hinc Saul omnisque populus festinant 14, 20 ad locum certaminis, supponamus eos quam ocissime cucurrisse, certe dimidia hora opus fuit, quo toto tempore Ionathas cum armigero soli supponuntur toti exercitui Philisthaeorum restitisse. Dein 13,15 quid negotii acturus Samuel Gabaam Saulis ascendat, non perspicitur. — At perperam identitas statuitur inter Gabaam Saulis et Gabaam Beniamin. Nullo loco, quem de Gabaa Saulis agere constat, nomen Gabaa Beniamin usurpatur : sed Iud. 19, 14 ; 20, 4 « Gabaa, *quae* Beniamin », qui loquendi modus potius indicat, « Beniamin » non esse partem nominis proprii. Tota difficultas solvitur, si supponas eandem esse Gabaam Beniamin, quam Gebam, recteque *Vulg.* constanter vertere *Gabaa*. Quam urbem *Hebr.* in statu absoluto semper scribit *Geba* (13, 3 ; 14, 5 ; Ios. 18, 24 ; 21, 17 ; 4Reg. 23, 8 ; Zach. 14, 10 ; 1 Par. 6, 60 (45) ; Is. 10, 29), in statu constructo vel *Geba Beniamin* (13, 16 ; Iud. 20, 10 ; 3 Reg. 15, 22) vel *Gibeath Beniamin* (13, 2. 15 ; 14, 16). — Unicum locum obiicies nostrum versum 14,2, ubi in stat uabsolut oasseritur Saul fuisse in *Gabaa* ; sed *LXX Chald. Syr.* vertunt appellative, et merito quidem : *morabatur in extrema parte collis*, quamvis collem Geba intelligi non negemus. Tam Saul igitur quam Ionathan versabantur prope Gebam, ibienim castra posuerant 13, 16. Sed Ionathan obtinebat summitatem rupis Senc (14, 4 sq.), sicut Philisthiim stationem habebant in summitate oppositae rupis Boses (ib. et 13, 23) ; quae duae rupes non sunt individue unitae collibus pone easdem exsurgentibus, sed habent minorem aliquem saltum a tergo ipsarum ad illorum collium verticem ascendentem. Saul vero erat in extremitate ipsius collis Geba,

quae extremitas iam accuratius describitur : erat ipse sub malogranato, quae erat e regione Magron, e qua Magronem versus prospectus patebat : nam hunc quoque sensum praepositio ב induere potest. Non dicitur Saul ipse aut malogranatus fuisse in Magron ; neque aliam Magron intelligi oportet, quam eam Is. 10, 28, nam licet ab hac tum Saul Philisthaeorum copiis interciperetur, tamen in illam poterat prospicere.

« *Et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum* ». Haec verba inseruntur, quia vult nos s. auctor docere v. 3, non solum Saulem, sed etiam populum Ionathae factum ignorasse, quo explicentur v. 16 sqq. narrata. Non sine ratione effert s. auctor, salutem in Israel factam esse *inscio Saule,* qui antea 13,12 credidisset, omnia fore desperata, nisi ipse tempestive Dominum placaret sacrificiis. Quia iam eorum, qui cum Saule erant, mentionem fecit s. auctor, unum ex illis Achiam pontificem (de quo cf. dicenda ad 22,9) speciatim commemorat, postea populi ignorantiam relaturus. — Illi mille viri, qui initio 13,2 cum Ionatha Gebam obtinuerant, videntur appropinquantibus Philisthaeis etiam esse dilapsi, ut fere nulli adhaererent regi praeter sexcentos Galgalis collectos. v. 3 « *Et Achias, filius Achitob, fratris Ichabod* (4,21), *filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod* », sine articulo cf. 2,28, i. e. fungebatur munere pontificis. Soli *LXX*, sed perperam, verba *sacerdotis Domini in Silo* non ad Heli referunt, sed ad Achiam, ac si is in Silo residere consueverit. « *Sed et populus ignorabat, quo isset Ionathas* ».

v. 4 « *Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde praerupti : nomen uni Boses, et nomen alteri Sene* ». v. 5 « *Unus scopulus prominens ad aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad meridiem contra Gabaa* ». Duo ascensus seu *transitus* (*Hebr.*) intelliguntur duo saltus latera, unum a Geba descendens, alterum in Machmas ascendens. Quomodo duo scopuli ex lateribus prostent, discimus ad v. 2. Scopuli ipsi omnino praerupti sunt, nec nisi a tergo, ubi cum saltus latere cohaerent, ascensus possibilis est vel descensus, qui ex opposito latere, interiecto scopulo videri non potest. Hinc reapse v. 11 sq. Philisthaei Ionatham et armigerum non conspicati sunt prius, quam illi, pone rupem Sene iam delapsi, pone rupem Boses ascendere properabant. — *Prominens* : verte *constitutus* secundum dicta ad 2,8.

v. 6 « *Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum : Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum* ». Resumitur narratio inde a v. 1 interrupta facinoris Ionathae. Repetuntur Ionathae verba prius relata, sensu prorsus identico, sed levi verborum differentia admissa, qua moneamur, eiusmodi dicta non servili fidelitate in scrip-

tura describi consuevisse : quod ceteroquin etiam de se evidens est. « *Si forte faciat Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis* ». *Hebr. : non est Domino restrictio, ut salvet;* aeque valet Dominus efficere salutem per paucos vel imo duos, quam per multos. *Si forte faciat Dominus pro nobis* constructio est elliptica : Tentandum nobis est, annon forte etc. Celebrat *Duguet* Ionathae fiduciam, qui unico gladio et lancea instructus (13, 22) ausus sit Philisthaeorum aggredi agmina, quae Saul dilabente a se populo tantopere formidaverat. Ea fiducia nititur explicito motivo divinae omnipotentiae, sed ignorat adhuc, decreveritne Deus sua omnipotentia nunc ipsum uti, idque quaesito signo v. 10 perspicere studet. v. 7 « *Dixitque ei armiger suus : Fac omnia, quae placent animo tuo; perge, quo cupis, et ero tecum, ubicumque volueris* ».

Sensus est satis clarus, sed lectio intricata. *LXX* pro עשה כל אשר בלבבך נטה לך legebant עשה כל אשר לבבך נטה לו, *fac omnia, ad quae cor tuum inclinatur.* Lectio haec longe facilior est, cui suffragatur Prov. 2, 2 : Ps. 118 (119), 112; Iud. 9, 3. Verum ב et לך textus reliqui omnes reddunt. *Syr.* לך punctabat לָךְ *vade. Masor.* לָךְ optime ut dativum commodi interpretabimur, imo ut synonymum sequentis *sicut cor tuum (Vulg. ubicunque volueris)*, ergo : Vertere, quo placet, et ego ero tecum secundum placitum tuum ; quod recidit in *Vulg.* versionem. Alii : « verte gressus », supplente *Ges.* « illuc », Fürst « hinc ». Vel possemus נְטֵה לָךְ interpretari ad instar expressionum Ps. 21 (20), 12 ; 1 Par. 21, 10, ergo : Cogita tibi, consilium ini, quod vis. Sed Vulg. versio praeferenda. — Ultimam vocem *LXX* a prioribus separant : *Sicut cor tuum, ita cor meum,* ubi non sunt censendi aliud a *Hebr.* legisse, sed lecta solum explicasse.

v. 8 « *Et ait Ionathas : Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis,* » v. 9 « *si taliter locuti fuerint ad nos : Manete, donec veniamus ad vos; stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos* ». v. 10 « *Si autem dixerint : Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum* ». Ionathas, ut hostes adoriretur, a Deo instigabatur. Ut autem discerneret, essetne hic impulsus divinus, signum ipse statuit ex ore hostium petendum, more Hebraeorum (cf. Gen. 24, 13 sq. ; Iud. 6, 36 sqq.), quo obtento ipse Dei fiducia plenus aggressurus erat atque devicturus hostes. Cf. *Sanct.* Fatendum utique est, Ionatham illud statuisse signum, quod probabilissime eventurum esset. Non erat sane exspectandum, Philisthaeorum excubias, conspectis duobus Hebraeis, locum munitissimum esse deserturos atque in vallem arduo clivo descensuros, quo tempore facile illi Hebraei in locum tutum se possent recipere ; Philisthaeorum erat, hostem fixis vestigiis exspectare atque ad ascendendum pellicere. Remuneravit autem Deus simplicem Ionathae fiduciam insigni victoria. « Verba haec anim

in Deum confidentis : cum autem ita confideret, ipse non est frustratus » (*Theodoret.*). v. 11 « *Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum* », emergentes ad radicem rupis Sene in valle, « *dixeruntque Philisthiim : En Hebraei egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant* », sive pugnae ineundae, sive deditionis faciendae causa. *Hebraei* sine articulo, ergo : duo aliqui Hebraei. v. 12 « *Et locuti sunt viri de statione ad Ionatham et ad armigerum eius, dixeruntque : Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem* ». Expressio aut est minatoria (*Ios.*, *Greg.*), possibilem supponens ascensum rupis, aut illusoria (*Cler.*) : « Ludibrio se eos habituros esse sperabant, neque enim putabant, illac rupem posse ascendi ». Vel etiam est irrisoria invitatio ascendendi, faciendae deditionis causa. « *Et ait Ionathas ad armigerum suum : Ascendamus, sequere me, tradidit enim Dominus eos in manus Israel* ». v. 13 « *Ascendit autem Ionathas manibus et pedibus reptans, et armiger eius post eum. Itaque alii cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat, sequens eum* ». Obstupefacti videntur esse Philisthaei, sive quod deditionem exspectaverint, non pugnam ; sive quod perculsi sint audacia loco iniquissimo adreptantium, accedente simul terrore coelitus incusso ; sive, ut explicat *Ios.*, quod Ionathas, sub rupe Boses Philisthaeorum observationem eludens et pone rupem ascendens, illos a tergo adortus sit.— Piel vertit *Wellh.* « penitus interficiebat » ; complebat Ionathae opus, et leviter ab illo vulneratos conficiendo, et intactos relictos trucidando. v. 14 « *Et facta est plaga prima* », quae distinguitur a secunda v. 20, « *qua percussit Ionathas et armiger eius quasi viginti virorum, in media parte iugeri, quam par boum in die arare consuevit* ». Vertendum secundum *LXX in iaculis*, (*et in lapidibus iactis*), *et in silicibus campi*. Efferuntur arma valde insufficientia (cf. 13,22), quibus tantam victoriam Ionathas assecutus sit.

Vulg. explicat textum *Hebr. Chald.*, qui concisior est : *quasi in dimidio sulco iugeri agri*. Quod sibi ita fingunt *Keil*, *Clair* : tanto terrore perculsos fugae se dedisse Philisthaeos, ut omnes viginti viri in una linea recta, longitudinis dimidii iugeri interfecti reperti sint : res profecto mirabilis ! *Syr.* pro כבחצי מענה צמד שדא legebat כחצבים וכנחי צמוד שדא, *sicut lapicidas (vel lapicidae) et sicut ducentes iuga boum in agro*. Apud *LXX* recte *Then.*, *Wellh.* expungunt membrum *et in lapidibus iactis*, tamquam inusitati ζύγλαξι explicationem, e margine in textum transsumptam. *LXX*, uti reliqui omnes, vocem שדא in fine sententiae legebant. Initio media inter Syr. et Hebr. utebantur lectione בחצים וב ; post eam paulo aliter a Hebr. legebant.

v. 15 « *Et factum est miraculum* », *Hebr. perturbatio* », *in castris per agros ; sed et omnis populus stationis eorum, qui ierant ad praedandum, obstupuit ; et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo* ». *Perturbatio Dei* (*Hebr.*) significat maximam perturbationem, quae etiam, quia talis, a Deo credebatur immissa. Illa perturbatio facta est in castris

per agrum dispositis, *sicut* (ita recte *Then.*) facta fuerat in toto populo stationis in rupe Boses collocatae ; et vastatores (cf. 13, 17 sqq.) perturbati sunt etiam ipsi. Terram conturbatam esse, minime significat (*Clair*), terrae motum locum habuisse. v. 16 « *Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens* ».

Solum ההמון habent *Hebr. Vulg.*, solum המחנה *LXX Syr.*, utramque vocem *Chald.* — וילך omnes habent, exceptis *LXX* ; primum הלם, quod tamen evidenter suppleri debet, soli servarunt *Vulg. LXX.* — *Prostrata, Hebr. diffluens.*

v. 17 « *Et ait Saul populo, qui erat cum eo : Requirite et videte, quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est, non adesse Ionatham et armigerum eius* ». Saul illico supponit, aliquem ex suis tumultus causam fuisse ; magis videtur fuisse sollicitus de neglecta propria auctoritate (cf. v. 1), quam de mirabili salute a Deo effecta. v. 18 « *Et ait Saul ad Achiam : Applica arcam Dei. Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel* ».

Ita *Hebr. Vulg. Chald. Syr.* ; e contra *LXX* (cf. *Ios.*) : *Admove ephod. Quoniam ipse portabat ephod illis diebus coram Israel.* Res critice vix dirimi potest. Pro *arca* hae militant rationes : analogia prioris proelii Masphae facti cap. 4 ; ipsa verba LXX, quae iam habebantur v. 3 et ideo videntur redundare. Pro *ephod* urgetur silentium v. 3 de arcae praesentia et mentio ib. ephod facta ; difficultas arcae, tam perturbatis temporibus et hostibus totam late regionem populantibus, ad tam exiguum Saulis exercitum e Cariathiarim transportandae ; improprietas vocis *applica* si ad arcam referatur, dum eadem vox alias (23, 9 ; 30, 7) de ephod usurpetur, et generatim non ab arca sed per ephod oracula peti consueverint. Accedit mentio ephod apud *Chald.* v. 19.

v. 19 « *Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum, crescebatque paulatim, et clarius resonabat* ». *Hebr. tumultus, qui erat in castris Philisthaeorum, ibat extendens atque augmentans.* His clarius explicatur relatio v. 19 ad v. 16. Ibi tumultus initia describebantur, hic illius progressus ; si ibi vocem המחנה cum *Hebr. Vulg.* expungas, quae facile oriri potuit deformatione vocis ההמון, habebis ibi descriptionem perturbationis in statione, hic in ipsis castris exortae. « *Et ait Saul ad sacerdotem : Contrahe manum tuam* », ab arca vel ab ephod, vel etiam absolute : Desiste. Quippe, neque exspectato oraculo, evidens iam erat, quid facto opus esset (*Malv.*). In Saulis tamen agendi ratione praecipitatio quaedam cernitur : praeceps est in oraculo consulendo, praeceps in eius responso non exspectando. v. 20 « *Conclamavit ergo Saul et omnis populus, qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis, et ecce versus fuerat gladius uniuscuiusque ad proximum suum, et caedes magna nimis* ». Pro *conclama-*

vit melius *congregatus est*, cf. dicta ad 13, 4. ; *LXX* ἀνέβη corruptum ex ἀνεβόησε. Factum cum *Ios.* ita explicari potest, quod Philisthaei, sibi invicem non satis noti nulloque certo signo ab Hebraeis distincti, in tam subita perturbatione suos fugientes ab hostibus insequentibus discernere non valerent, idque tanto minus, quod nequaquam suspicari poterant, ex tanto numero duos tantummodo sibi esse infensos.. v. 21 « *Sed et Hebraei, qui fuerant cum Philisthiim heri et nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt, ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Ionatha* ». v. 22 « *Omnes quoque Israelitae, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthaei, sociaverunt se cum suis in praelio, (et erant cum Saul, quasi decem millia virorum)* ». Ultimum incisum ex *LXX* (cf. *Ios.*) in *Vulg.* penetravit.

Pro עברים *Hebraei*, *LXX* עבדים *servi* ; quod esse mendum, patet ex oppositione ad *Israel, qui erant cum Saul et Ionatha*. Constructio hebr. non penitus est ad limam exacta, non ideo tamen corrigenda. *Reversi* seu *conversi sunt* : versiones omnes pro סבוב ו legebant סבבו.

v. 23 « *Et salvavit Dominus in die illa Israel* », Dominus per fidem Ionathae, non Saul. Pulchre haec verba narrationem proelii concludunt.

« *Pugna autem pervenit usque Bethaven* » (13, 5) ; verbotenus *transiit in Bethaven* ; non dicitur ulterius non processisse, sed locus indicatur, prope quem v. 26 erat saltus. v. 24 « *Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa ; adiuravit autem Saul populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem* ». Formam נגש derivarunt *Vulg. Syr.* a נגש *appropinquare* ; *Masor. Chald.* a נגש *premere*, quod melius quadrat contextui. Sensus est, viros Israel eo die pressos seu oppressos esse inedia eamque consequente fatigatione, cuius inde rei assignatur ratio, vertenda plusquamperfecto : Adiuraverat enim Saul etc., et non manducaverat universus populus panem. Hic sensus cum non sit ita difficilis, non est, cur textu *Hebr. Vulg. Chald. Syr.* deserto, textum *LXX* toto coelo distantem praeferamus. — Ex. h. l., uti ex sexcentis aliis, colligitur, comedere panem idem esse atque comedere aliquid.

Iam Patrum aetate nata est quaestio, sitne illud Saulis edictum laudandum, an reprehendendum. Laudat *Ps. Ambr.* (17, 645) : « Bonus », inquit, « plane rex, qui hostes suos non tam armis, quam devotione vincebat, et plus dimicabat religione, quam telis ». Repugnat *Chrys.* (49. 145), iuramentum idem affirmans opus esse diaboli. Illius sententiam tuetur cum aliis *Abul.*, huic accessere *Lyr.*, *Sanct.* Primum igitur adverte, Ps. Ambr., sicut etiam *Tert.* (2. 967), non scripturae interpretes agere, sed ieiunii laudatores, unde eorum hac in quaestione

auctoritas tanta non est. *LXX* sane, in lectione quidem a recepta diversa, Saulis factum graviter reprobarunt, quorum sententiam his verbis suam fecit *Ios.* : Saul, « sive propter gaudium victoriae adeo inopinatae, sive ex inscitia in grave incidit malum et multorum reprehensioni obnoxium. Volens enim semet vindicare, meritasque poenas a Philisthaeis repetere, etc. ». Ex quibus licet fortasse inferre, Hebraeorum a. C. traditionem Saulis factum condemnasse. Actus sane devotionis et religionis, ut plurimum, est ieiunium : at, utrum ex tali motivo a Saule fuerit indictum, disputatur, et probabilior est Ios. expositio, fuisse indictum, ex affectu vindictae et impatientiae, Saule, ut alias, praecipitanter agente et praecedens pusillanimitatis peccatum iamiam redimente praesumptione. Neque dicas, si Saul peccasset, debuisse illum, non Ionatham, sortibus v. 42 reum pronuntiari : non de cuiuslibet generis peccato ibi quaerebatur, sed de peccato neglectae regiae prohibitionis, quae, licet ex iniquo profecta motivo, legitimam tamen obtinuerat vim ; cuius neglectus reus fuit non Saul, sed Ionathas. Saulis prohibitionem v. 29 certe reprobat Ionathas, cuius sensus et actus per totum hoc caput commendantur.

v 25 « *Omneque terrae vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri* ». v. 26 « *Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum* ». Timebat Saulem vindicem eius, quod ipse pronuntiaverat, iuramenti ; timebat maledictionis, a legitimo rege pronuntiatae, vadem Deum.

v. 25 difficultatem habet. Primum pro *omnis populus terrae, Hebr. Syr.* habent *omnis terra* ; sed *populus* primitus textui hebr. infuisse, colligitur, non solum ex *Chald.*, qui ei textui presse adhaerere consuevit vocemque retinuit, sed etiam ex *LXX* apud quos העם depravatum erat in טעם, unde verterunt *et omnis terra prandebat.* — Dein textus, uti apud *Hebr. Vulg. Chald. Syr.* exstat, aliqua tautologia laborat, bis enim dicitur populus in saltum venisse ; alterum e contra, quod secundum Hebraeorum narrandi modum omnino exprimi deberet, sc. populi exhaustio, silentio premitur. Iam *LXX* diversam habent lectionem : pro באו ביער ויהי legebant ויער היה vel ויעל היה. Unde efficitur, primum, literas באו ב ad textum pertinere, non esse ita certum ; secundo, lectionem יער neque esse certam. Potuit haec facillime nasci ex simili aliqua lectione, eo quod illico v. 26 vox יער indubie occurrat. Nosque putamus corruptam esse ex יעף *cursu exhaustus est*, quod v. 28 habetur (« Defecerat autem populus ») in inciso, quod. ib. redundat, eoque delapsum esse videtur ex nostri loci margine, cf. v. 31. Ergo textum ita restituimus : וכל העם הארץ יעף ויהי, etc. : Omnisque populus terrae lassatus erat, eratque mel super faciem agri. Voce יעף semel in יער depravata, nihil magis obvium erat, quam ad instar vocis ויבא v. 26 literas באו ב adscribere, ut textus ad aliquem sensum revocaretur. Obiicies, in hac textus reconstructione non intelligi, cur v. 26 היער *saltus* cum articulo legatur, non enim prius saltus mentio recurrerat. Respondeo, habitam esse implicitam mentionem illis verbis *eratque mel super faciem agri*, etenim mel sylvestre nonnisi in sylvis *super faciem agri* reperiri, quis ignorat ?

v. 27 « *Porro Ionathas non audierat, cum adiuraret pater eius populum, extenditque summitatem virgae, quam habebat in manu, et intin-*

xit in favum » — *ita omnes versiones, et cf. Cant. 5, 1* — « *mellis, et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi eius* ». Refectis viribus corporis, clarius reluxerunt oculi (*Clair*). Virga illa potuit esse sceptrum, quale imperatores gerebant, alter enim a Saule 13, 2 imperator Ionathas erat. *Illuminati sunt* : cum keri concordant omnes versiones, excepta *LXX*.

v. 28 « *Respondensque unus de populo, ait : Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicens : Maledictus vir, qui comederit panem hodie. Defecerat autem populus* ». Ultima verba commodum sensum non praebent, sive ea ex ore viri Ionathae respondentis sive, ex ore Saulis, sive ex ore s. narratoris (*Vulg.*) profecta esse supponas. Quomodo ea ex v. 25 huc delapsa sint, diximus ib. v. 29 « *Dixitque Ionathas : Turbavit pater meus terram ; vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto* » ; v. 30 « *quanto magis, si comedisset populus de praeda inimicorum suorum, quam reperit? nonne maior plaga facta fuisset in Philisthiim?* » עכר *turbavit* hinc *Chald.* etiam *infortunium induxit*, quae significatio h. l. et Gen. 34, 30 optime quadrat. Fortasse non ita laudandus Ionathan, quod patrem publice reprehenderit.

v. 31 « *Percusserunt ergo in die illa Philisthaeos a Machmis usque in Aialon* ». Male *Syr.* haec cum prioribus iungit : *Profecto percussissent hodie Philisthaeos a Machmis usque in Aialon*. Opus diei summatim recensetur, ut intelligatur, eo peracto (iter est ad minimum quinque horarum), quantopere fuerit populus exhaustus cibique indigus. Aialon, nunc Yalo, civitas Danitica Ios. 19, 42, levitis concessa 21, 24 ; cf. 10, 12. « *Defatigatus est autem populus nimis* ». v. 32 « *Et versus ad praedam, tulit oves et boves et vitulos, et mactaverunt in terra ; comeditque populus cum sanguine* ». *Versus est, Chald. respexit, Syr. inhiavit*, sc. ab עטה *extendere* : extendit se, i. e. irruit. Debebat ex lege sanguis e loco superiore in terram defluere, ibique humo tegi : Lev. 3, 17 ; 7, 26 sq. ; 17, 10. 14 ; 19, 26 ; Deut. 12, 16. 23 sq. ; Ez. 33, 25. Vide, quantum obfuit praeceps Saulis adiuratio : et victoriam restrinxit v. 30, et occasio fuit violatae legis. v. 33 « *Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait : Praevaricati estis ; volvite ad me iam nunc saxum grande* ». *Iam nunc* : melius *huc* הלום quod legebant *LXX* loco היום. v. 34 « *Et dixit Saul : Dispergimini in vulgus, et dicite eis, ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine* ». Quibus impedivit Saul, ne praevaricatio continuaretur. « *Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem, et occiderunt ibi* ».

LXX pro *bovem suum in manu sua* habent *id quod (habebat) in manu sua*, ergo את אשר pro שורו : levis est differentia et, quae sensum minime afficiat. Lectionem LXX praeferendam censet *Then.*, quod v. 32 praeter boves, etiam oves et vituli nominentur : sed neque hoc argumentum peremptorium est. — Cum sero in eum locum advenissent Hebraei, neque multi simul in lapide, qui hominum manibus fuisset advolutus, mactare possent, mirum non est, rem ad multam noctem esse protractam ; non ergo cogimur cum *Wellh.*, הלילה ex *LXX* auctoritate omittere.

v. 35 « *Aedificavit autem Saul altare Domino ; tuncque primum coepit aedificare altare Domino* », alia postmodum. Nolim cum *Malv.* supponere, eundem lapidem, super quem v. 34 mactata leguntur animalia, postea in altare fuisse consecratum : non solebant apud Israelitas, quae profano iam usui inservierant, in divinum postea cultum consecrari. Gratuito item asserit *Duguet*, illud altare non sacrificii offerendi causa, sed instar monumenti esse erectum : post partas victorias solebant offerri sacrificia, quem morem certe Saul non neglexit (cf. 11, 15 ; Iud. 11, 31). Utrum eo usque processerit Samuel, nescimus : videtur eum Saul fere neglexisse, nusquam enim Samuel consulitur, cf. v. 18. 36 sqq.

v. 36 « *Et dixit Saul : Irruamus super Philisthaeos nocte, et vastemus eos, usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum* ». Consilium proponit, quale 11, 11 usui fuerat : dum ars bellica adhuc versabatur in cunabulis, multae victoriae nocturnis terroribus comparabantur, quod et hostis vigiliarum esset incurius, et res clamore magis quam armorum acie aut ducum ingenio agerctur. « *Dixitque populus : Omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos : Accedamus huc ad Deum* ». *Huc*, i. e. ad altare recens exstructum vel ad arcam, si illa aderat (*Sanct.*). Videtur victoria, quod v. 30 edixerat Ionathas, nequaquam fuisse absoluta (*Clair*) : et tamen idipsum intenderat Saul populum adiurans ; nunc commissum errorem corrigere studet. v. 37 « *Et consuluit Saul Dominum : Num persequar Philisthiim ? si trades eos in manus Israel ?* » Caute utraque ponitur quaestio, nam Iud. 20, 23 Israelitae, sola priori posita et affirmata, fuerant victi. « *Et non respondit ei in die illa* ». Ex sqq. patet, causam denegati oraculi reapse fuisse Ionathae transgressionem, licet ex ignorantia fuerit commissa : oraculum sortium non fuit mutum in transgressore designando. Sed rursum hoc totum mediate fuit punitio impatientiae Saulis et praesumptionis, qua populum adiuraverat, consistens in eo, quod Deus effectus commissi erroris non cohiberet, et ita tandem completam hostium stragem impossibilem redderet, cf. v. 46. — v. 38 « *Dixitque Saul : Applicate huc universos angulos populi : et scitote et videte, per quem acciderit peccatum hoc hodie* ». Saul illico pro certo supponit, peccatum aliquod admissum causam esse denegati divini responsi. Tribus, quae secus

sceptra שבט, nunc *lapides angulares* פנה vocantur, uti etiam Iud. 20, 2; Is. 19, 13. *Per quem* habet *Vulg. Chald.*, *per quod Hebr. Syr.*, *LXX* in utrumque sensum trahi potest. Non est supponenda diversitas lectionum, cum vel ipsa lectio *per quod* non alium ex contextu sensum habere possit, nisi *per quem* : oraculum appellabatur praecise ad inveniendum, quis offensor, non quae offensa esset. v. 39 « *Vivit Dominus, salvator Israel, quia si per Ionatham, filium meum, factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo* ». Nullus de Ionathae innocentia dubitabat (*Clair*). Appellatur iam solemniter *salvator Israel*, in cuius salvandi virtute tam exiguam antehac reposuerat fiduciam rex. De propria innocentia ne minimum quidem dubitat. Cur vero Ionatham prae ceteris nomine effert ? Videtur ne regi quidem ullum de innocentia Ionathae fuisse dubium, et sensus verborum esse hic : Quia, si *vel* per Ionatham factum est, reus morte utique morietur (*Ios.*) ; quanto magis gregario cuilibet militi moriendum erit, si ipse reus inveniatur ! v. 40 « *Et ait ad universum Israel : Separamini vos in partem unam, et ego cum Ionatha, filio meo, ero in parte altera* ». Saul, de sua filiique innocentia omnino securus, hanc prius volebat divino oraculo stabilire, quo efficacius postea iudicis ipse partes ageret, in hoc imitatus Samuelis cap. 12 exemplum, sed eheu quam dispari effectu ! Fortasse supponebat, Deum esse infensum ob esam a populo cum sanguine carnem, cuius naevi se filiumque insontem sciebat. « *Responditque populus ad Saul : Quod bonum videtur in oculis tuis, fac* ».

v. 41 « *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel : Domine Deus Israel, da indicium* ». Sequentia sola *LXX* primitus habebat, unde postea in *Vulg.* transierunt : « *Quid est, quod non responderis servo tuo hodie ? Si in me aut in Ionatha, filio meo, est iniquitas haec, da ostensionem ; aut si haec iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem* ». Sequentia omnes habent : « *Et deprehensus est Ionathas et Saul, populus autem exivit* ». Cf. dicta ad 10, 20.

Quid est illud *indicium* ? *Chald. Syr.* cum *Hebr.* legebant תָּמִים, quod *perfectionem* sonat, sed commodum h. l. sensum non offert. *Ges.* (Thes. 1490), *Fürst* illud contractum censent ex תְּאַמִּים vel תֹּאֲמִים, ergo *da paria*, in iaciendis sc. sortibus ; qui sensus radici תאם iudubie competit, licet Ex. 26, 24 ; 36, 29 non indubie exprimatur. Ubi *Vulg.* habet *ostensionem* et *sanctitatem*, ibi *LXX* habent δήλους et ὁσιότητα. Qua altera voce LXX vertere consueverunt vocem תֻּמִּים, unde rursus sequitur δήλους esse אוּרִים. Hinc textus hebr., quem LXX prae oculis habebant, ita restituitur : « Domine Deus Israel, quid est, quod non responderis servo tuo hodie ? Si in me aut in Ionatha, filio meo, est iniquitas haec, Domine Deus Israel, da Urim ; aut si haec iniquitas est in populo tuo, da Thummim ». In fine videtur textus hic fuisse וְאִם הֶעָוֹנָה בְּעַמְּךָ (cf. Os. 10, 10), ubi LXX iunxerunt ואם העון הב עמך, derivantes הוען a verbo ענה (εἴπῃ). Secundum haec sortium oraculum datum esset mediante Urim et

Thummim, ita ut prodeunte Urim carperetur Saul vel Ionathas, prodeunte Thummim populus. Speciosa utique haec lectio est, quippe quae nos de Urim et Thummim usu, de quo tam parum scimus, perspicue edoceat ; tamen ob eam ipsam rationem non sine cautione recipienda. Solida vero probabilitate tanto minus destituitur, quod aliquam a *Vulg.* confirmationem accipere videatur ; nam *indicium* satis facile ad אוּרִים revocatur, nequaquam ad תֻּמִּים vel תֻּכִּיִּים. Ad hanc explicationem cf. *Houb.*, *Calm.*, *Then.*, *Wellh.*

v. 42 « *Et ait Saul : Mittite sortem inter me et inter Ionatham, filium meum* ». Addunt *LXX : Quem deprehenderit Dominus, moriatur. Et dixit populus ad Saul : Nequaquam fiat verbum hoc. Et praevaluit Saul super populum, et miserunt sortem inter Saul et inter Ionatham, filium eius. « Et captus est Ionathas* ». v. 43 « *Dixit autem Saul ad Ionatham : Indica mihi, quid feceris. Et indicavit ei Ionathas, et ait : Gustans gustavi in summitate virgae, quae erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior* ». Paratum ad mortem animum his exprimi censet *Ios.* ; potius exprimuntur aliquae de severitate sortis querelae, uti habet *Syr. : Propter hoc ego moriar ?* v. 44 « *Et ait Saul : Haec faciat mihi Deus, et haec addat, quia morte morieris, Ionatha* ». v. 45 « *Dixitque populus ad Saul : Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel ? hoc nefas est. Vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram* », — i. e. nequaquam cadet etc. ; *si* particula est iuramenti negativi — « *quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Ionatham, ut non moreretur* ». Videntur supponere *Ew. Wellh.*, populum substituisse alium quemdam, qui loco Ionathae moreretur : sed פדה non solum de stricta substitione usurpatur. v. 46 « *Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim ; porro Philisthiim abierunt in loca sua* ». Praeceps iuramentum ediderat Saul, quo magis strenue populus insequeretur Philisthaeos : eiusdem iuramenti effectus fuit, ut tempus pretiosum inutiliter consumeretur, et ita hostes impuniti abirent. Dein Saul etiam ideo fortasse substitit, quod oraculum ad quaestionem v. 37 positam tandem non obtinuisset. Neque praecipitis iuramenti omissa impletio fiduciam illi addebat, quidquam tentandi.

Priusquam hanc narrationem dimittamus, in qua prima *Ionathae* mentio habetur, iuvat de illo pauca notare. Innotuit is nobis vel maxime tamquam *amicus David*, ab eo vivus singulariter dilectus, et mortuus speciali encomio celebratus. Cave tamen ne teneriorem et quadamtenus effeminatum animo tuo illum depingas : vir fuit, robustus et corpore et mente. Spirabat fidem et fiduciam in Deum salvatorem Israel : hac tessera Machmis dimicavit. Ipse apud patrem unius factionis princeps, quam theocraticam vel prophetarum appellabis : nam factiones ibi erant omnino ; dum altera factio, commodis domus Saul unice intenta, ipso rege utebatur et capite et instrumento. Ipse in aula primus eorum consiliorum patro-

nus, quae Samuel constanter inculcaverat, quae post continuam prophetarum seriem, difficillimis temporibus, novissimi Isaias et Ieremias apud reges propugnaverunt, quaeque hac una formula consignantur : Dominus salvator Israel. Ipse, primogenitus regis, divinum transferendi a domo Saul regni decretum aequo et generoso suscepit animo ; Davidem, quanto magis in eo coelestia charismata et divina praecordinatio elucerent, tanto sincerius adamavit et fovit. Ipse prae ceteris utique suggessit consilium sororis Davidi nuptui dandae, velut planissimam viam qua, domo Saul quam minime obscurata, imperium in virum a Deo designatum transferretur.

Sequentibus verbis *Et Saul capessivit regnum super Israel* (*Hebr.*) incipit universalis quidam conspectus regni Saul, tam prius narrata quam sequentia complectens. Ergo non est vertendum cum *Then.* : « hic est modus, quo Saul regnum nactus est » ; neque cum *Keil* : « Et Saul capessiverat regnum » ; neque cum *Clair* : Nunc tandem de facto evasit rex, cum iure iam ante fuisset. v. 47 « *Et Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos eius* », i, e. Israelis, « *contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philhaeos* ; *et quocumque se verterat, superabat* ». Ita recte *Vulg.* vertit וַיַּרְשִׁיעַ *reum constituebat*, ergo *vincebat* ; *LXX* יְשֵׁעַ *salvabatur*. v. 48 « *Congregatoque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum eius* ». *Hebr. Comparavit robur*, omnis generis adminicula comparavit, imprimis utique exercitum ; habebat enim iam permanenter aliquas secum copias (cf. 13, 2 ; 24, 3 etc.), certe armorum defectum (13, 19) ample supplevit. Largiorem illum expressionis sensum habes Num. 24, 18 « Israel autem faciet robur » *(Hebr.)*. Bellum contra Amalec omnino idem est, quod cap. 15 narratur. De Soba cf. 2 Reg. 8, 3 ; verisimiliter rex Soba tum principatum totius Syriae, etiam Damasci, obtinebat : nam Saulem prope Euphraten processisse, credibile vix est, cum alii hostes enumerati omnes proxime circum terram sanctam habitarent, et propter Philisthaeos longinqua expeditio suscipi vix posset. v. 49 « *Fuerunt autem filii Saul Ionathas, et Iessui, et Melchisua* ». Recensitis bellicis Saulis expeditionibus, iam enumerantur ii omnes, qui aulae eius aut munimento fuere aut ornamento : filii, filiae, uxor, dux militiae.

Inter filios primus ubique recensetur Ionathas, qui, quod etiam dignitate proxime ad patrem accesserit (13, 2), utique natu maximus erat. Reliquorum nomina h. l. sunt Iessui et Melchisua, *Syro* supplente Eschboschul. 31, 2 narrantur occidisse in monte Gelboe Abinadab et Melchisua, sed prioris loco *Syr.* scribit Iessui ; superstes remansit 2 Reg. 2, 8 Isboseth (*Syr.* Eschboschul). 1 Par. 33, 9. 39 recensentur Melchisua, Abinadab (*Syr.* Iessui), Esbaal (*Syr.* Eschboschul). 1 Reg. 31, 6 occidisse dicuntur nonnisi *tres* filii Saul : ergo idem est Abinadab, qui Iessui, licet nominum nexum non perspiciamus. Esbaal vero, seu corrupte Eschboschul, idem est, atque Isboseth, voce בשת *ignominia*, uti alias (cf. Os. 9, 10 ; 1 Par. 3, 34 ; 9, 40), in locum

vocis בעל, quae simul nomen idoli erat, subintrante. Isboseth vero h. l. in textu recepto ignoratur, sive quod eius nomen incuria amanuensium exciderit, sive quod initio regni Saul minor aetate atque armis gestandis impar, sive quod nondum natus fuerit.

« *Et nomina duarum filiarum eius, nomen primogenitae Merob, et nomen minoris Michol* ». v. 50 « *Et nomen uxoris Saul Achinoam, filia Achimaas* ». Sensus obvius est, hanc fuisse matrem liberorum recensitorum, et unicam eo tempore Saulis uxorem. Non tam uxorius erat Saul, quam David. Ceterum inde etiam elucet, Saulem, iam provectiorem aetate et frigidiorem, regno esse potitum ; animus illi erat ad ambitionem pronior, quam ad luxuriam ; inquietus, suspiciosus, invidus, irascibilis, qui aliorum consortium aversaretur potius, quam requireret ; forte Isboseth ex alia uxore, quae regina non esset, natus est. « *Et nomen principis militiae eius Abner, filius Ner, patruelis Saul* ». Cf. 9, 1. Saul summam rei militaris cognato commisit, uti etiam David Ioabo, quo arctius sibi exercitus devinciretur ; ceterum nucleus, uti ita dicam, exercitus certe Beniaminitis, et imprimis cognatis regis constabat. v. 51 ostendit, quomodo Ner fuerit patruelis Saul : « *Porro Cis, fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel* ». Corrigendum cum *keri* : *Porro Cis pater Saul, et Ner, pater Abner, filii erant Abiel* ; secus *filius Abiel* referretur ad Abner, quod falsum est. v. 52 « *Erat autem bellum potens adversum Philisthaeos omnibus diebus Saul. Nam* » — melius *quare* — « *quemcumque viderat Saul, virum fortem et aptum ad proelium, sociabat eum sibi* ». Hic versus quasi notam distinctivam regni Saul, comparatione priorum temporum, effert : bellum constanter strenue gerebatur, eo maxime quod Saul cohortem aliquam permanentem et valentissimam secum haberet. Implevit ipse id, ad quod fuerat 8, 20 a populo expostulatus : « Egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra pro nobis ». Verba *omnibus diebus Saul* absolute de tota Saulis vita esse intelligenda, patet ex narratione ad mortem eius individue continuata.

Eiusmodi *vir fortis* certe erat David 18, 2. Perperam tamen adstruit *Then.*, s. auctorem h. l., seposito codice Historiae Saul, primum iam versum Historiae David descripsisse, dein ad alterum codicem reversum, cap. 15 descripsisse. Intima est connexio inter bellum Philisthaicum et formationem permanentis exercitus. Huius occasio fuere, non bella longioribus intervallis contra alias nationes inita, sed bellum fere continuum contra Philisthaeos incumbens. Rursum formatio permanentis exercitus insignis fuit eventus regni Saul, et vere dignus, qui specialius efferretur.

3) Saul ob inobedientiam bello Amalecitico admissam reiicitur 1 Reg. 15, 1-35.

Arg. — Solemniori quadam ratione Saulis inobedientia, ob quam repudiatus est, narratur. Mandatum prophetae distincte enuntiatur, item-

que regis transgressio ; in qua mala eius fides notatur, praetextum sacrificii appellantis, culpam in populum devolventis, tandem post peccati confessionem honorari tamen coram senioribus postulantis.

Cap. XV v. 1 « *Et dixit Samuel ad Saul : Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum eius Israel : nunc ergo audi vocem Domini* ». *Hebr. Chald. Syr. vocem verborum Domini ;* sed hoc, secundum morem loquendi Hebraeorum, significaret *sonitum verborum Domini*. Samuel, ad conciliandum sibi apud Saul propheticam auctoritatem, provocat ad illud factum, ex quo certissime illam Saul agnoscere potuerat, unctionem sc. et connexam cum illa regni variorumque signorum praedictionem. v. 2 « *Haec dicit Dominus exercituum : recensui* », ergo attente consideravi, hinc *recordor* (*Chald. Syr.*), « *quaecumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via* », « quomodo se constituit in via, se opposuit » (ita *Hebr.* explicat *Ges.*, cf. Deut. 25, 18), « *cum ascenderet de Aegypto* ». Cf. Ex. 17, 8. Sed ex 1 Reg. 14, 48 ; 15, 33 apparet, Amalec recentius etiam Israeli iniuriam intulisse ; ex qua Deus ansam sumpsit, veteris etiam iniuriae, in sua mente reconditae, ulciscendae. *Sanct.* : « Loquitur Deus iuxta illorum hominum consuetudinem, qui in ephemeridas seu annales referant, quorum nolunt aboleri memoriam. Quasi humano more locutus Deus dicat : Evolvi annales, et inveni ab Amalec mihi deberi poenas, quas volo, o Saul, ita severe exigas, ut quod in commentarios relatum esse recognovi, deleatur sub coelo ». v. 3 « *Nunc ergo vade, et percute Amalec, et demolire universa eius ; non parcas ei, (et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid)* » ; — spurie hoc membrum in *Vulg.* irrepsit (*Verc.*) — « *sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum* ».

חרם consecrare, Dei iussu ruinae devovere, ergo *demoliri*. Vox de illis imprimis nationibus et urbibus usuvenit, quae erant penitus exstirpandae, occisis hominibus et bestiis, domiciliisque eversis : cf. Deut. 2, 34 ; 3, 6 ; 7, 2 ; 20, 17 ; Ios. 8, 26 ; 10, 28. 37 ; 11, 12. 21 etc. — עולל *parvulus*, generatim aliquantulum maior est *lactente* יונק ; utraque vox coniuncta reperitur 22, 19 ; Ps. 8, 3 ; Ioel 2, 16 ; Ier. 44, 7. Formula בין־עד, quater repetita, h. l. copulantur termini, quatenus sunt, non disparati, sed affines. Vir et mulier considerantur, non ut sexu distincti, sed ut intime coniuncti ; sequuntur omnis generis infantes (parvuli, lactentes), animalia gregalia tam magna quam parva (boves, oves seu caprae), iumenta oneraria (cameli, asini).

v. 4 « *Praecepit igitur Saul populo, et recensuit eos quasi agnos* » ; condixit eis, et recensuit eos in Telaim ; *Vulg.* כ pro ב ; « *ducenta millia peditum, et decem millia virorum Iuda* ». v. 5 « *Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente* ». Nomen proprium Telaim intellexerunt *LXX Syr.*, estque fortasse ille locus

Telem Iud. 15,24, in meridionali parte tribus Iuda situs (*Malv.*), quamvis scriptio nonnihil differat. De distinctione inter Iuda et Israel diximus ad 8,4 ; 11,8. *LXX Ios.* habent *quadringenta millia*, et *triginta millia*. — *Tetendit insidias* : וַיָּרֶב iam *Kimchi* agnovit esse contractum ex וַיֹּאֹרֶב vel וַיָּאֹרֶב ; eoque modo verterunt *Vulg. LXX.* v. 6 « *Dixitque Saul Cinaeo : Abite, recedite, atque descendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo : tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Aegypto. Et recessit Cinaeus de medio Amalec* ». Cinaeorum progenitor fuerat Iethro seu Raguel, socer Moysis, cuius filius Hobab ducem se Israelitis in deserto adiunxisse videtur ; cf. Ex. 2, 16 sqq. ; 3,1 ; 4,18 ; 18,1 sqq. ; Num. 10,29 ; 24,21 sq. Habitabant in tribu Iuda « ad meridiem Arad » (Iud. 1,16) ; quidam etiam in vicinitate montis Thabor tabernacula fixerant Iud. 4,11. — Ex strage Amalecitarum disce, quam severe Deus iniurias populo suo sancto illatas puniat ; ex Cinaeorum exemplo disce, quam studiose obsequia quaeque eidem praestita remuneret. v. 7 « *Percussitque Saul Amalec, ab Hevila donec venias ad Sur, quae est e regione Aegypti* ».

Wellh. mutat Hevila in Telaim ; sed si quae omnino mutatio esset facienda, potius Telaim, nomen incertius, corrigendum esset in Hevila. Clarius locus describitur Gen. 25, 18, ubi Ismael dicitur habitasse « ab Hevila usque ad murum, qui est ad introitum Aegypti, si pergas Assyriam versus » (*Hebr.*). Cf. 1 Reg. 27,8. Iam voce Sur intelligi murum a Pharaonibus exstructum, ad nomadas Asiae ab ingressu Aegypti arcendos, ostenderunt *G. Ebers* (Aegypten u. die Bücher Mose's, Leipzig 1868 I. 78 sqq.) et *H. Brugsch* (Dictionnaire géographique de l'ancienne Egypte, Leipzig 1879 p. 49 sqq.). Iste murus fortasse a Pelusio usque Migdol, et hinc Heroopolin extendebatur. *Ios.*, cuius tempore certa adhuc eorum locorum notitia haberi poterat, verba textus reddit : « a Pelusio usque ad Mare Rubrum ».

v. 8 « *Et apprehendit Agag, regem Amalec, vivum ; omne autem vulgus interfecit in ore gladii* ». v. 9 « *Et pepercit Saul et populus Agag* », — cf. v. 15 sqq., ubi Saul facti responsabilitatem in solum populum reiicere conatur — « *et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus et universis, quae pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea ; quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt* ». Quoniam חרם (v. 3) destructionem exhibet tamquam actum sacrum, Saulis haec agendi ratio rapinae in sacris aequiparatur. — Cur Agag reservatus est ? Certe non ob venustatem (*Ios.*), sed potius ob magnum pretium, quo se redempturus esse speraretur (*Lyr.*) : etenim non omnem Amalecitarum gentem esse exterminatam, patet quum ex natura rei, tum ex 27,8 ; 30,1 ; 2 Reg. 8,12 ; 1 Par. 4, 43.

Et vestibus et arietibus : עַל ante alteram vocem ignorant versiones, sicque habentur quatuor voces coordinatae (*Vulg. LXX Syr.*) ; *Chald.* vero paenultinam copulam

omittit et ita habet, hinc duo substantiva, illinc duo adiectiva coordinata. *Kethib* משנים *secundi* h. l. sensu caret, nam intelligi animalia secundi partus *(Kimchi)*, eaque habita esse ceteris delicatiora, figmentum est. *Vulg.* fortasse legebat שמלים *vestibus (Houb.). Keri* שמנים *pinguibus* ; quod *LXX* intellexit *lectos cibos*. Pro כרים legebat *LXX* כרם vel כרמים *vineas*. כרים *Vulg.* vertit substantivum *arietes* ; sed animal hac voce vix puto exprimi, nisi etiam paenultima voce animal exprimatur, nam enumeratio : oves, armenta, vestes (seu lecti cibi), arietes, peccat. Optime cum *Chald. Syr.* vocem interpretamur adiectivum a radice כרר *rotundum* seu *saginatum esse*, et vertimus : optimum de ovibus et armentis, pinguibus et saginatis.

Post descriptam Saulis inobedientiam, Dei in illum sententia recensetur. v. 10 « *Factum est autem verbum Domini ad Samuel dicens* » : v. 11 « *Poenitet me, quod constituerim Saul regem ; quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit* ». *Hebr. Recessit de post me*, eadem vox quae 12, 14. 20 adhibebatur. Neglexerat Saul eam conditionem, cuius neglectus 12, 25 in eius persona puniendus praenuntiabatur : « Quodsi perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis ». Hinc non iam, uti 13, 13 sqq., sola posteritas Saul regno excluditur, sed ipse Saul reprobatur : « Poenitet me, quod constituerim Saul regem ». Cf. Gen. 6, 7, ubi eadem voce « poenitet me » decretum reprobationis enuntiatur, et *Aug.* ad Simpl. II. 2 de concordia inter divinam praescientiam et poenitentiam disserentem. « *Constristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte* ». *Concaluit* (*Hebr.*) Samuel, non quod divinae aut suae auctoritati ex reprobatione Saulis timeret (*Calvin.*), sed studio ipsius Saul, cf. 16, 1. — *Nocte* videtur factum esse verbum hoc Domini ad Samuelem, fortasse simili ratione, atque cap. 3.

Greg. : « Samuel quidem contristatur, quia de perditione subditi summus praedicator affligitur. Et tota nocte ad Dominum clamat, quia pro restitutione lapsi divinam misericordiam devotis precibus obsecrat ». — *Sanct.* : « Longe aberat Samuel, ut de casu Saulis et depositione gauderet, cum gravis illum dolor de tam subita atque inopinata mutatione perculserit. Quare, cum incunte nocte, ut ex ipso textu coniectare licet, hanc a Deo vocem accepisset, quod reliquum erat noctis ad lucem usque, in oratione atque clamore posuit, quibus lacrymas et gemitus dubio procul adhibuit. Surrexit autem de nocte, i. e. prius quam illucesceret, ut, quod a Domino mandatum acceperat, Sauli denuntiaret et illum, si qua ratione posset, ad facti veram poenitentiam adduceret ».

v. 12 « *Cumque de nocte* » *mature* (*Hebr.*), « *surrexisset Samuel, ut iret ad Saul* », *ut obviaretur Sauli* (*Hebr.*) « *mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus transisset, descendissetque in Galgala* ». Pro *reversus* verte *conversus* : illud enim ideam suggerit, Saulem eadem, qua venerat, directione reversum esse ; quod falsum est. Saul, devictis

Amalecitis a Pelusio ad Mare Rubrum (*Ios.*), revertebatur via, quae ad extremitatem Maris Mortui descendebat, et Hebronem pergens venit Carmelam (nunc Kermel), haud procul Hebrone, civitatem tribus Iuda Ios. 15, 55. Si supponamus, quod obvium est, Samuelem divinam revelationem nactum esse in Rama Iudae, omnia facile explicantur. Intenderat Samuel regem convenire Carmelae, quae prope aberat a Rama, sed comperit illum exspectato citius transivisse et Galgalam descendisse. Samuel noctu Dei verbum audivit, dein aliquamdiu in oratione perseveravit, tandem mature surrexit eo fine, ut Saulem conveniret *mane*, et quidem Carmelae aut certe loco parum distante. Haec omnia ex Rama Iudae facile fieri poterant; sed ex Rama Beniamin Carmelam fuisset iter saltem decem horarum. — Erexerat sibi Saul cippum, lapidem, uti volunt, instar manus (יד) erectum tamquam monumentum victoriae, cf. 2 Reg. 18, 18; 1 Reg. 7, 12; erexerat autem *sibi*, cum tamen victoriam Deus dedisset, quam sua ipse inobedientia foedasset (*Sacy*). — Descenderat Galgalam utique sacrificii offerendi causa; quod explicite affirmant *LXX* verbis, quae ipsi soli primitus habebant, quaeque inde etiam in *Vulg.* transierunt : « *Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino de initiis praedarum, quae attulerat ex Amalec* ».

v. 13 « *Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul : Benedictus tu Domino; implevi verbum Domini* ». *Benedicat tibi Dominus* formula est salutandi usitata, cf. Ruth 2, 20; Gen. 14, 19. *Sanct.* : « Occurrit Saul laetus et gratulabundus Samueli, quasi allaturus esset aliquid, quod illi futurum esset voluptati ». Mendacio Saul inobedientiam celare conatur, sperans, uti videtur, se prophetam posse decipere. v. 14 « *Dixitque Samuel : Et* » — seu *sed* — « *quae est haec vox gregum, quae resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio?* » Mendacem refutat gregum balatu. *Sanct.* : « Quem animum tunc Samuelis fuisse existimemus, cum eodem tempore in illius auribus et Saulis vox adulatoria et mendax, et tot verae gregum et armentorum voces resonarent? » v. 15 « *Et ait Saul : De Amalec adduxerunt ea; pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus* ». Culpam a se in populum devolvit, dum v. 9 illa diserte et regi et populo tribuatur. Simul fucatum addit religionis praetextum, res enim non solius sacrificii causa esse servatas, patet ex servato etiam Agag. Rursum reliquae praedae occisionem non soli populo, uti v. 9 fiebat, sed sibi etiam tribuit Saul, *occidimus*. *Greg.* : « Domino, inquit, Deo tuo. Non meo, sed tuo, quia ego peccator, tu singulariter sanctus es ». At Saulem nondum ex poenitentiae affectu loqui, sequentia patefaciunt. Melius *Sanct.* : « Deo tuo, quem tu colis et amas, atque ideo non potes non probare, quod in eius obsequium e tota praeda electa quaeque ser-

vata fuerint ». Vel etiam vox querelarum aliquid habet, quasi hic Deus, qualis a Samuele praedicatur, nimia exigat, plura quam sana ratio exigat. Certe pronomen malam regis conscientiam prodit, cf. 12,19.

v. 16 « *Ait autem Samuel ad Saul : Sine me, et indicabo tibi, quae locutus sit Dominus ad me nocte* » hac. « *Dixitque ei : Loquere* ». Desine loqui culpamque excusare. « Vox est eius, qui cum fastidio audit verba, quae manifeste novit esse falsa, et os studet obstruere illius, cuius in dicendo futilitatem et falsitatem damnat ». (*Sanct.* post *Abul.*). *Clair* : « Samuel iam agnoscit sapientiam et iustitiam sententiae, de qua v. 11 tantopere fuerat contristatus, eamque nunc Sauli annuntiat sermone strenuo et severo ». v. 17 « *Et ait Samuel : Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super Israel* ». Putat *Wellh.*, Hebr. ita solum verti posse : « Nonne, si parvulus *es*, tu *es* caput » ? Sed evidenter alluditur ad 9, 21 : « Numquid non filius Iemini ego sum etc. » ? Beneficium immeritae vocationis ad regnum hoc versu recenset, sequenti versu divinum mandatum, dein v. 19 voce *Quare ergo* obiurgationem exorditur. *Sanct.* : « Crescit peccati gravitas, quo maiora sunt beneficiorum momenta. Illa vero eo plus habent ponderis, quo neque petita, neque exspectata veniunt ». Vi *unctionis* specialius Saul ad obediendum Deo obligabatur. v. 18 « *Et misit te Dominus in viam, et ait : Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum* ». v. 19 « *Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis Domini* » ? *Irruisti in praedam*, eadem vox, quae 14,32 de populi impetu, inedia exasperati, usurpatur. Qua simul directe accusatur Saul avaritiae, in reservanda praeda.

v. 20 « *Et ait Saul ad Samuelem : Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via, per quam misit me Dominus, et adduxi Agag, regem Amalec, et Amalec interfeci* ». Recte advertit *Cler.*, Iosue nulli gentium regi pepercisse, cf. Ios. 8, 2. 29 ; 10, 26-40 ; 11, 10. 17 ; at Sauli opus Iosue respectu Amalecitarum complendum obtigerat. v. 21 « *Tulit autem de praeda populus oves et boves, primitias eorum quae caesa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis* ». Pergit Saul se excusare. Mandatum exterminandorum Amalecitarum se affirmat implevisse, destructo populo et servato rege. Culpam rursus in populum devolvit. Praetendit, solius sacrificii causa animalia esse servata. Verum quid de Agag ? Non ille certe sacrificio reservabatur, non illum populus liberaverat, sed aut ambitio aut avaritia regis, ut eo triumphi sui (cf. v. 12 fornicem triumphalem) ornamento uteretur, vel copiosam ex illo redemptionem exprimeret. Sed ipsum iam religionis praetextum conficit Samuel. v. 22 « *Et ait Samuel : Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur*

voci Domini ? Melior est enim obedientia quam victimae, et ausculture magis quam offerre adipem arietum ». Obedientia melior est sacrificio obedientia carente, quia « per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur » (*Greg.* 76. 765). Adeps, pars victimae lectissima reputatus, in omni sacrificio reservabatur Deo.

LXX Ecce obedientia praecellit victimam opimam — Hebr. Chald. להקשיב, quod videtur posse sumi tamquam infinitivus substantivus cum ל, sicut *anglice* « *to* hear », *germ.* « *zu* hoeren » (*Ew.* § 237 c). Sed planius *Vulg. LXX Syr.* pro ל legebant ר. Celebris hic textus evasit ; repetitur Eccle. 4, 17 et, paulo mutatus, Os. 6, 6 (cf. Matth. 9, 13 ; 12, 7) : « Quia misericordiam volui, et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta ». Sensus semper est, virtutem excellentiorem esse sacrificio virtute carente.

v. 23 « *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare ; et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere* ». Acerba haec regis increpatio, qui ipse « abstulit magos et ariolos de terra » (28, 3). *Hebr. abominatio et teraphim*, seu abominatio teraphim, ergo *scelus idololatriae*. Nota, agi de inobedientia, quae ipsum sacrificium Saulis infecit : de qua vel maxime verum est, sacrificium ex hostiis illicitis oblatum aequiparari idololatriae vanaeque observantiae. Peccata haec aequiparantur inter se gravitate ; num necessario etiam, ex mente Samuelis, obiecto formali ? Non ausim affirmare. Utique inobedientia quaedam est sui deificatio, propriam divinae voluntatem substituens ; de vana observantia *Lap.* : « Inobediens est similis ariolo, quia coniectat de voluntate Dei ex mendacibus rationis et iudicii sui conceptibus et figmentis, sicut ariolus coniectat de futuro ex garritu et volatu avium ». « *Pro eo ergo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex* ». 13, 13 sq. excludebatur regno Saulis posteritas, nunc abiicitur ipse.

Hanc Dei in Saulem, tot res sibi e praeda reservantem, severitatem comparat *Theodoret.* cum severitate Saulis 14, 44, eum mortis reum facientis, qui contra regis iussum paululum mellis degustasset : affirmat, debuisse Saulem erudiri exemplo Achan Ios. 7, qui aliqua sibi anathemata reservasset. « Neque enim imperare », inquit *Sanct.*, « aut debet aut potest prudenter et utiliter, qui parere nescit aut recusat ». Abiici Saulem ut regem nequaquam idem est, atque illum aeternum reprobari. Dein nota, eius regnum Deo quasi invito fuisse extortum, fuisse ab initio ministrationem irae. Tandem nota, hanc Saulis condemnationem suaviori, quo fieri potuit, modo esse effectui mandatam : non enim regni iacturam supervixit. — Sicut prima unctione Saulis regnum non est perfecte stabilitum, sed subsequente per sortes electione et per populum agnitione, sic hac privata Samuelis obiurgatione non est Saul regno depositus : Samuel v. 31 Saulem « coram senioribus populi honorans » ostendit, se illum adhuc pro legitimo habere rege ; item David, Sauli constanter ut « Christo Domini » honorem tribuens.

v. 24 « *Dixitque Saul ad Samuelem : Peccavi, quia praevaricatus sum sermonem Domini et verba tua* », — quam vocem veluti demulsurus prophetam adiicit — « *timens populum et obediens voci eorum* ». *Sanct.* : « Non prius Saul dixit : Peccavi, quam audivit regnum alio esse translatum. Quare non tam de peccato doluit, quam quod ideo mulctandus esset regni iactura ». Simul repetit excusationem suggeritque, actum nonnisi imperfecte voluntarium fuisse : at non adeo consueverat Saul vereri populum. v. 25 « *Sed et nunc porta, quaeso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum* », te praesente atque ministrante ; id enim sine populi admiratione omitti non poterat ; « quo sua praesentia ostenderet propheta, gratum esse Deo munus illud ex spoliis Amalec,... ut eo modo conservaret Saul regiam potestatem et nomen, cum ad suum de re Amalecitica iudicium accessisse videretur Samuelis auctoritas » (*Sanct.*).

נשׂא attollere, sublevare, hinc rem sublevatam portare. Hac ultima significatione *portatur* peccatum, sive proprium (Lev. 5,1 ; 17,16 ; 19,8 ; 20,17 sqq. ; 24,15 ; Num. 9,13 etc.), sive alienum (Lev. 10,17 ; Num. 14,33), quando eius reatus et poena incurritur. E contra *attollitur* peccatum, quando e memoria dimittitur, condonatur : cf. Gen. 4,13 ; 50,17 ; Ex. 10,17 ; Num. 14,18 ; Ps. 31 (32),5 ; 84 (85),3 ; Iob 7,21. Potest etiam *attolli* mediatore, uti h. l.

v. 26 « *Et ait Samuel ad Saul : Non revertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini, et proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel* ». v. 27 « *Et conversus est Samuel, ut abiret ; ille autem apprehendit summitatem* », i. e. oram, « *pallii eius, quae scissa est* », prae vehementia, qua Saul prophetae praesentiam expetebat. v. 28 « *Et ait ad eum Samuel : Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te* ». Cf. 13,14 ; 28,17 ; simile factum habes 3 Reg. 11,30 sq. Sequenti *porro*, eandem sententiam continuante, omnis spes praecluditur obtinendae commutationis huius sententiae. v. 29 « *Porro triumphator in Israel non parcet, et poenitudine non flectetur ; neque enim homo est, ut agat poenitentiam* », *Hebr. non mentietur*, prius affirmata retractans. *Hugo a S. Vict.* : « Ipse non mentietur, ut verbum suum mutet, sicut tu modo verbum eius cassare conatus es, non faciens quod praecepit ». *Illustris Israel* : hanc unam significationem certo vindicant radici lexica, et exprimunt *Vulg. Syr. Chald.* Sensus non est : Neque tamen, ob tuam reprobationem, triumphator Israel deseret Israelem illumque regem, qui tibi successurus est (*Vatabl.*) ; sed lata sententia proclamatur esse irrevocabilis. — At quomodo Deus asseritur, non esse poenitentia flectendus, qui v. 11 affirmabatur poenitere? Potest Deum poenitere absolute eorum, quae conditionate tantum fuerant decreta ; sed Saulis abiectio asseritur iam absolute esse sancita. — Subtilius *Sacy* in nomine *triumphatoris*

Israel subodoratur aliquam facti exprobrationem, qua Saul sibi erexerat « fornicem triumphalem ». v. 30 « *At ille ait : Peccavi, sed nunc honora me coram senioribus populi mei et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum deum tuum* ». Non addit hac vice « Porta peccatum meum », quod Samuelis verbis excludebatur. *Greg.* : « Liquet, quam poenitudinem gerat, qui adhuc honorari desiderat. Nam si sui peccati hunc veraciter poeniteret, inhonorari potius quam honorari concupivisset ». v. 31 « *Reversus ergo Samuel secutus est Saulem ; et adoravit Saul Dominum* ». Saul iure manebat rex, quoad sententia v. 28 exsecutioni mandaretur. Hinc ei Samuel petitum honorem exsolvit, sed simul cavit, ne videretur divini mandati neglectum approbare : unde v. 32 « *Dixitque Samuel : Adducite ad me Agag, regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus et tremens. Et dixit Agag : Siccine separat amara mors ?* » Probabilius vertendum : Agag laetabundus. Et dixit Agag : Utique recessit amaritudo mortis.

Vulg. et tremens ex LXX irrepsit *(Verc.)*. — מְעַדָּנִים Gen. 49, 20 ; Prov. 29, 17 ; Thren. 4, 5 significat *deliciae* : unde nostrum מַעֲדַנּוֹת *Chald.* vertit *deliciae*, *Vulg. pinguissimus*. *LXX* τρέμων in eandem radicem עדן recidit. Iam illud substantivum nostro loco adverbialiter constructum *Ges.* aliique explicant *laetabundus*. Sciebat Agag, Saulem sibi favere ; audiebat, prophetam cum Saule versari ; vocatus putavit, Saulem demulsisse Samuelem. — Sed Iob 38, 31 nostra vox a *Kimchio* vertitur *vincula*, et explicatur orta esse metathesi literarum ex מְעֻנָּדוֹת, ab ענד *ligare* vel *circumdare*. Quare *Fürst* etiam h. l. vertit *ligatus*. Similiter *Houb.* מְעֻנָּדוֹת *ex vinculis*. Minus tamen haec expositio placet, nam Iob 38, 31 est textus obscurior, et radix עדן tantum recurrit Iob 31, 36 ; Prov. 6, 21. — *Utique recessit amaritudo mortis* : haec versio et textum hebr. intactum linquit, et sensu correspondet voci *laetabundus* ; omni mortis periculo se ereptum gratulabatur Agag. כר apud *LXX Syr.* deest, unde vertit *Then.* : « Utique amara est mors ».

v. 33 « *Et ait Samuel : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis* », coram altari. *Concidit*, non necessario suis manibus, quod putavit *Clair.* שסף hoc solo loco recurrit ; *Chald. Syr.* reddunt per פשח, *LXX* ἔσφαξε. *Duguet* : « Imitatus zelum levitarum et Phinees, qui manus consecraverant sanguine adorantium vitulum aureum atque idolum Phogor, Deique laudes eximias praemiaque ampla promeriti fuerant, Samuel Saulem exemplo docuit, quid facto opus fuisset, ut iussa expleret ».

v. 34 « *Abiit autem Samuel in Ramatha ; Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa* ». v. 35 « *Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suae. Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum poenitebat, quod constituisset eum regem super Israel* ». Utique vidit 19, 24, sed non honoris et reverentiae causa invisit : non mittebatur a Deo,

non vocabatur a rege, non e re fore iudicabat, ut iret. Lugebat tamen (cf. 16, 1) affectu plane materno, quae matres « foris saeviunt, sed intus per amorem liquescunt » (Greg.).

Quam mutatus nobis hoc capite *Saul* ostenditur ab illo, qualis nobis cap. 13 describebatur! Ille in re, quae excusationi longe facilius pateret, aliam excusationem non adhibuit praeter verba omnino sincera: « Necessitate compulsus obtuli holocaustum ». Hic, omni sinceritate abdicata, mendaciis et ambigue dictis obvolvitur. Licet conscius sit neglecti verbi Domini, laetitiam fingit bonae conscientiae, et prophetam his vocibus decipere conatur: « Implevi verbum Domini ». Ab eo reprehensus, praetextum religionis effingit, culpam in populum devolvit, simul tamen iniquam egregie prodit conscientiam hac una voce « Domino Deo *tuo* ». Ipsius Dei nomine a propheta obiurgatus, totam excusationis seriem a capite retexit: « Imo audivi vocem Domini etc. ». Ad delicti tandem confessionem adigitur, nullo sincerae contritionis motivo, sed timore regni amittendi. Cap. 13 studebat adhuc Saul Deo servire, nunc uni servit ambitioni. Prophetae comminationem primum eo irritam facere conatur, quod illum sui sacrificii consortem habere studeat; dein saltem honorem coram senioribus populi praeservare ambit; unum illi studium, retinendae potestatis a Deo tam explicite abiudicatae. — Prophetam, inde a prima obiurgatione cap. 13, potius videtur aversatus esse. Non eius exquirit consilium, dum Philisthaeos Machmis prostratos persequitur. Non illum post devictos Amalecitas ad solemne sacrificium invitat. Atque vix est dubitandum, quin ante iam Samuel regem nonnisi rarius adiverit, invisus hospes. Nunc tandem adire desiit: neglectae monitionis poena est silentium monitoris. Pergebat tamen pro Saule orare; imo *Duguet* censet, aliquamdiu Samuelem existimasse, posse se regis reprobationem precibus irritare, quamdiu successor non esset designatus.

4) David ungitur successor 1 Reg. 16, 1-23.

ARG.— Samuel a Deo monitus in Bethlehem proficiscitur atque ex Isai filii Davidem ungit. In quem a Saule recedens spiritus Dei descendit. Saule iam spiritu malo exagitato, David psaltes in aulam accersitur atque in familiam regis recipitur.

Cap. XVI v. 1 « *Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel?* » Verba non sunt necessario « severae reprehensionis », neque ideo quod Samuel precibus nitatur revocationem divinae sententiae contra Saul latae impetrare (*Sanct.*), et multo minus quod populi electi incolumitati ex ea sententia timeat (*Keil*). Luctus utique ex sincero Saulis affectu proficiscebatur, sed nequaquam videtur Deo displicuisse (cf. 15, 11); 15, 35 omnino admittit sensum, continuasse Samuelem luctum ad mortem usque. Tantummodo vult Deus commonefacere Samuelem peragendae successoris unctionis (cf. 15, 28),

quam Samuelis affectui indulgens aliquamdiu distulerat. « *Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem ; providi enim in filiis eius mihi regem* ». Isai originem edocemur Ruth 4, 17.

Idem est *sumere lenticulam* 10, 1 atque *implere cornu*, neque lenticula parvum vas aut fragile significat (*Sanct.*) ; ergo non potest cum veteribus quibusdam defendi, iam ipsa illa lenticula Saulis reprobationem, pleno autem cornu Davidis permanentem dignitatem adumbrari. — Considera, quomodo Deus successive sua consilia prophetae revelare consueverit : primum horam praesignat, deinde Saulem digito monstrat ; primum aliquem filiorum Isai, dein Davidem eligi manifestat.

v. 2 « *Et ait Samuel : Quomodo vadam ? audiet enim Saul, et interficiet me* ». Ergo Saul omnino obduraverat animum, ut nulli cederet regnum, cf. 15, 28 ; et Samuelem iure timuisse, divinum ostendit responsum. Utrum iam tum spiritu nequam actus fuerit Saul (*Keil*), non constat. « *Et ait Dominus : Vitulum de armento tolles in manu tua, et dices : Ad immolandum Domino veni* », partem tantum consilii manifestans. Hinc patet, Samuelem consuevisse, et quidem etiam quando iam provectae erat aetatis, non infrequenter diversis in locis sacrificia offerre ; secus enim sacrificium in Bethlehem oblatum regis suspicionem non effugisset. — Qui hic *vitulus armenti*, Lev. 9, 2 distinctius *vitulus filius armenti* vocatur. v. 3 « *Et vocabis Isai ad victimam, et ego ostendam tibi, quid facias, et unges quemcunque monstravero tibi* ». « Victimam, i. e. cibos e victima paratos » (*Sanct.*), vix enim videtur speciali prophetae permissione opus fuisse, ut quis ipsi actui sacrificali interesset.

v. 4 « *Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus : Venitque in Bethlehem, et admirati sunt seniores civitatis occurrentes ei, dixeruntque : Pacificusne est ingressus tuus ?* » Raro vel nunquam ante advenerat Samuel in Bethlehem sacrificandi causa. Ex senum timore infert *Then.*, consuevisse Samuelem singulas quandoque urbes adire, peccatorum reprehendendorum causa. Simplicius affirmabis, compertum fuisse senioribus regis animum ad suspicionem pronum et prophetae minus faventem. v. 5 « *Et ait : Pacificus. Ad immolandum Domino veni : sanctificamini, et venite mecum ut immolem* ». Sanctificamini, puta ablutionibus aliisque. Verum, cum sacrificia excelsorum non constet oblata esse secundum ritum Mosaicum, adhibebantur quippe potius praeter illum, etiam non est pro certo supponendum, ritum sanctificationis adamussim ritui sanctificationis Mosaicae correspondisse.

Verba continent invitationem, non ad sacrificium tantum, se ad epulum etiam sacrificale, cf. v. 3 : ergo convenientissima sunt, neque illis cum *Then.*, *Wellh*, praeferenda lectio *LXX et laetamini mecum hodie*. — Quot convivio et unctio-

ni interfuerunt? Domus Isai ex Ruth 2,1 ex primariis erat in Bethlehem : tamen non sola ad epulum vocata est, cum etiam seniores interfuerint, et fortasse alii. Aliunde v. 13 dicitur David unctus esse « in medio fratrum » suorum, et sensus obvius nostrae narrationis est, omnia illa gesta esse in loco convivii et praesentibus convivis. Dices, unctionem debuisse esse secretam, ne Sauli innotesceret. Respondeo, certe non fuisse omnino secretam, cum interfuerint pater et fratres ; fuisse etiam sufficienter secretam, si omnes invitati interfuerint. Cogita, quam arcto apud Hebraeos vinculo membra unius domus, cognationis, civitatis uniebantur ; quanta civitati Bethlehem eminentia concedebatur, quanta utilitas quantusque honor in omnes redundaturus erat cives, uno ipsorum in regem assumpto. Totidem Davidi fidi instruebantur socii, quot Bethlehemitae unctionis eius admittebantur testes. *Calm.* : « Cum unctio illa solemnis esset, ex qua totum Davidis ius in regnum petebatur, res utique poscebat, ut coram multis testibus fieret ; nec alii quidem seligendi erant, quam quorum maximopere interesset arcanum celare tum, et opportune detegere, cum de iure illi asserendo agendum esset ».

« *Sanctificavit ergo Isai et filios eius, et vocavit eos ad sacrificium* ». v. 6 « *Cumque ingressi essent, vidit Eliab et ait : Num coram Domino est christus eius?* » Ingressi sunt in locum epuli sacrificalis, cf. v. 11 « discumbemus » ; qui locus non videtur fuisse domus Isai (*Keil*); sed excelsum Bethlehem, cf. 9, 19. — *Hebr. Profecto ante Dominum adstat unctus eius.* Dixit, uti ex v. 7 videtur, perculsus formae venustate et proceritate : sed illico Deus manifestavit, non his se momentis, uti 10, 24 plebem, in seligenda uncti persona dirigi. v. 7 « *Et dixit Dominus ad Samuelem : Ne respicias vultum eius neque altitudinem staturae eius, quoniam abieci eum* », sc. ut non elegerim eum regem, « *nec iuxta intuitum hominis ego iudico : homo enim videt ea, quae parent, Dominus autem intuetur cor.* »

Hebr. neque enim, quod attendit homo supple : ego attendo ; constructio elliptica, quam supplevere *Vulg. LXX Syr.* — *Hebr. homo attendit oculos* ; recte *LXX faciem.* Non tamen ideo corrigendum cum *Then* עיניִם in פנִים, cum haec altera vox non tam externam speciem, quam personae dignitatem denotet.

v. 8 « *Et vocavit Isai Abinadab, et adduxit eum coram Samuele. Qui dixit : Nec hunc elegit Dominus* ». v. 9 « *Adduxit autem Isai Samma, de quo ait : Etiam hunc non elegit Dominus* ». v. 10 « *Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, et ait Samuel ad Isai : Non elegit Dominus ex istis* ». Cum haec Samuel loquatur ad Isai, ergo illum videtur consilii certiorem fecisse ; et etiamsi cum *LXX* vocem *ad Isai* omittas, sensus obvius est idem. David v. 11 evidenter octavo loco connumeratur, 1 Par. 2, 15 septimo, unde coniectant, unum ex septem eius fratribus maturius vita cessisse. Reliquorum nomina 1 Par. 2, 14 sq.

recensentur Nathanael, Raddai, Asom. Nullus illorum sex, quorum nomina dedimus, in historia regni Davidici commemoratur; unde coniecerim, Davidem, more regum orientalium, fratribus nullam auctoritatis partem concessisse. Ionathan, filius Samma, 2 Reg. 21,21 heroibus David adnumeratur. Roboam 2 Par. 11,18 uxorem duxit Abihail, « filiam Eliab, filii Isai ». E contra magna penes Davidem auctoritate fruebantur sororum filii : Abisai, Ioab et Asael, Saruiae filii; et Amasa, filius Abigail, 1 Par. 2,16 sq. — v. 11 « *Dixitque Samuel ad Isai : Numquid iam completi sunt filii? Qui respondit : Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Et ait Samuel ad Isai : Mitte, et adduc eum; nec enim discumbemus, priusquam huc ille veniat* ». Verte *reliquus est minimus*, sc. qui tunc minimus esset natu; non fuisse *parvulum*, colligitur ex 17,34 sqq. — v. 12 « *Misit ergo, et adduxit eum. Erat autem rufus, et pulcher aspectu, decoraque facie.* »

Rufus, Ios. ξανθός. Recte *Ges.* notat, vocem (cf. Gen. 25,25) ab omnibus versionibus ad comam referri, ergo non esse de colore facici intelligendam : *rubicundus* (*Calm., Fürst*). Affirmant, in regionibus orientis comam rufam pro venusta haberi, eo quod nigra sit communior. — *Hebr. insuper pulcher oculis,* vel ad solos oculos, vel ad totam faciem refertur; *decorus aspectu* ad totam corporis speciem. Fateor, עם *insuper* h. l. et 17,42 aliquid suspicionis habere; cum tamen et aliae praepositiones adverbialiter adhibeantur, non est, cur vocem h. l. eliminemus.

« *Et ait Dominus : Surge, unge eum, ipse est enim* ». v. 13 « *Tulit ergo Samuel cornu olei, et unxit eum in medio fratrum eius* ». Sensus obvius, isque ab omnibus versionibus expressus, is est fuisse Davidis fratres unctionis testes. « Qui enim in medio ponitur, ab omni parte videtur » (*Greg.*). Cf. dicta ad v. 5. *Ios., Cai., Sanct., Menoch.* putant, fratres non intellexisse, quid ageretur, aut putasse Davidem ungi prophetam. Longe simplicius *Theodoret., Abul., Salian., Malv., Lap.* eos, quid ageretur, oppido intellexisse pronuntiant. Minime certe exinde, quod Saul nullo teste fuerit unctus, efficitur, nostro loco licite textum torqueri, ut idem de Davide affirmetur. « *Et directus est spiritus Domini a die illa in David, et deinceps. Surgensque Samuel abiit in Ramatha* ». *Directus est* : vocem secus *Vulg.* vertit *irruit* (Iud. 14, 19; 15, 14), vel *insiluit* (1 Reg. 10,10; 11,6), vel *invasit* (18.10). Hic et 18,10 construitur cum אל, secus cum על Iud. 14,19; 15,14; 1 Reg. 10,10; 11,6, quae duae voces facillime etiam permutantur.

Accidit hic Davidi idem, quod acciderat Sauli post unctionem; hic insuper facilius assequimur, in quo fuerit illud charisma Spiritus Sancti, quod hoc etiam loco *prophetiam* vocat *Ios.*. Illud *Ps. Hier.* manifestatum esse affirmat psalmorum concinnatione, quos ad citharae modos iuvenis pastor decantare tunc coe-

perit. *Rup.* : « Quibusnam ab effectibus claruit, quod in illum dirigeretur spiritus Domini? Primum a gratia prophetali. . . . nam ex tunc et psaltes inclytus factus est, prophetans et citharizans magnalia Domini, psalmos componens mysteria continentes filii Dei, filii sui Christi ». Praeterea ille spiritus utique fuit spiritus fortitudinis et prudentiae, qualem se exhibuerat in Saule recens electo, moxque se in Davide exhibuit.

v. 14 « *Spiritus autem Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam a Domino* ». Spiritus in unctione receptus per subsecutam Davidis unctionem quadamtenus revocatus est. Saul aliquamdiu iam in statu peccati fuisse videtur ; agitur ergo de subtractione eiusmodi charismatis, quod etiam in peccatore inesse poterat, spiritus prudentiae et fortitudinis. « Docemur hinc cum Davide clamare : Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Sic cum apostolica gratia Iudam reliquisset, ingressus est in eum diabolus » (*Theodoret.*). Spiritus vero nequam exagitabat, territabat Saulem, non continuo ad instar divini spiritus in ipso habitando, sed frequentibus subitisque incursibus mentem a Deo desertam perturbans. Dicitur tandem adfuisse *a Domino*, eo permittente et disponente, cf. Iud. 9, 23 ; 3 Reg. 22, 21 sqq. ; 2 Par. 18, 20 sqq. ; Iob 1.

Certum est, Saulem in eum incidisse statum, qui, ex opinione hominum illius aevi, daemoni tamquam auctori principali adscriberetur. Certum item est, Saulem de facto in eo statu fuisse, in quo daemonis tentationibus solito magis pateret. Totus erat in cogitationibus suspicionis, invidiae, violentiae, tristitiae, desperationis. Regem alterum suo iam loco unctum esse suspicabatur et, ille quis esset ignorans, ab omnibus sibi et ubique timebat. Accedebat fortasse aliquamdiu post rumor de unctione quadam alicubi peracta, qui tamen, Bethlehemitis rem alto silentio prementibus, rerumque actarum illis temporibus notitia leniissime serpente (cf. 9, 6), ad certam originem certasque personas revocari nequaquam poterat. Quo in mentis statu in varia et gravia scelera, instigante diabolo, abreptus est, qualia erant Davidis nex iterato attentata, et sacerdotum in Nobe interfectio. Utrum vero in eo mentis statu aliquid fuerit possessionis daemoniacae, aut totum fuerit morbida quaedam conditio ex vitiosis illis affectibus oborta, non liquet. *Chrys.* (54. 680) maniam vocat, alii melancholiam, *Ios.* morbum a daemone immissum. Sententias vide apud *Calm.* Si morbum animi supponas, facillime explicatur influxus musices ; si daemonis possessionem, oportebit sonis, et magis etiam verbis, a Davide editis vim exorcismi affinem vindicare (*Sanct.*). Pulchre utramque sententiam conciliat *Duguet* : « Samuelis minae, Dei recessus, conscientiae remorsus, inquieta successoris exspectatio, vitam forte cum regno adempturi, reddiderant Saulem suspiciosum, diffidentem, invidum, irascibilem, animumque deflexerant ad melancholiam, ut sinistre in omnibus sentiret, aegre quaeque ferret, facile offenderetur, si vel minimum eius voluntati obsisteretur. Quibus omnibus progenitus est in Saule habitus vehemens invidiae et odii, ip-

sum etiam in corpus influens. In cuius rei poenam Deus earum passionum instigatori daemoni potestatem concesserat, illum hac parte tentandi et, occasione sumpta ex ipsa animi et corporis deordinatione, ad excessus eiusmodi deordinationem connaturaliter consequentes impellendi ».

v. 15 « *Dixeruntque servi Saul ad eum : Ecce spiritus Dei malus exagitat te* ». v. 16 « *Iubeat dominus noster, et servi tui, qui coram te sunt quaerent hominem scientem psallere cithara, ut, quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras* ». *LXX. Loquantur, domine (noster), servi tui coram te, et quaerant etc.* ; quae lectio ab altera parum differens est praeferenda, nam עבדיך לפניך nequit coniungi et verti *servi tui, qui coram te sunt* (*Wellh.*). *Greg.* (77. 52) : « Plerumque dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, et furor insanorum saepe ad salutem medico blandiente reducitur ». v. 17 « *Et ait Saul ad servos suos : Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me* ». v. 18 « *Et respondens unus de pueris, ait : Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem* », — vox grammatica ad Isai referenda est *Bethlehemitae*, sensu utique tam ad filium quam ad patrem — « *scientem psallere, et fortissimum robore, et virum bellicosum, et prudentem in verbis, et virum pulchrum ; et Dominus est cum eo* ». *Puer* tam superioris quam inferioris ordinis servum significare potest. Cum agatur de Davide permanenter regiae aulae adsciscendo, quaecumque in eius commendationem dici possunt, afferuntur : Est vir, non solum psallendi gnarus, sed omnibus omnino numeris perfectus, verumque aulae ornamentum futurus.

Virum bellicosum ostendit iam aliquam praecessisse occasionem, qua David cum hoste dimicaret, sc. pugnam contra Goliath, uti in fine capitis sequentis ostendemus. — *Intelligentem sermonis (Hebr.)* vel eum denotat, qui aliorum sermonem intelligit, vel qui ipse sapienter loquitur. Alterum includit primum, atque h. l. exprimitur, cum in Davide dotes externae laudentur. Posset etiam verti *intelligentem negotii (Vatabl.)*, sed vix aliquam negotiorum expediendorum eousque occasionem nactus erat David. Bene *Vulg. prudentem in verbis*. Fortasse etiam id his verbis exprimitur, eum esse Davidem, qui norit et narrationibus regis animum distrahere, et blandis verbis demulcere.

v. 19 « *Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens* : *Mitte ad me David, filium tuum, qui est in pascuis* ». Priorem inter fratres stationem resumpserat David post insignem de Goliath triumphum. v. 20 « *Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, et lagenam vini, et hoedum de capris unum, et misit per manum David, filii sui, Sauli* ». Verte cum *LXX* : *Tulit itaque Isai gomer panis, et utrem vini etc.* Donaria haec fuerunt, cf. 9, 7 sq., regi honoris causa oblata.

Corruptum est גמר in חמר ; restitutionem approbant *Sanct.*, *Calm.*, *Houb.* Assignatur determinata mensura vini *(uter)*, statuitur hoedus *unus*, ergo panis etiam determinata copia scribatur necesse est. Gomer panis intelligitur vel tantum, quantum ex gomer tritici confici potest *(Then.)*, vel secundum Num. 11, 32, ubi gomer coturnicibus impletur, tantum, quantum gomer continetur. Reliquae versiones, acceptata lectione חמר, non definiunt, pertinueritne ille *asinus* ad donaria regi offerenda ; quod quidem defendit *Cler.* ; sed obvius sensus est, donaria fuisse cibi et potus. *Syr.* grammaticae inhaerens donaria omnia, hoedo minime excepto, asino imponit. *Chald. asinum panis* explicavit *asinum oneratum pane*, *Vulg. plenum panibus*, tantum intelligentes panis, quantum asinus commode portare queat : sed quis tum portabat utrem ? num hoedus ? *Clair* lectionem firmare conatur citatione Sosibii poetae : ἄρτων τρεῖς ὄνους ; verum multa licent poetis quantitatis causa, et multum interest inter poesin graecam et prosam hebraicam.

v. 21 « *Et venit David ad Saul, et stetit coram eo ; at ille dilexit eum nimis, et factus est eius armiger* ». Stare coram aliquo saepe idem est, ac ministrare, cf. Deut. 18, 7 ; 3 Reg. 1, 2 ; 12, 6 ; 4 Reg. 5, 25 ; 2 Par. 29, 11 ; Ier. 7, 10 etc. Fecit armigerum, quem semper secum habere volebat, quique simul ob animum bellicosum ei muneri par esset. v. 22 « *Misitque Saul ad Isai, dicens : Stet David in conspectu meo, invenit enim gratiam in oculis meis* ». v. 23 « *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat ; recedebat enim ab eo spiritus malus* ». Vocem *malus* initio versus omnes habent versiones. *Refocillabatur :* cf. assonantiam inter רוּחַ et רָוָה, veluti lenis aurae afflatu oppressione liberabatur, cf. Iob 32, 20. Effectus utique non soli citharae pulsationi adscribendus erat, sed divini Spiritus influxui ; probabiliter insuper David assueverat sonos voce comitari, psalmis iam praeludebat, vel eorum aliquos decantabat (*Ps. Hier.*).

HISTORIA DAVID EXULIS 1 Reg. 17-31.

Historia haec ex Intr. n. 7 in tres dividitur partes, quarum prima Davidem in aula regis persecutioni obnoxium, altera eundem in terra Iuda fugitivum, tertia inter Philisthaeos exulantem describit.

Pars I. David in aula Saul 1 Reg. 17-20.

Haec rursum pars in tria dividitur membra. Primum introductionis loco est atque enarrat, quomodo David devicto Goliath in aulam fuerit adscitus atque regio favore honoratus. Secundum latentes, tertium patentes Saulis insidias describit.

A. Davidis in aulam adventus 1 Reg. 17, 1-18, 5.

Arg. — S. auctor iam narrationem rerum Davidis altius repetens primum factum narrat, quo David populo regique innotuit. Divina sc. ope fisus Goliath Philisthaeum singulari certamine prostravit. Quare Saul, quis ille iuvenis esset, exquisivit eumque aliquo tempore post aulae permanenter adiunxit. Ionathas quoque cum Davide foedus amicitiae iniit.

Cap. XVII v. 1 « *Congregantes autem Philisthiim agmina sua in praelium, convenerunt in Socho Iudae, et castrametati sunt inter Socho et Azeca, in finibus Dommim* ». Lege *in Phesdommim* cum reliquis omnibus, et 1 Par. 11, 13 etiam cum Vulg. — Ergo *Socho* locus propinquior erat regioni Philisthaeorum, *Azeca* remotior. Socho non procul aberat a Ierimoth et Adullam Ios. 15, 35; cf. 2 Par. 28, 18; nunc Schuweke ad meridiem Wadi-es-Samt. *Phesdommim* nonnihil altius in

eadem valle erat. *Vallis Terebinthi* aut ipsum est Wadi-es-Samt, aut vallis aliqua illi coniuncta. v. 2 « *Porro Saul et filii Israel congregati venerunt in Vallem Terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim* ». v. 3 « *Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, et Israel stabat supra montem ex altera parte, vallisque erat inter eos* ». Stabant in clivis ex utraque parte vallis. v. 4 « *Et egressus est vir spurius de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum et palmi* ». Hebraei res metiebantur cubitis ; cubitus duos habebat palmos זרת seu « palmas extentas », sex vero טפח seu « palmas collectas » compressis quatuor digitis (quatuor digitos. vertit *Vulg.* Ex. 25, 25 et alibi), viginti quatuor tandem digitos. *Germ.* : Elle, Spanne, Handbreit, Zoll. Haec cum per se clara sint, non ita facile determinatur adamussim cubiti longitudo ; tamen adhibitis, quae talmud et monumenta suppetunt, indiciis videtur is proxime accessisse ad cubitum Aegyptiorum, quem accurate depictum monumenta exhibent, fuitque 483·9 m m. ; hinc palmus 241·95 m m., palma collecta 80·65 m m., digitus 20·1625 m m. Cubiti sex calamum efficiebant (Ez. 41, 8), 2. 9034 m. Cf. *Schrader* ap. Riehm : Handwoerterbuch des bibl. Altertums, Bielefeld u. Leipzig 1884. Ergo Goliath, cum esset sex (vel quatuor *LXX Ios.*) cubitorum et dimidii, erat altus 2·984 (vel 2·072) m.

Vir spurius : fortasse vertendum *Et egressus est vir in medium*, הבנים. Ita *Ios.* μεταξὺ τῶν παρατάξεων, *Kimchi* « stans inter duas acies ». *Amama* : « Hebraei ad unum omnes, quos ego inspexi, Rabbi Salomo, Levi, David, Iesaias, referunt ad duas acies, quodque inter duas acies quotidie staret, sic dictum putant ». Paulo aliter *Chald.* : « de inter illos ». *Spurius* (*Vulg.*) secundum aliquos ex altera expositione rabbinica ortum duxit « unus filiorum », i. e. nullo certo patre genitus. Aliis praeplacet versio, quam suggerit *LXX (Alex.)* ὁ μεσαῖος, et *Aq.* ὁ μεσάζων : ergo *mediator*, i. e. ille qui hac ratione inter partes adversas mediatorem agit, ut rem singulari certamine dirimendam in se suscipiat. Ita *Malv., Calm., Ges., Fürst.* Haec significatio certe melius convenit v. 23. *LXX* ὑνατός, *Syr. gigas* : quid legerint, nescimus. — *De castris,* מבמחנות non est cum *Then., Wellh.* secundum *LXX* emendandum in מבמערכות, *de acie*, licet ea vox v. 8 et 23 habeatur : *Hebr. Chald. Syr.* habent h. l. unam vocem, et v. 8 et 23 alteram.

v. 5 « *Et cassis aerea super caput eius, et lorica squamata induebatur ; porro pondus loricae eius quinque millia siclorum aeris erat* », fere 82 Kilogr. v. 6 « *Et ocreas aereas habebat in cruribus, et clypeus aereus tegebat humeros eius* ». Verte *et pilum aereum* (*pendebat*) *inter humeros eius,* appensum gestabatur. v. 7 « *Hastile autem hastae eius erat quasi liciatorium texentium, ipsum autem ferrum hastae eius sexcentos siclos habebat ferri ; et armiger eius antecedebat eum* ». Recte *Then.* ex eiusmodi numeris adscriptis infert, Goliath revera fuisse occisum, eiusque corpus cum armis in Hebraeorum venisse potestatem. Cum, praeter fratrem

Goliath 2 Reg. 21, 19 ; 1 Par. 20, 5 etiam vir quidam Aegyptius 1 Par. 11, 53 habuerit « lanceam ut liciatorium texentium », puto hanc expressionem nulli determinatae correspondere dimensioni, sed esse indeterminate exaggerantem, sicut quando dicuntur milites esse numerosi sicut *arena maris, quae numerari non potest.* Siclus *ponderis publici* 2 Reg. 14, 26 (Hebr. *regius*), seu *iuxta mensuram templi* Ex. 30, 13 (Hebr. *sacer*), qui unus antiquitus apud Hebraeos usuveniebat, ex *Ios.* Ant. 14. 7. 1 erat 16· 37 gr. Sexaginta sicli efficiebant minam i. e. 982 gr., sexaginta minae efficiebant auri talentum i. e. 58· 932 kilog. Sexcenti igitur sicli efficiunt 9· 822 kilog.

Clypeus כידון res est, quae manu gerebatur Ios. 8, 18, ergo non genus quoddam armaturae, quo humeri tegerentur (*Syr.*). Iob 39, 23 : « Super ipsum (equum) sonabit pharetra, ferrum lanceae et כידון ». Iob 41, 20 (21) כידון effertur ut res, quam Leviathan nequaquam formidet ; ubi *Vulg.*, sicut aliis locis, vertit *hastam* ; clypeus utique multo minus formidinis est obiectum, quam hasta seu pilum. Cf. *Bochart.* — *Hastile : keri* עץ praeferendum esse pro *kethib* חץ, ostendunt loci paralleli 2 Reg. 21, 19 ; 1 Par. 20, 5. — *Armiger* seu scutiger : צנה scutum, a radice צנן *protegere*, quae etiam in lingua arab. et assyr. recurrit.

v. 8 « *Stansque clamabat adversum phalangas Israel, et dicebat eis : Quare venistis parati ad praelium* ? » Quid opus est, omnes vos stare in acie, cum res singulari certamine componi queat ? Ita fere *Ios.* « *Numquid ego non sum Philisthaeus, et vos servi Saul ? Eligite ex vobis virum, et descendat ad singulare certamen* ». *Philisthaeus* articulum habet : ergo vel « notus ille Philisthaeus », quo sensu *Chald.* inserit h. l. narrationem sat longam praeclare gestorum huius Philisthaei ; vel « Philisthaeus numeris omnibus absolutus ». v. 9 « *Si quiverit pugnare mecum* », i. e. meum impetum sustinere, « *et percusserit me, erimus vobis servi ; si autem ego praevaluero, et percussero eum, vos servi eritis, et servietis nobis* ». v. 10 « *Et aiebat Philisthaeus : Ego exprobravi agminibus Israel hodie,* » non mera appellatione « servi Saul » (*Keil*), quae nihil probri continebat, sed toto tenore verborum ante dictorum, quae erant provocatio plena contemptus. Vester honor exigit, ut satisfactionem a me requiratis ; ergo « *date mihi virum, et ineat mecum singulare certamen* ». v. 11 « *Audiens autem Saul et omnes Israelitae sermones Philisthaei huiuscemodi, stupebant et metuebant nimis* ».

In editione *LXX* recepta deest 17, 12-31 et 17, 55-18, 5 ; eadem in aliis sui temporis libris hebr. deesse, notant *Masor.* Ergo divergentia in ipsos codices hebr. refunditur, quorum una pars tempore, quo conficiebatur *LXX*, illas periecpas habebat, pars iisdem carebat. *Alex.* quidem eas etiam habet, sed evidenter suppletas a traductore aliquo, diverso ab auctore LXX, quique ea immediate ex Hebr. supplevit. *Ios.* in suo LXX exemplari legebat 17, 12-31, non vero 17,

55-18,5 : ergo iam tum exstabant codices graeci, et fortasse etiam hebraici, qui unam alteramve pericopen ex Hebr. suppleverant. Dicimus autem, ita Ios. in suo LXX exemplari legisse, non ad Hebr. recurrisse : in tota quippe regum historia solos LXX sequitur ; quodsi Hebr. consuluisset, etiam 17,55-18,5 transsumpsisset ; neque eum difficultas huius loci terruisset, difficultates quippe Ios. non declinare solet, sed pro ingenii subtilitate explanare conatur. — Utramque pericopen legebat *Aq.*, priorem tantum *Symm.* et *Theodotion.*

Quaestionem igitur ad antiquos codices hebr. revocamus. Ubi illud ante omnia advertendum est, longiores esse pericopas illas et accuratius contextui aptari, quam ut *inadvertenter* aut textui inseri, aut ex illo excidere potuerint. Sunt ergo *deliberate* aut textui insertae, aut textu expunctae. Sed iam seorsim nobis de singulis pericopis agendum, non enim necessario par utriusque ratio est supponenda.

Prior pericope 17,12-31 repetit fere, quae cap. 16 dicebantur de familia David, dein exponit, quid negotii acturus David in castra venerit, et quibus sermonibus animum adoriendi Philisthaeum prodiderit. Nulla in his omnibus cernitur ratio, quae potuerit quemquam allicere, ut eam narrationem *deliberate* expungeret. Plura afferuntur nova, quaeque a contextu narrationis minime sunt aliena. Quinimo, haec ipsa potuit esse ratio eius pericopae *deliberate* inserendae. Neque ideo necessario asserendum, insertam esse a posterioribus Iudaeis : nimis illi textum sacrum reverebantur, quam ut tanta illi additamenta deliberate adnecterent. Rem ita explicamus. Ea pericope pars non erat Historiae Davidis a Gad conscriptae. Quando hanc historiam suo operi adiunxit Nathan propheta, hanc pericopen sive ex eorum, quae ipse testis expertus erat, memoria, sive ex aliquo documento fide digno inseruit. Insertionis vestigium habes v. 12 in illa voce *illius* seu, uti *Vulg.* vertit, *de quo supra dictum est.*

Altera pericope 17,55-18,5 narrat Saulis quaestionem : « De qua stirpe descendit hic adolescens ? » quae nonnihil difficultatis habet, ubi cap. 16 narratum est, Saulem Davidem dilexisse et secum retinuisse ; dein narrat « in die illa », quae quidem expressio omnino vaga est, tulisse Saul Davidem neque concessisse, ut domum reverteretur. Haec omnia prorsus vera sunt, uti suo loco ostendemus ; tamen post cap. 16 posita difficultatem pariunt prima fronte non exiguam. Ergo nulla ratio erat, illa *deliberate* inserendi, erat e contra ratio illa *deliberate* expungendi. Rem ita concipimus. Exstabat haec pericope in Historia Davidis, quam conscripsit Gad separatam ab Historia Saulis, ibique nullam pariebat difficultatem. Quando Nathan Historiam David cum Historia Saul suo operi inseruit, nata est difficultas ; eam oportebat explicari, aut locum difficilem expungi : alterum placuit Nathano.

Hinc liber Gad priori pericopae carebat, liber Nathan altera. Uterque describebatur non infrequenter, saepe etiam minus sapienter. Qui librum Nathan describebant modo putabant alteram pericopen, quod in libro Gad legeretur, in suo libro excidisse ideoque esse supplendam ; modo priorem pericopen, quod in libro Gad desideraretur, putabant esse expungendam. Hinc duae ortae textus hebr. recensiones, quarum alteram secuti sunt *Masor. Vulg. Chald. Syr. Aq.*,

alteram *LXX* in editione recepta. Textum genuinum libri Nathan prae oculis habuere *Ios.*, *Symm.*, *Theodotion*. Librarios ea, quam descripsimus ratione, revera quandoque egisse, omnino probat exemplum codicis *Alex.*, cuius auctor utramque pericopen sibi putavit ex Hebr. esse supplendam.

v. 12-15 revocat lectorem ad personam David, et intime cum praecedentibus connectitur : Reliqui metuebant nimis; David autem etc. Iam auctor, de Davide dicturus, bis v. 12 et 14 eius nomine sententiam orditur, sed bis rursum ad alia parenthetice referenda dilabitur, primum v. 12 sq. patris fratrumque conditionem exponens, inde v. 14 Davidis aetatem definiens, tandem v. 15. in inchoata sententia et narratione pergit. Missa ergo v. 12 voce *erat*, ita fere vertas : David autem, filius viri Ephrathaei, de quo supra dictum est, etc; David autem — ipse minimus, tres autem maiores secuti erant Saul ; — David igitur abiit etc. Cf. *Keil*. v. 12 « *David autem erat filius viri Ephrathaei, de quo supra dictum est, de Bethlehem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, et erat vir in diebus Saul senex, et grandaevus inter viros* ».

Pro *de quo supra dictum est, Hebr. illius,* quae vox non obscure prodit, hanc pericopen narrationi iam prius exstanti esse insertam. Aetas Isai indicatur, inquit *Then.*, tamquam causa, cur non ipse Isai arma sumpserit : verum, si haec sit ratio, cur non misit Isai quatuor illos filios, quorum nomina h. l. desiderantur ex octo ? Sensus planior hic est : tres filios miserat, quod pro uno cive abunde sufficit, etiamsi habeat octo ; quartus David modo fratribus commeatum ministrabat, modo domi gregem pascebat, quae ei cura tamquam natu minimo obtigerat ; alii quatuor fratres fortasse patrem in re domestica administranda iuvabant. — *Hebr.* בא באנשים, quod *LXX* (*Alex.*) vertit verbotenus *profectus inter viros*, et in eundem textum recidit *Vulg. grandaevus inter viros, Chald. adnumeratus inter electos*, i. e. senes. Tamen expressio in s. scriptura nusquam secus occurrit. Cum in *Hebr. Chald.* copula desideretur, potest בא ortum esse ex repetitione priorum literarum sequentis vocis : « erat vir senex inter viros ». Pro אנשים legebant *Syr.* et *Arabs* שנים ; unde *Syr.* vertit *provectus annis*, expressio, uti notarunt *Lud. Capellus* et *Houb.*, omnino aequivalens alteri *provectus diebus* Gen. 18,11 ; 24,1 ; Ios. 13,1. *Arabs*, punctationem nativo idiomati accommodans, vertit *provectus dentibus*, dentes enim pro aetate apud Arabes scribi docemur.

v. 13 « *Abierunt autem tres filii eius maiores post Saul in praelium ; et nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, et secundus Abinadab, tertiusque Samma* ». Cf. 16,6 sqq. v. 14 « *David autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secutis Saulem* », v. 15 « *abiit David et reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem* ». Versio recepta utique suggerit nexum cum 16,21, ubi Saul dicitur Davidem secum retinuisse. Sed is nexus textui hebr. necessario non inest. Iam *Malv.* vertit : « Ibat et redibat a comitatu Saul, h. e., saepe a patre ad fratres, qui in isto bello Saulem comitabantur, mittebatur ». Et *Cler.* : « David a Saule ultro ci-

troque commeabat ». Et *Keil* : « accedebat et recedebat ». Ergo David *ibat* : quo non enuntiatur, quia illud ex immediate praecedentibus facile suppletur, ubi eadem voce dicebantur fratres David *ivisse post Saul* ; neque dicitur ad quid, quia id v. 17 sq. effertur, sc. ad commeatum fratribus ministrandum ; *et redibat*, huicque additur terminus a quo, *a Saul*, et ratio propter quam, *ut pasceret gregem*. Ergo ex hoc versu non potest sumi argumentum, cap. 17 narrata obtigisse post narrata cap. 16. — v. 16 « *Procedebat vero Philisthaeus mane et vespere, et stabat quadraginta diebus* ». v. 17 « *Dixit autem Isai ad David, filium suum : Accipe fratribus tuis ephi polentae* », frumenti tosti cf. Lev. 2,14, « *et decem panes istos, et curre in castra ad fratres tuos* ». Recte hinc infert *Sanct.*, Israelitas tum non regio sumptu, sed propriis stipendiis militasse ; unde porro inferas, raro admodum remotioris regionis incolas in castris adfuisse. v. 18 « *Et decem formellas casei has deferes ad tribunum, et fratres tuos visitabis, si recte agant ; et cum quibus ordinati sunt, disce* ».

Formellas casei, a חרץ *secare*, ergo sectiones casei, *gallice* « une tranche ». Sed obest in *Hebr.* dici formellas, non casei, sed lactis : et voci חלב significatio casei vindicari nequit, quin potius significat lac recens : quid autem sibi volunt sectiones lactis ? In textu graeco legebat *Breitinger* τρυφαλίδας, quod utique est *formellae* ; sed *Tischendorf* praefert lectionem στρυφαλίδας, quae aliquid contractum seu acrefactum significat, ergo, ubi de re ex lacte nata sermo est, caseum, *caseum lactis recentis*. Ita vertunt *Chald. Syr.* Ad eundem sensum trahi posse videtur radix hebr., nam חרצן significat *uvas acres*, et in *arab.* radici etiam sensus competit *lac omne emulsit*. — *Visitabis ; Hebr.* addit *pacifice*, nam verbum פקד etiam de visitatione hostili usurpatur. — *Cum quibus ordinati sunt, disce.* Lectio תחקר *disces*, pro *Hebr.* תקח *sumes*, auctoritate *Vulg. LXX Theodotion.* sufficienter stabilitur. ערבתם *LXX* derivant ab ערב *dulce, gratum esse*, ergo *placitum eorum disce. Chald. Syr. nuntium. Ps. Hier.* derivat ab ערב *pignus dedit*, sed quorsum pignore opus est inter fratres ! *Vulg.* legebat ערכתם, ab ערך *ordinare*.

v. 19 « *Saul autem, et illi* », i. e. tres filii Isai natu maximi, « *et omnes filii Israel in Valle Terebinthi pugnabant adversum Philisthiim* ». Cum *Hebr.* participio utatur, potes etiam cum *Then.* vertere « pugnant », totumque interpretari ut partem sermonis Isai : at, quomodocunque interpreteris v. 15, prorsus superflue Isai filium edocet, ubi sit Saul. v. 20 « *Surrexit itaque David mane, et commendavit gregem custodi, et onustus abiit, sicut praeceperat ei Isai* ». Alicui custodi, *Hebr.* articulum non adhibet, videtur David solus gregem pascere consuevisse. « *Et venit ad locum Magala* », — melius *ad castra* — « *et ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine* ». Nervosius *Hebr.* ; *et exercitus, qui egrediebatur in aciem, extollebat clamorem bellicum.*

Ad castra vertunt omnes versiones : locus pugnae sufficienter v. 1 descriptus est. מיגרלה fortasse derivandum ab עגל *rotundum esse* (*Vatabl., Malv.*), ergo vallum vel castra ; eandem vocem 26,5. 7 *Vulg.* vertit *tentorium*, ab eadem radice. Non putaverim derivari ab עגלה *plaustrum*, ut sit plaustrorum arx (*Duguet, Ges.*), nam eiusmodi in bello non videntur usi esse Hebraei.

v. 21 « *Direxerat enim aciem Israel, sed et Philisthiim ex adverso fuerant praeparati* ». *Hebr. : Dirigebantque Israel et Philisthiim aciem contra aciem.* Descriptio est appropinquantis castris, prius res in confuso videntis sonumque audientis, dein distinctius res contuentis. v. 22 « *Derelinquens ergo David vasa, quae attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, et interrogabat, si omnia recte agerentur erga fratres suos* ». *Hebr. LXX Chald. : cucurrit ad aciem et,* cum prope hanc pervenisset, moderato gressu, *processit et salutavit fratres suos.* v. 23 « *Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius* », mediator cf. v. 4, « *Goliath nomine, Philisthaeus de Geth, de castris Philisthinorum, et loquente eo haec eadem verba* », cf. v. 8 sqq., « *audivit David* ». Reliqui textus habent *Goliath Philisthaeus nomine :* videntur iam tum voces *Goliath Philisthaeus* in unicam viri appellationem coaluisse *(Wellh.)*. v. 24 « *Omnes autem Israelitae, cum vidissent virum, fugerunt a facie eius, timentes eum valde* ». v. 25 « *Et dixit unus quispiam de Israel* », fortasse regis nomine : « *Num vidistis virum hunc, qui ascendit? ad exprobrandum enim Israeli ascendit* ». Oppido nostis, exprobrandi causa eum ascendere. « *Virum ergo, qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, et filiam suam dabit ei, et domum patris eius faciet absque tributo in Israel* ». *Hebr. faciet liberam,* sed a qua re ? A tributo, inquit *Vulg.* Sed num tempore Saulis iam adstricti erant singuli Israelitae certo tributo solvendo ? *Chald. Syr. faciet nobilem ;* porro ea nobilitas non in alio consistebat, quam in datis divitiis et concessis nuptiis regiis. v. 26 « *Et ait David ad viros, qui stabant secum, dicens : Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthaeum hunc, et tulerit opprobrium de Israel?* » Ex interrogatione videtur effici, Davidem generalem sensum proclamationis v. 25 intellexisse, non tamen particulares conditiones ; vel hae conditiones visae ipsi sunt tam praeclarae *(Malv.)*, comparatione victoriae indubie, quod fide docebatur, obtinendae, ut suis auribus non credens earum ex aliis confirmationem quaesierit. Simul quaestionis ardor prodebat, Davidem, desiderio promissi praemii obtinendi et opprobrii populo electo illati ulciscendi, ad pugnam ipsum subeundum sollicitari. « *Quis enim est hic Philisthaeus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis?* » Verba exprimunt certissimam fiduciam, Goliath percussum iri ; enuntiant, eum esse adversarium merito despiciendum, primum iam ideo, quod sit impugna-

tor incircumcisus populi Dei, dein multo etiam magis, quod eidem exprobrare ausus sit. Id enim agendo, certissimam iram incurrit Dei viventis, propria tandem nece placandam. — Potest sententia etiam sic construi : Quis enim est hic Philisthaeus, ut exprobret etc. ? Nefas est, talem virum in populum impune effutire probra.

v. 27 « *Referebat autem ei populus eundem sermonem* » (v. 25), « *dicens : Haec dabuntur viro, qui percusserit eum* ». v. 28 « *Quod cum audisset Eliab, frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, et ait: Quare venisti, et quare dereliquisti paucula las oves illas in deserto ? Ego novi superbiam tuam et nequitiam cordis tui, quia, ut videres proelium, descendisti* ». Ira incendebatur Eliab, quod natu minimus se offerret ad singulare certamen, quod ipse natu maximus refugisset (v. 24). Vividius *Hebr. cui reliquisti ?* Neglecto grege nec ulli pastori commendato, descendisti. Is est David, cui vix pauculae oves tuto committi possint. Fratres salutare (v. 22) praetextus fuit : petulantia et nequitia illum adduxerunt. Nequitiae est, fucato praetextu uti ; petulantiae, rerum proprium statum longe excedentium aspectum ambire. Longius petitur, quod dicit *Clair*, eam Davidi fratrem obiecisse nequitiam, ut cuperet sanguinem videre effusum.

v. 29 « *Et dixit David : Quid feci ? numquid non verbum est ?* » Textus sua brevitate obscurus. *Arabs* supplet *tantum*. Hinc *Chrys.* (54.425) : Nondum arma arripui, nondum in aciem progressus sum, tantum interrogabam. Nonnihil acerbius *Menoch.* : « Non si puo dir una parola ? » vel *Carrière* : « N'est-il pas permis de parler ? » Duas alias explicationes commemorat *Malv.* : « Nonne est hac de re publicus sermo ? quid mirum, si ego loquar de re, de qua omnes loquuntur ? » vel : « Nonne fuit verbum i. e. mandatum patris, ut huc descenderem ? » v. 30 « *Et declinavit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem sermonem. Et respondit ei populus verbum, sicut prius* ». v. 31 « *Audita sunt autem verba, quae locutus est David, et annuntiata in conspectu Saul* ». Hic terminatur lacuna *LXX*.

v. 32 « *Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei : Non concidat cor cuiusquam in eo* », i. e. propter illum ; « *ego servus tuus vadam, et pugnabo adversus Philisthaeum* ». v. 33 « *Et ait Saul ad David : Non vales resistere Philisthaeo isti, nec pugnare adversus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua* ». Haec vix possunt locum habuisse post 16, 18, ubi David praedicatur « fortissimus robore et vir bellicosus ». v. 34 « *Dixitque David ad Saul : Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel* » — adde *imo* cum *Chald.*, qui pro ואת legebat ואף — « *ursus, et tollebat arietem de medio gregis* », v. 35 « *et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum ;*

et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum, et suffocabam, interficiebamque eos». Describitur proxime pugna cum urso inita. Is contra persequentem se erigebat, David prehendebat mentum barbatum, qualis repraesentatio (cum leone) frequens est in monumentis Assyriorum ; ita eius amplexum cohibebat et, ut certius et violentius caedere posset, efficiebat. Pro והכתיו *et percutiebam eum* videtur *Vulg.* legisse והנקתיו *et suffocabam eum* : non agitur de bestia suffocanda, sed baculo conficienda ; ita hodiedum aliquando Arabes leonem conficiunt. Recte *barbam* (*Hebr.*) reddit *Vulg. mentum,* non *guttur* (*LXX*). *Ios.,* qui non erat ipse robustus venator coram Domino, tutius Davidi putavit, feram « cauda » sublatam terrae allidere ! v. 36 « *Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus : erit igitur et Philisthaeus hic incircumcisus quasi unus ex eis. (Nunc vadam, et auferam opprobrium populi ; quoniam quis est iste Philisthaeus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis?)* » Ultima sententia ex *LXX* in *Vulg.* penetravit. v. 37 « *Et ait David : Dominus, qui eripuit me de manu leonis et de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthaei huius. Dixit autem Saul ad David : Vade, et Dominus tecum sit* ». Ipse Saul haec ultima verba primus Davidi apprecatur, sibi postmodum constanti tormento futura, cf. 18, 12.28 ; 24,21. Dum Saul pusillanimitate peccaverat, David, ubi primum se nobis sistit, insignem prodit in Deum *fiduciam.* Eadem sane fiducia agebatur in adoriendis belluis, quae omnem eius vitam pervadebat. Utrum congressus, tam cum leone quam cum urso, semel tantum acciderit an saepius (*Vulg.*), ex textu non clare perspicitur.

v. 38 « *Et induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam aeream super caput eius, et vestivit eum lorica* ». Induit vestimentis ita comparatis, ut arma illis desuper adaptarentur, secus commodius David propriam vestem retinuisset (*Then.*) ; cf. dicenda ad 18,4. Recte advertunt *Abul.*, *Sanct.* aliique, Davidem tunc non ita tenerae aetatis puerum fuisse, quod Sauli, qui altior esset universo populo ab humeris et sursum, in mentem venerit, suis illum vestibus induere, quodque David non vestium amplitudinem, sed solam consuetudinem excusaverit. Idem David postea gladio Goliath expedite usus est. v. 39 « *Accinctus ergo David gladio eius super vestem suam, coepit tentare, si armatus posset incedere ; non enim habebat consuetudinem* ». *Vestem suam* : suffixum etiam potest verti *eius* : erat vestis Saul, quam induerat David. Ceterum hinc non sequitur (*Wellh.*), mentionem loricae v. 38 cum *LXX* esse supprimendam. Potuit se accingere gladio super vestem et super loricam, vel super vestem et non super loricam : nescimus eius loricae formam et amplitudinem. « *Dixitque David ad Saul : Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea* ».

v. 40 « *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, et elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, et misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, et fundam manu tulit, et processit adversum Philisthaeum* ». Insignis Davidis *fiducia* inde elucet, quod nihil armorum insolitum quaerit, sed ea tantum, quae *semper habebat*. Elucet ex quiete, qua quinque tantum lapides colligit, ratus plures se iacere non posse, quoad cominus et baculo sibi dimicandum foret. *Chrys.* (54. 426) : « Accepta pera pastorali et silicibus, contra carneam illam turrim egressus est ».

Hebr. misit eos in vas pastorum, quod ipsi, et in peram, ילקוט. Hinc variae explicationes. Hebraco adhaeret *Chald.* ; sed improbabile est, Davidem duobus usum esse saccis ad quinque lapides reponendos. Verius igitur copulam omittunt *LXX* : *in peram pastoralem, quae erat ei ad colligendum* (לקט) ; et *Arabs : in peram, qua uti consueverat in pascendis* (*colligendis*) *ovibus* ; et *Syr. : in vas pastorale,* (*i. e.*) *in peram*, cui consentiunt *Vatabl., Sanct.* Veritatem tetigit *Vulg.*, unico vocabulo vertens *in peram pastoralem.* Videtur sc. perantiquo tempore in margine ms. adiecta esse inusitatae vocis ילקוט explicatio בכלי הרעים, quae inde in textum irrepsit (*Wellh.*).

v. 41 « *Ibat autem Philisthaeus incedens, et appropinquans adversum David, et armiger eius ante eum* ». Deest in editione *LXX* recepta, non tamen in *Alex.* Perperam versum condemnat *Wellh.*, quod nunc iam Goliath recta tendat ad David, et tamen nonnisi v. 42 illum primum conspiciat. Non affirmatur processisse cum intentione appropinquandi Davidi, sed, dum huc illuc exprobrans Israeli incederet, inexspectatum offendit. v. 42 « *Cumque inspexisset Philisthaeus, et vidisset David, despexit eum ; erat enim adolescens, rufus et pulcher aspectu* ». Cf. 16, 12. — v. 43 « *Et dixit Philisthaeus ad David : Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo?* » *Hebr. cum baculis,* pluralis genus significat. « *Et maledixit Philisthaeus David in diis suis* », *Hebr. Ios. in Deo suo,* sc. Davidis. v. 44 « *Dixitque ad David : Veni ad me, et dabo carnes tuas volatilibus coeli et bestiis terrae* ». v. 45 « *Dixit autem David ad Philisthaeum : Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie* ». *In gladio etc.*, i. e. his rebus fisus. *Exprobrasti* recte versiones referunt ad *agminum*, cf. v. 10 : « Ego exprobravi agminibus Israel ». Utique pronuntiat David, probrum in Israel coniectum illico ipsum Dominum exercituum afficere. v. 46 « *Et dabit te Dominus in manu mea, et percutiam te, et auferam caput tuum a te, et dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus coeli et bestiis terrae : ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel* » ; — Contra *Vulg. LXX* iungunt reliqui et *Ios.* : *Hac ipsa die, hodie, dabit te*

Dominus in manu mea. Robustior evadit sermo, et correspondet alterum *hodie.* — v. 47 « *et noverit universa ecclesia haec* », tam amici quam inimici, « *quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum* ». *Hebr. sed quia Domini est bellum.* Dominus non tribuit victoriam iis solis, qui melioribus armis instructi sunt, quasi victoria tota ab armis, nullatenus ex numine penderet: ipse, belli dominus cum sit, victoriam etiam inermi largiri potest. « *Et tradet vos in manus nostras* ». Haec non videntur dependere a *quia* secus adderetur *ipse*, in hoc enim esset vis argumenti. Dein languida esset sententia: Dabit te Dominus in manu mea, ut noverit universa ecclesia, quia tradidit vos in manus nostras. Verba sunt repetitio assertionis v. 46, repetita expressio fiduciae obtinendae victoriae, nec iam a solo Davide, sed ab Israelitis universim.

v. 48 « *Cum ergo surrexisset Philisthaeus, et veniret, et appropinquaret contra David, festinavit David, et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthaei* ». Vivide *Hebr.: Et factum est, et insurrexit Philisthaeus,* incensus verbis David, inter alloquium enim substiterat, *et procedebat, et appropinquabat.* « Davidis animus festinatione manifestatur » (*Clair*). Pro *ad pugnam, Hebr. Chald. Syr in acie*, i. e. secundum aciem, *gallice* « le long » ; intellige Hebraeorum aciem. v. 49 « *Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda iecit, et circumducens percussit Philisthaeum in fronte; et infixus est lapis in fronte eius, et cecidit in faciem suam super terram* ».

Circumducens praeter *Arab.* habet sola *Vulg.*, deest tamen in pluribus codicibus et editionibus (*Vere.*) : post *funda iecit* vox abundat. Solutionem disce ex *Arab.*, qui omittit *funda iecit* : ergo *circumegit* (sc. fundam) non est nisi altera versio expressionis *funda iecit,* quae in textum Vulg. irrepsit. — Incisum *infixus est lapis in fronte eius* minime est otiosum, etiamsi non addamus cum *LXX* et *Wellh. per galeam* : ictus sc. fuit tam felix, ut non solum percusserit hostem in fronte, sed hanc insuper penetraverit.

v. 50 « *Praevaluitque David adversum Philisthaeum in funda et lapide, percussumque Philisthaeum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David* », v. 51 « *cucurrit, et stetit super Philisthaeum, et tulit gladium eius, et eduxit eum de vagina sua, et interfecit eum, praeciditque caput eius* ».

v. 50 deest apud *LXX.* Ob quam rationem expungitur a *Wellh.*, et etiam, quia haec generalis de exitu pugnae animadversio nonnisi post v. 51 ponenda esset, et quia *interfecit* v. 50 abundet, cum nonnisi v. 51 Philisthaeus interfectus narretur. Tamen v. 50 defendi potest, ut sit triumphans quaedam exclamatio a s. narratore edita, ubi corruentem v. 49 Philisthaeum mente conspexit, eademque anticipans eventum, magis complete v. 51 narrandum — Verba *Cumque gladium non haberet in manu David,* apte cum *Vulg.* ad sequentia trahuntur, simul tamen ad praecedentia pertinent eaque

sequentibus iungunt : sc. quod gladio caruerit David, et explicat, cur solo lapide et funda ei vincendum fuerit, et cur cucurrerit, ut gladio Goliath potiretur.— Gladius in vagina erat : ergo Goliath hasta vel telo dimicaturus fuerat.

« *Videntes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt* ». v. 52 « *Et consurgentes viri Israel et Iuda vociferati sunt, et persecuti sunt Philisthaeos, usquedum venirent in vallem et usque ad portas Accaron* ». Probabilius cum *LXX Ios.* pro גיא lege גת : *usquedum venirent ad Geth et usque ad portas Accaron.* Etiam *Chald.* nomen proprium intellexit. Vox non habet articulum, ideoque non designat determinatam aliquam *vallem.* De viris Iuda et Israel cf. dicta ad 8, 4 ; 11, 8. « *Ceciderunt que vulnerati de Philisthiim in via Saraim, et usque ad Geth, et usque ad Accaron* ». *Vulg. Chald.* intellexerunt Saraim Ios. 15, 36 ; sed eadem vox, quae modo in hoc ipso versu vertebatur *porta*, etiam hic eodem sensu cum *LXX* sumenda est, ergo : Ceciderunt que vulnerati de Philisthiim in (ipso) ingressu portarum tam Geth quam Accaron. Ita verba perspicue cum praecedentibus cohaerent. Ingressum portae intelligimus illud castellum munitum, per quod aditus urbis transibat et defendebatur : *germ.* « Thorweg ». Ergo occisi ceciderunt non solum prope illas urbes, sed intra ipsas urbes, ut parum abfuerit, quin ipsae urbes caperentur. Cf. *Wellh.* v. 53 « *Et revertentes filii Israel, postquam persecuti fuerant Philisthaeos, invaserunt castra eorum* ». v. 54 « *Assumens autem David caput Philisthaei, attulit illud in Ierusalem, arma vero eius posuit in tabernaculo suo* ». Malim cum *Ios.* et *Ps. Hier.* suffixum omittere, quod facillime ex sequenti voce affingi potuit ; ergo *posuit in tabernaculo,* sc. Dei, ubi postea 21, 9 ea recondita reperimus. Eodem recidit expositio *Iunii Pisc.* (apud Malv.) et *Calm.* : in tabernaculo suo, eo sc. quod ipse postea Hierosolymae Deo erexit ; sed est violentior. Caput David certe non illico Hierosolymam attulit, sed tum demum quando rex arce Sion potitus est. Quodsi ergo versus in ipsa prima libri scriptione a Gad propheta narrationi est insertus, demonstratum habes, Gad nonnisi post captam arcem scripsisse. At potuit hic versus a Nathan propheta inseri.

Haec apud *LXX* desunt. v. 55 « *Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthaeum, ait ad Abner, principem militiae : De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner ? Dixitque Abner : Vivit anima tua, rex, si novi* ». v. 56 « *Et ait rex : Interroga tu, cuius filius sit iste puer* ». v. 57 « *Cumque regressus esset David percusso Philisthaeo, tulit eum Abner, et introduxit coram Saule, caput Philisthaei habentem in manu* ». v. 58 « *Et ait ad eum Saul : De qua progenie es, o adolescens ? Dixitque David : Filius servi tui Isai Bethlehemitae ego sum* ». Iam describit s. auctor, quomodo post devictum Goliath

Saul in familiam Davidis, antea sibi penitus ignoti, inquisiverit eumque (aliquo interiecto tempore, cf. 16, 18 sqq.) sibi permanenter adiunxerit.

Superest iam, quae multos vexavit, discutienda quaestio, quomodo hoc capite narrata cum ultimi capitis narratione componenda sint. Ibi refertur Saul v. 21 dilexisse Davidem nimis suumque fecisse armigerum, hic v. 55 sqq. de eo tamquam de homine prorsus ignoto inquirit. Difficultatis solutiones omnes ad tres revocari possunt.—I. In cod. Vaticano et edit. graeca Sixtina desunt 17, 12-31 et 17, 55-18, 5, quibus demptis bonus adest contextus, omnisque difficultas tollitur. Nec est, cur illos tractus eliminare dubites. Nam, praeter Vulg., etiam LXX est versio authentica, quam sequi liceat. Et dari locos in Vulg. interpolatos, nemo sanae mentis negabit. Possunt ergo et illi loci pro interpolatis haberi. Neque dicas, eosdem inveniri in graeco Alex., cum ibi pateat, eorum locorum translationem ab alio esse auctore, quam eo, qui reliqua verterit (*Wellh.*). Neque tandem obiicias, eos locos in hebr. et in cunctis praeter LXX verss. haberi; hinc enim id solum efficitur, eam interpolationem post editam LXX, sed ante reliquas editas verss., locum obtinuisse. *Houb.*, *Wellh.* — II. Altera solutio integritatem quidem textus defendit, sed ordinem narrationis inter 16, 15-23 et cap. 17 inversum esse, et caedem Goliath, ante Davidis in regium psaltem electionem, locum habuisse affirmat; quam electionem aliquamdiu post Philisthaei caedem et ante 18, 2 collocat. Igitur, post devictum Goliath, David in domum paternam modeste primum se recepit, inde non ita multo post arcessitus, psaltis et armigeri officium suscepit (cf. 16, 19. 21 et 18, 2). Inversae autem narrationis ratio ea potuit esse, ut, post relatum Spiritus Dei in Davidem descensum, eiusdem a Saule recessus describeretur (cf. 16, 13 sq.). Argumenta pro illa inversione ex textu afferuntur haec. 16, 18 dicitur David « vir bellicosus », sed non ante congressum cum Goliath habitum vulgo innotuit eius animus bellicosus. Dein ex 17, 55-58 patet, Davidem Sauli, ante eum congressum, penitus fuisse ignotum. Difficultatem parit 17, 15. « Et David abiens reversus erat a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem » ; unde effici videtur, Davidem iam antea adhaesisse Sauli. Sed textus etiam sic reddi potest : « Et David ibat et redibat a Saul », modo in deserto gregem pascebat, modo patris monito obsequens in castra pergebat. *Sa, Malv.* — III. Tertia solutio ordinem narrationis inversum esse negat. Etenim scriptura nulla ratione directe significat, res diverso ab eventu ordine narrari. De Davidis animo bellicoso 16, 18 ex aliquo facto, nobis ignoto, constare potuit. Sed quomodo tum Sauli suus ipse armiger ignotus esse potuit? Afferuntur explicationes bene multae. Lux quaedam coelestis nativam oris speciem immutarat (*Pseudo-Philo,* de bibl. antiquitatibus). Longum effluxit tempus a sus-

cepto psaltis officio: nunc iuvenis iterum coram rege comparet, pastoris habitu, genis lanugine obsitis, procerior factus (*Lap., Calm., Sacy, Duguet, Menoch., Abul., Cai.*). Diabolica obsessio Saulis memoriam debilitaverat (*Theodoret., Procop., Dionys. Carthus., Lyr., Tirin.*). Sunt principes obliviosi, lamentantur *Malv., Mar., Gordon., Vatabl., Clar., Lap.; Hugo a S. Viet., Sanct.* affirmant, principes saepe suos famulos non novisse; *Vatabl.* causatur, non esse mirum, Saulem psaltem suum oblitum esse, cum is tam frequenter in domum paternam secederet. Iam, quod supra dicebatur, inter psaltis susceptum officium et adventum in castra longum effluxisse tempus, gratis assumitur, neque favet textus. Davidis species 16, 12 et 17, 42 identicis verbis describitur, ergo non videtur notabilis mutatio obtigisse. 17, 13 sqq., in hac sententia, eo videtur debere interpretari, ut David eo tempore a Saul discesserit, quando fratres bello se Philisthaico adiunxerint (cf. v. 16). Tandem ex 18, 10 effici videtur, Davidem fere quotidie apud regem psaltem egisse. — Ultima restat difficultatis compositio, Saulem 17, 55 non in personam David inquirere, sibi oppido notam, sed in eius originem, tum quod suam victori filiam nuptui tradendam promisisset, tum fortasse etiam, quod, invidia succensus, in Davide regni successorem suspicaretur (*Ephraem* I. 370, *Theodoret., Procop., Sanct., Est., Tirin., Mar.*, etc.). Tamen haec quoque solutio aliqua violentia laborat, ab auctoribus nonnisi dubitanter, ut plurimum, affertur. Sensus obvius certe is est, tam personam quam originem fuisse ignotam. Apud Iudaeos tanti fiebat origo, ut vix nomen nisi una cum origine in medium produceretur. In aula Saulis, ubi potiores partes fere omnes Beniaminitis obtigissent, qui Beniaminitae non erant, magis erant conspicui eorumque imprimis origo in comperto erat. Adde Davidem, quando psaltis officio fungebatur, assidue circa regem esse versatum.

Nostra solutio, quam iam Intr. n. 6 enuntiavimus, ea momenta, quae secundam et tertiam solutionem commendant, retinet, aliis omissis. Contra primam solutionem integritatem textus Vulg. tuetur; contra secundam inversionem in ipsum textum sacrum mendose irrepsisse negat. Admittit tamen cum eadem, ipsos eventus inverso, quo obtigerint, ordine narrari, inversique narrationis ordinis rationem reddit. Ex 1 Par. 29, 29 sc. cum universa libri Samuelis structura comparato efficitur, eum librum ex pluribus scriptis propheticis coaluisse. Eiusmodi scriptorum unum, Historia Saulis, cap. 16 absolvitur; alterum, Historia exilii David, cap. 17 incipit. Auctor prioris, praetermisso cum Goliath congressu, Davidis unctionem translatumque in ipsum a Saule spiritum divinum narravit, quod haec ad finem, quem ipse intendebat, abunde sufficerent, et narrationem reiecti a regno Saulis absolverent; ad quem finem non

fecisset narratio devicti Goliae. Auctori alterius scripti, Historiae David exulis, ostendendum erat, qua occasione primum Davidis fortitudo innotuerit, ipsique regis favorem atque in aula locum procuraverit, quibus postmodum regis invidia excidit ; non repetiit narrationem uncti Davidis, quod eam scripto antiquiore traditam iam esse nosset. Nathan tandem diversa illa scripta in unum collegit, quem Samuelis librum appellamus, eorum tamen exordia et conclusiones intacta reliquit, quo factum est, ut obiter legentibus pauca quaedam non satis inter se cohaerere viderentur.

Cap. XVIII. 1-3 cum 17,55-58 intime cohaerent illudque ostendunt, ob quod vel maxime certamen cum Golia a s. auctore relatum fuerat, Davidem aulae accitum et favore regis, Ionathae et populi fruitum esse. v. 1 « *Et factum est, cum complesset loqui ad Saul, anima Ionathae conglutinata est animae David, et dilexit eum Ionathas quasi animam suam* ». Colloquium non illis solis verbis constitit : Filius servi tui Isai Bethlehemitae ego sum. Interfuisse videtur Ionathas atque Davidem, cuius modo fortitudinem admiratus erat, nunc ob sapientiam quoque et morum comitatem dilexisse, Deo utique ita disponente. Expressio usurpatur tenerrimi affectus, qualis fuerat Iacob erga Beniamin Gen. 44,30, Sichem erga Dinam 34,3. v. 2 « *Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei, ut reverteretur in domum patris sui* ». Expressio *in die illa* est omnino vaga. Primum igitur reversus est David ad vitam pastoralem, dein, rege a spiritu malo exagitato, accersitus est psaltes (« tulit eum etc. »), atque inde constanter mansit apud Saul. Hinc intelligimus, Davidem, quando propositus est psaltes, iam non fuisse regi penitus ignotum ; item coniicere possumus, quis prae ceteris eius arcessendi auctor fuerit, sc. Ionathas. Idem prior foedus suggessit, unde etiam primus nominatur v. 3 secundum omnes, excepta *Vulg.* v. 3 « *Inierunt autem David et Ionathas foedus ; diligebat enim eum quasi animam suam* ». Foederis ritum describit v. 4 « *Nam exspoliavit se Ionathas tunica, qua erat indutus* » (cf. 2,19), « *et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum* ».

Cum *dedit* opponatur verbo *exspoliavit se* seu *exuit*, poteris vertere *et induit ea Davidem*. — Pro *et reliqua vestimenta sua* verte h. l. *et vestem suam militarem*. מדה vel בוד significat Ps. 132 (133), 2 vestem Aaronis, ergo certe vestem talarem ; Ps. 108 (109), 18 vestem totum corpus contegentem ; 1 Reg. 4, 12 vestem militarem, quae scinditur (cf. 2 Reg. 10,4) ergo non « arma », uti h. l. *Syr.* vertit ; 17,38 sq. rursus vestem militarem, supra quam quis gladio accingebatur ; etiam Iud. 3, 16 exceptione docemur, consuevisse gladium gestari *super* eam vestem. Ex his concludendum videtur, fuisse illam vestem aliquam tunica longiorem, quae super hanc et infra arma gestabatur ; eiusdem generis vestem longiorem videtur Goliath gestasse, cum eius lorica 17, 5 etiam videatur fuisse longior, quod ex pondere cum *Clair* coniici-

mus ; eiusmodi vestes et loricas longiores in monumentis Assyriorum depictas conspicis. — Vestimenta et arma eo ordine recensentur, non quo Ionathas ea exuit, sed quo David eadem induit. *Usque . . usque* gradationem exprimit : imo et gladium suum, et arcum suum, et balteum suum. Licet arma non essent tum ita rara in Israel uti 13,22, magno tamen pretio habebantur, unde specialis caritas ex eorum dono elucebat. Praeter signum amoris, videtur Ionathas id etiam intendisse, ut Davidi habitum regiae aulae convenientem provideret. Hinc etiam mox David bellatoribus, imo ducibus adnumeratus est.

v. 5 « *Egrediebatur quoque David ad omnia, quaecumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat* ». *Syr.* pro causa ponit effectum *et vincebat.* « *Posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul* », qui, cum ex tribu imprimis essent Beniamin 22, 7, non ita fortasse primum faverant iuveni de tribu Iuda.

B. Latentes Saulis insidiae 1 Reg. 18, 6-29.

Brevis haec ceteroquin pericope revertitur ad illam, quam in Historia Samuelis observabamus, paragraphorum seu stropharum divisionem, eamque valde artificiose exaratam. Describendum susceperat s. auctor inimicitiarum Saulis a levi displicentia usque ad consummatum odium progressum, ob intellectas cum Davidis eximias dotes, tum crescentem in dies populi favorem. Quae duo motiva auctor in clausulis paragraphorum continuo repetit. Et duae quidem sunt strophae, quarum prior 6-16 prima infensi animi tentamina describit, altera maturius consilium Davidis desiderio regiarum nuptiarum in perniciem agendi. Illa claudit verbis v. 16 « Omnis autem Israel et Iuda diligebat David etc. », haec verbis v. 28 « Michol autem, filia Saul, diligebat eum », quibus hominum favorem expressum habes. Prior rursum stropha tribus conficitur membris. Primum recolit ortarum inimicitiarum occasionem : « Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David etc. ». Secundum consilium refert effectu adhuc carens transfigendi Davidis : « Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset ». Tertium Davidem ostendit specioso praetextu ab aula semotum bellique periculis permissum : « Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et coepit cavere eum ». Similia verba, post absolutam alteram stropham, totam pericopen concludunt : « Et Saul magis coepit timere David, factusque est Saul inimicus David cunctis diebus ». Qua artificiosa repetitione, Saulis odium eiusque motiva perquam vivide illustrantur.

1) Insidiarum initia 1 Reg. 18, 6-16.

a. Ortarum inimicitiarum occasio 1 Reg. 18, 6-9.

v. 6 « *Porro cum reverteretur percusso Philisthaeo David, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis laetitiae et in sistris* ».

Praeter Vulg. omnes ita : *Porro in adventu eorum*, sc. Saulis et exercitus, *cum reverteretur David etc.* Aliqui (apud *Malv.*) genitivum *Philisthaei* intellexerunt generice, i. e. *Philisthaeorum* : sed cur ita ille reditus prae ceteris Davidi tribuatur, cum etiam reliqui Philisthaeorum caede occupati fuerint ? Ergo planius vox de Goliath intelligitur. Re utraque expositio coincidit, cum David non prius a caede Goliath se receperit domum, quam totum bellum esset absolutum, in quo multos etiam alios v. 7 ipse occidit. Hinc etiam patet longius hos omnes eventus occupasse tempus, cum prius David caeso Philisthaeo sit domum reversus, dein aliquanto post a rege psaltes accersitus, bellicis expeditionibus adhibitus et militari honore insignitus. Non absonum videtur, his omnibus aliquot assignare annos : secus, ne decenti quidem veri superlatione, potuisset David dici interemisse decem millia. — *Sistrum* שלוש videtur aut triangulum fuisse aut trichordium. *Hebr. in tympanis et laetitia et sistris*, ubi admirationem facit *laetitia* musicis instrumentis adnumerata. Quare *Then.* eam vocem cum *Syr.* et *Ios.* ultimo loco collocat ; *Fürst* putat nomen esse cuiusdam instrumenti, idemque videtur sensisse *Ios.* vertens « et in omni genere laetitiae ». Apposite *Wellh.* citat 1 Par. 13, 8 : « cum omni *virtute*, et canticis, et citharis, et psalteriis etc. » Ergo stare licet textui.

v. 7 « *Et praecinebant mulieres ludentes atque dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia* ». *Hebr. Alternantesque canebant mulieres ludentes.* Ex Ex. 15, 21 (cf. 15, 1) reapse probabilis fit coniectura *Clair*, versum hunc nostrum a mulieribus esse repetitum post singulas strophas epinicii cuiusdam ; vel, quod habet *Ios.*, prius hemistichium a nuptis, alterum ab innuptis esse decantatum. Per *mille* significari *multos*, per *miriadas* (*Hebr.*) vero *multo plures*, iam perspexere *Vatabl.*, *Sa*, *Menoch.* ; aliasque eiusmodi cantiunculas aliunde petitas comparationis gratia congessit *Malv.* *Mille* etiam alias indeterminate sumi pro magno numero, disce ex Iud. 15, 15 : « Inventamque maxillam arripiens, interfecit in ea mille viros ». רבבה primitus multitudinem, numerum valde magnum significat : Gen. 24, 60 ; Ps. 90 (91), 7 ; Lev. 26, 8 ; significatio *decem millia* (cf. Iud. 20, 10) non est nisi derivata. Mulieres certe hunc sensum intendebant : Percussit Saul plurimos, sed David longe plures. Cur tantum numerum Davidi tribuebant ? quod felicius Saule pugnaverit, quod rege violento ac suspicioso esset acceptior. v. 8 « *Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis eius ser-*

mo iste, dixitque : *Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt : quid ei superest, nisi solum regnum?* » Vix credibilem censet *Wellh.* motum irae tam subitum tamque vehementem : verum is in homine animi impote et a malo spiritu instigato intelligitur. Dein notandum, res nobis in hac narrationis parte indicari tantum per modum compendii : Davidis reditus domum post caesum Goliath reticetur, facinora bellica innuuntur solum ; multo minus omnes nobis cogitationes Saulis describuntur. Torquebatur is continuis suspicionibus, et ubique futuri regis umbram captabat. Vix dubium est, cum dudum eiusmodi suspicionibus in Davidem, cui omnes faverent, esse stimulatum : eae nunc tandem in apertas querelas proruperunt.

LXX omittit ultimum incisum et reliqua usque ad v. 13, habet tamen priora v. 12 verba. Sed *Ios.* legebat in suo LXX exemplari illud insisum, *Theodoret.* legebat v. 10. 11 et alteram v. 12 partem : ergo probabilius est, LXX primitus legisse, quod reliqui textus ad unum omnes legunt.

v. 9 « *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa et deinceps* ». Quae postea evenerunt, summatim recensentur ; v. 10 ad particulare quoddam factum redit. — עין explicat *Ges.*, ut sit denom. ab עין *oculus* ; ergo *sinistre aspiciebat* (*Vulg. Alex. Syr.*). *Chald. insidiabatur.*

b. Consilium effectu carens transfigendi Davidis 1 Reg. 18, 10-12.

v. 10 « *Post diem autem alteram* », i. e. die triumphalem ingressum consequente, « *invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat* » — recte *Chald. et insaniebat*, eadem voce שבו usus Ier. 23, 9 ad ebrietatis effectum exprimendum — « *in medio domus suae ; David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies* ». Tempus notabilius intercesserat inter illum ingressum et Goliae caedem : quare falso conqueritur *Then.* deesse tempus, quo v. 2 et 5 relata evenerint. Fuit tempus, quo arcessitum Davidem Saul diligeret, quo eo ad expeditiones bellicas uteretur ; tandem illum aversari coepit. Cf. *Himpel*, l. c. p. 88 sqq.

« *Tenebatque Saul lanceam* », v. 11 « *et misit eam, putans, quod configere posset David cum pariete* ; *et declinavit David a facie eius secundo* ». Verte : Et sustulit Saul lanceam, cogitans : Configam David cum pariete ; et declinavit David a facie eius bis. *Masor. Vulg. Syr.* punctant וַיַּטֵּל a טול *extendere, iacere* ; melius *LXX Chald.* וַיִּטֹּל a נטל *attollere.* Saul igitur videtur bis, sive eodem sive diversis diebus, contra Davidem insurrexisse ictumque attentasse ; sed fortasse cohibitus est ab aliis, saltem non dicitur lancea, sicut 19, 10, in pariete haesisse (*Clair*, *Himpel*). David

aut coram perseverabat aut, brevi intermissa mora, revertebatur, quod rem insaniae magis, quam infenso adscriberet animo. v. 12 « *Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset* ». Saepe insanum odium abiectus timor consequitur. Intime perceperat Saul, Dominum a se recessisse ; nunc, omnem Davidis motum invido scrutans oculo, coepit conscius fieri divinae assistentiae in illum translatae. Verba *eo quod etc.* notant *Masor.* in aliis codicibus deesse ; desunt in *LXX.* Cf. dicta ad v. 8.

c. David specioso praetextu ab aula remotus 1 Reg. 18, 13-15.

v. 13 « *Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille, et egrediebatur et intrabat in conspectu populi* », seu, uti v. 16 habetur, « ante eos », i. e. Israel et Iuda. *Egrediebatur et intrabat* aut sumitur ut ἓν διὰ δυοῖν : constanter versabatur ante eos, cf. Deut. 28, 6. 19 ; 31, 2 ; aut intelligitur de egressu ad pugnam et de reditu post partam victoriam (*Vatabl., Sa*). Populus favebat Davidi (cf. v. 16), vel quod eum constanter prae oculis haberet, vel quod eum iis temporibus aspiceret, quibus aut spe victoriae elatus egrederetur, aut triumpho parto reverteretur. Possunt etiam *populus* intelligi milites, quibus aliis temporibus aliis praeesset David, modo uni, modo alteri turmae : ante quos ille constanter gradiebatur, nulli se periculo vel labori subducens ; quod magnam duci apud milites gratiam conciliare consuevit. v. 14 « *In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat* » (cf. v. 5), « *et Dominus erat cum eo* » (cf. 16, 13 ; 18, 12. 28). v. 15 « *Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, et coepit cavere eum* ». *Hebr. verebatur eum.* v. 16 « *Omnis autem Israel et Iuda diligebat David ; ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos* ».

Putat *Then.* v. 13 et 14 repeti eadem facta, quae iam v. 5 narrabantur, narrationem ex variis centonibus esse consutam. Errat. v. 5 agit de actis David, dum adhuc comitatui Saul adnumeraretur, quibus actis sibi favorem conciliavit « etiam in conspectu famulorum Saul ». « Viri bellatores » v. 5 non sunt necessario iidem « mille viri », quibus v. 13 permanenti honore praeponitur. Prius ut armiger aulae adscriptus fuerat, necnisi quibusdam occasionibus ad bellicas expeditiones mittebatur : nunc chiliarchi munere fungebatur, necnisi hinc inde aulae se iungebat. Ita sane *Ios.* : « A priori armigeri munere semotum, quod ex formidine propinquior sibi et vicinior videretur, militum tribunum creat, dato quidem ei loco potiore, sibimet vero, uti putabat, tutiore ». v. 14-16, pro mutatis circumstantiis, ea affirmat perdurasse, quae iam v. 5. 12 fuerant narrata. Davidis prudentia etiam magis extollitur, addita voce *nimis*.

2) Insidiae praetextu nuptiarum regiarum 1 Reg. 18, 17-28.

v. 17 « *Dixitque Saul ad David : Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi uxorem* ». Cf. 14, 49. Promiserat Saul filiam 17, 25 ei, qui Goliath interemisset ; favore populari adactus, nunc tandem de implenda promissione cogitat. v. 17-19 desunt apud *LXX Ios.* et, secundum *Masor.*, in quibusdam ms. ; legebantur a *S. Ignatio*, *Orig.*, *Theodoret.*, *Procop.*, (*Verc.*). « *Tantummodo esto vir fortis, et praeliare bella Domini* ». Hac promissione obtinendarum nuptiarum inducendus sperabatur David, ut se incautius hostibus obiiceret et ita perimeretur. Voce *bella Domini* inflammandus et illiciendus erat pius Davidis animus (*Clair*). « *Saul autem reputabat, dicens : Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum* ». Cf. 2 Reg. 12, 9. Verba continent poenitentiam eius consilii, quo v. 11 studuerat Saul Davidem configere. Simul ostendunt eum etiam tum, quando sui plene compos erat, in cogitationibus invidiae et odii perseverasse. Vide viri exiguam fidem, qui simul Davidem aemulum a Deo regno destinatum suspicabatur, et tamen Philisthaeorum manibus interimi posse sperabat. v. 18 « *Ait autem David ad Saul : Quis ego sum, aut quae est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis ?* » David nuptiis regiis obiicit humilem originem, quae nulla regis liberalitate sanari queat. Prudentis haec potius responsio est, quam abiecte de propria conditione sentientis : quae enim Davidem inter pastorem regisque filiam, qui ipse pastor fuerat, tanta disparitas ! Oportebat tamen magnam oblati honoris aestimationem profiteri. Vel etiam David illum reapse declinare studebat, quod regis mentem aut divinaret aut haberet compertam : fortasse enim rex, quibus temporibus insaniebat, intima cordis consilia effutiebat.

Difficultatem habet מִי חַיַּי, *quis est vita mea*. *Wellh.* punctans חַיַּי, formam esse putat dialecti nescio cuius. Cur non aeque bene retineamus punctationem *Masor.* omniumque versionum חַיַּי *vita mea* ? At cum hac quomodo quadrat pronomen *quis*, quod nonnisi de personis usurpatur ? Insuper sequentia copula carent : *quis est vita mea cognationis patris mei*, quam tamen supplevere *Vulg. Syr.* Ergo per חַיַּי censendae sunt aliquae personae designari, quamvis is vocis sensus non sit usitatus. Verisimile igitur est, quod habet *Wellh.*, sequens *cognatio patris mei* esse glossam, explicandi חַיַּי causa adscriptam. In quem sensum etiam trahi potest *Vulg. aut.*

v. 19 «*Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob, filia Saul, David, data est Hadrieli Molathitae uxor* », qui 2 Reg. 21, 8 filius scribitur Berzellai, Molathithes dictus fortasse ab Abel Mehula tribus Issachar, haud longe a Bethsean et a Iordane sita, patria Elisaei prophetae : Iud. 7, 23 (22) ; 3 Reg. 4, 12 ; 19, 16. « Ferendum esset mitius, si debi-

tam negaret ; at oblatam auferre, dolor est et ignominia maxima », cf. Iud. 15 (*Sanct.*). Videtur Saul exspectasse, Davidem, desiderio earum nuptiarum abreptum, iam ante illas pugnas esse interiturum ; vel, qua erat ingenii inconstantia rex, prius consilium abdicavit. v. 20 « *Dilexit autem David Michol, filia Saul altera* ». Non e Davidis corde hic amor originem duxit, regis malae fidei haud ignari. « *Et nuntiatum est Saul, et placuit ei* ». v. 21 « *Dixitque* », i. e. cogitavit cf. v. 17, « *Saul : Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philisthinorum* ». Agitur proxime de promittenda uxore ; sed ubi David conditionem perdifficilem v. 27 implevit, non ausus est rex secundo promissa denegare.

« *Dixitque Saul ad David : In duabus rebus gener meus eris hodie* ». *Hebr. Secunda vice* (*Calm.*, et cf. Iob 33, 14 ; 2 Esdr. 13, 20) *generum te praebebis mihi hodie.* Prima vice praebuerat, quando se paratum professus est ad Merob ducendam. Verba desunt apud *LXX* et, secundum *Masor.*, in quibusdam ms. ; ergo in iisdem fontibus, ubi desiderantur v. 17-19, quibuscum re copulantur. Quidnam respondit David regi haec proponenti ? Aut nihil respondit, si id sine regis offensione fieri poterat, aut eadem fere, quae v. 18. Hinc iam rex coepit agere per alios *clam*, quasi propriam, non regis mentem loquerentur, quo citius Davidi *placeret* (v. 26) consilium. v. 22 « *Et mandavit Saul servis suis : Loquimini ad David clam me, dicentes : Ecce places regi, et omnes servi eius diligunt te. Nunc ergo esto gener regis* ». v. 23 « *Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba haec. Et ait David : Num parum videtur vobis, generum regis esse ? Ego autem sum vir pauper et tenuis* ». *Hebr.* bis eadem radice utitur : *Num parvi aestimatur a vobis etc. ? Ego autem sum vir pauper parvaeque aestimationis*, ergo par solis rebus parvae aestimationis perficiendis, et tenui doti afferendae. v. 24 « *Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes : Huiuscemodi verba locutus est David* ». v. 25 « *Dixit autem Saul : Sic loquimini ad David : Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum praeputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis* ». Praeputia afferenda erant argumentum totidem interemptorum hostium, uti alias praecisa capita. Falso autem tenet *Duguet*, requisita esse praeputia, ut certo constaret Philisthaeos, non Hebraeos, esse occisos : quamnam rationem potuit David habere mactandi Hebraeos ? Tantum numerum requirebat Saul, quo ferocius David Philisthaeos adoriretur, et ita eorum manibus interiret. « *Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum* ». v. 26 « *Cumque renuntiassent servi eius David verba, quae dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis* ». Non puto, quod habet *Clair*, Davidem Saulis dolum non perspexisse ; sed divini in servanda vita auxilii

securus erat ; non poterat non assentiri suggestioni regiae tam explicitae ; coniiciebat, hac vice haud fore in potestate Saulis, filiam ei denegare, qui insigni victoria rursus omnium in se animos convertisset. v. 27 « *Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris, qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, et attulit eorum praeputia, et annumeravit ea regi, ut esset gener eius. Dedit itaque Saul ei Michol, filiam suam, uxorem* ».

Discrepant numeri. Apud *LXX* Saul centum praeputia postulat, centum recipit ; apud *Syr.* ducenta postulat, ducenta recipit ; apud *Hebr. Vulg. Chald.* centum postulat, ducenta recipit ; *Ios.* ceteris audacior Davidem narrat, « caesis plurimis, sexcenta attulisse capita ». Notat *Wellh.*, ויבולאום *et explevit ea*, indicare, numerum qui allatus est, fuisse aequalem numero, qui petebatur ; ergo lectionem LXX esse praeferendam. At ea vox refertur ad numerum immediate praecedentem : attulit praeputia occisorum, totumque eorum numerum exsolvit regi ; ubi non definitur, fuerintne occisi centum aut ducenti.

v. 28 « *Et vidit Saul et intellexit, quod Dominus esset cum David* ». Non otiose haec verba repetuntur, cf. v. 12. 14. Hoc unum regis invidia penetrare studebat, quisnam ille esset, quocum esset Dominus, qui recessisset a se. Quidquid Davidi prospere cederet, confirmabat dudum conceptam suspicionem, cum Davide esse Deum, Davidem regno destinari. « *Michol autem, filia Saul, diligebat eum* ». Michol regem adegerat, ut hac vice staret promissis ; eadem mox 19, 11 sqq. Davidis vitam servavit. — Adverte in his benignam Dei providentiam. Abiecerat is quidem Saulem, eiusque posteritate regno exclusa, illud Davidi promiserat. Sed poterant adhuc res summo Saulis honore componi. Standum solummodo ei erat promisso, quo se futurorum ignarus obstrinxerat, filiam matrimonio dandi ei, qui devicisset Goliath. Tum ipse rex electus familiae adsciscebatur Saulis, sceptrum in alienum non transferebatur. Quam gratiam cum Saul prima vice in facto Merob repudiasset, oblata est ei eadem gratia secundo : exarsit Michol amore Davidis ; Ionathas, omnes servi regis, universus populus illud connubium expetierunt et impetraverunt. Sed ignoravit rex miserrimus gratiam sibi quadamtenus obtrusam.

v. 29 « *Et Saul magis coepit timere David* », nunc regis generum factum. Sequentia usque ad finem capitis desunt apud *LXX* et in quibusdam ms. hebr. « *Factusque est Saul inimicus David cunctis diebus* ». Hic versus veluti *clausula* est omnium inde a v. 6 narratorum.

C. Patens Saulis odium 1 Reg. 18, 30-20, 43.

Iam a latentibus insidiis in apertas inimicitias Saul prorumpit. Tres sub hoc capite veniunt articuli. Primum Saul ad necem Davidis suos adhortatur, reconciliatione per Ionathan effecta. Secundo ipse Saul Davidem quaerit interficiendum, in domo regia, in propria Davidis domo, tandem in ipso prophetarum coenobio ; ubi David servatur primum sua agilitate, inde uxoris sollicitudine, denique divini spiritus interventu. Concluditur totum caput reconciliatione Davidis cum Saule per Ionathan frustra quaesita.

1) Saul suos ad necem Davidis provocans 1 Reg. 18, 30-19, 7.

v. 30 « *Et egressi sunt principes Philisthinorum ; a principio autem egressionis eorum prudentius se gerebat David, quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen eius nimis* ». Verte : *quandocunque autem egrediebantur, prudentius etc.* ; hunc esse sensum locutionis, patet ex 3 Reg. 14, 28. Hoc versu Davidis prudentia magis etiam, quam id v. 5. 14. 15 factum fuerat, commendatur ex numero expeditionum, comparatione aliorum regis servorum, et gloria comparata. *Cap.* XIX v. 1 « *Locutus est autem Saul ad Ionathan, filium suum, et ad omnes servos suos* », post acceptum nuntium de rebus a Davide tam feliciter gestis, « *ut occiderent David* ». *Hebr. de occidendo David* ; non, ut ipsi occiderent, id enim Ionathae certe non dixit ; sed generatim, eum occidi oportere (*Keil*). *Sanct.* : « cum res fraudulentis tentata consiliis non procederet, in apertum erupit, quae latere diu non poterat invidia, et ex ea ortum odium implacabile ». Non potuit silere invidia, percrebrescente Davidis fama. « *Porro Ionathas, filius Saul, diligebat David valde* ». v. 2 « *Et indicavit Ionathas David, dicens : Quaerit Saul, pater meus, occidere te ; quapropter observa te, quaeso, mane, et manebis clam, et absconderis* ». *Mane*, i. e. *cras mane (LXX)* ; videtur Ionathas vespere convenisse Davidem ; fortasse etiam rex vespertino tempore insaniebat, matutino sapiebat. Abscondere, ut absens credaris, dum prope ades. v. 3 « *Ego autem egrediens stabo iuxta patrem meum in agro, ubicunque fueris* ». Describuntur loci frequenti usu familiares : Ego, egressus domo, stabo in agro, qui prope domum est, quem nosti, et tu eris ibi absconditus. Cur vero Davidi latendum erat in illo agro ? ut suis auribus regis verba audiret, inquit *Then.* ; melius secundum sequentia : quo expeditius Ionathas illum regis mentem edocere posset, nec diuturnior Ionathae absentia suspicionem crearet. « *Et ego loquar de te ad patrem meum, et quodcunque vi-*

dero, nuntiabo tibi ». *Hebr. et videbo, quid; et indicabo tibi;* ubi recte supplet *Syr. et videbo, quid in mente eius sit.* Norat Ionathan, ea nocte caedis propositum patris menti inesse, sed sperabat meliora consilia mane esse praevalitura. v. 4 « *Locutus est ergo Ionathas de David bona ad Saul, patrem suum, dixitque ad eum: Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et* » imo « *opera eius bona sunt tibi valde* ». Triplex pro Davide argumentum tangitur : quod sit servus, innocens, utilis ; ob quam triplicem rationem iniuria afficiendus non est. Iam eius utilitatem accuratius exponit v. 5 : « *Et posuit animam suam in manu sua* », periculum sponte subiit, vitam veluti manu gestans, ut eam, si opus esset, illico abdicare posset (cf. 28, 21 ; Iud. 12, 3), « *et percussit Philisthaeum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli* », quia Dominus erat cum eo (cf. 17, 37 ; 18, 12) : « *vidisti, et laetatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa?* » v. 6 « *Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionathae, iuravit: Vivit Dominus, quia non occidetur* ». Reliqui : *Et auscultatus est Saul voci Ionathae, et iuravit* ; ubi adverte assonantiam verborum וישבע, וישבע. Hinc et ex 14, 24 infert *Cler.*, fuisse Saulem ad iurandum proniorem : fuit utique, sed hac occasione sufficientem habuit rationem. Eo iuramento nihil sacrius esse poterat ad Davidem securum reddendum. v. 7 « *Vocavit itaque Ionathas David, et indicavit ei omnia verba haec; et introduxit Ionathas David ad Saul, et fuit ante eum, sicut fuerat heri et nudiustertius* ». Rursum receptus est in familiam Saulis, a qua 18, 13 fuerat amotus, rursus armigeri et psaltis munus recepit (cf. v. 9), non abdicato ducis officio (v. 8). Reconciliatio fuit sincera, sed ob regis animi inconstantiam effectu caruit (*Calm.*).

2) Saul Davidem interficiendum perquirens 1 Reg. 19, 7-24.

v. 8 « *Motum est autem rursum bellum, et egressus David pugnavit adversum Philisthiim, percussitque eos plaga magna, et fugerunt a facie eius* ». *Hebr.* potest etiam verti *incaluit autem bellum*, ut non de bello ab illo 18, 30 diverso agatur. Insignior haec prioribus victoria et acclamationes, quibus fortasse rediens David exceptus est, Saulis furorem redintegravit. v. 9 « *Et factus est spiritus Domini malus in Saul; sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam* », « dignitatis insigne (cf. 22, 6), sine quo non magis in publicum prodibat Saul, quam Pharaones sine securi, flagello et baculo, reges Assyriorum sine gladio et arcu » (*Weiss*) ; « *porro David psallebat manu sua* ». v. 10 « *Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul*

lancea autem casso vulnere perlata est in parietem », — minus ornate reliqui *et infixit lanceam parieti* — « *et David fugit, et salvatus est nocte illa* ». *LXX Ios.*, supplentes ויהי, verba *et factum est nocte illa* ad sequentia trahunt, satis apte ; secus dicendum est, voce *nocte illa* totam reliquam usque ad v. 12 narrationem anticipari. v. 11 « *Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane* ». Ideo fortasse *mane*, ut aliqua iudicii species adhiberetur (*Ios.*). David securus domum se receperat, ratus furorem regis, uti alias, paulatim esse remissurum. Latuit eum satellitum adventus, non latuit uxorem. « *Quod cum annuntiasset David Michol, uxor sua, dicens : Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris ;* » v. 12 « *deposuit eum per fenestram ; porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est* ». In cuius liberationis memoriam concinit David Ps. 58 (59). v. 13 « *Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, et operuit eam vestimentis* ». *Hebr. Teraphim*, i. e. idolum tutelare, cf. Gen. 31, 19 ; Iud. 17, 5.

Vox articulum habet, ergo designatur illud determinatum teraphim, quod in domo asservabatur ; videtur autem illud humani corporis, vel saltem faciei, formam esse imitatum. כביר, quod apud *LXX Ios.* corruptum legebatur כבד *iecur*, cum *Hier. Vatabl., Castelli* vertendum est *pulvinar*, quam significationem stabilit 4 Reg. 8, 15. Pro *vestimentis* verte *stragula*, cf. 1 Reg. 1, 1. Altera vox praefixum habet את, altera articulum : ergo designantur res, quibus lecti communiter instruebantur.

v. 14 « *Misit autem Saul apparitores, qui raperent David ; et responsum est, quod aegrotaret* ». v. 15 « *Rursumque misit Saul nuntios, ut viderent David, dicens : Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur* ». *Hebr. respondit* fem., sc. Michol. Teraphim positum fuerat, ut si quis intraret in cubiculum subobscurum, deciperetur. Satellites vel responso ad ianuam accepto abierunt ; vel, ingressi cubiculum lectumque obiter intuiti, verbis Michol crediderunt, maritum in lecto decumbere. Verum Saul gnarus favoris, quo apud omnes fruebatur David, suis ipse voluit oculis videre. v. 16 « *Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput eius* ». v. 17 « *Dixitque Saul ad Michol : Quare sic illusisti mihi, et dimisisti inimicum meum, ut fugeret ? Et respondit Michol ad Saul : Quia ipse locutus est mihi : Dimitte me, alioquin interficiam te* ». *Hebr. : Quare vis, ut interficiam te ?*

v. 18 « *David autem fugiens, salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia, quae fecerat sibi Saul* ». Prophetae consilium in rebus adversis exquirit, simul locum sanctum, tamquam tutum quoddam asylum, petit (*Malv.*). « *Et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Naioth* ». v. 19 « *Nuntiatum est autem Sauli a dicen-*

tibus : Ecce David in Naioth, in Ramatha ». v. 20 « *Misit ergo Saul lictores, ut raperent David. Qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, et prophetare coeperunt etiam ipsi* ».

Vocis Naioth incerta scriptio ; versiones non verterunt ; *Chald. domus doctrinae* scripsit i. e. synagogam ; derivatum a נוה *habitare*, designat habitationem, coenobium prophetarum. Ibi erat eorum *conventus* seu *ecclesia*, קהלת, uti recte legunt *LXX Chald. Syr. Aq. Symm. Theod.*, contra *Hebr. Vulg.* להקת, *cuneum*. Samuel *stabat praepositus super eos (Hebr.)* ; quem vocis נצב sensum colligas ex 3 Reg. 4, 5. 7. — Cf. tamen etiam 1 Reg. 22, 9.

v. 21 « *Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios ; prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios ; qui et ipsi prophetaverunt. (Et iratus iracundia Saul)* », — hoc incisum ex *LXX* in *Vulg.* penetravit *(Verc.)* — v. 22 « *abiit etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam, quae est in Socho, et interrogavit et dixit : In quo loco sunt Samuel et David ? Dictumque est ei : Ecce in Naioth sunt, in Ramatha* ».

Traditio servavit accuratam descriptionem loci 10, 5, ubi primum inventus est Saul inter prophetas ; servavit accuratam item descriptionem loci, ubi ultimum inter illos versatus est. Socho, locus ignotus ; ceterum *LXX* legebant Sephi, *Syr.* Sopha, et ex comparatione Gen. 36, 23 cum 1 Par. 1, 40 patet, formas Sephi et Sopha facile permutari. Pro בור הגדול *cisternam magnam* legebant *LXX* בור הגרן *cisternam areae*, quae lectio erit praeferenda (*Wellh.*), supposito priorem vocem hebr. reapse primitus caruisse articulo, indeque legi in statu constructo : nam status constructus non ponitur ante adiectivum, sed ante nomen dependens.

v. 23 « *Et abiit in Naioth in Ramatha, et factus est etiam super eum spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat, usque dum veniret in Naioth in Ramatha* ». v. 24 « *Et exspoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum ceteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte. Unde et exivit proverbium : Num et Saul inter prophetas ?* » Proverbium tum non primum formatum est, cf. 10, 12, sed confirmatum. Tamen, cum primum eo homines tantum expresserant admirationem, quod tam obscurus homo Saul prophetis accessisset, nunc exprimebant admirationem, quod rex prophetis infensior et quandoque spiritus mali influxibus subiectus divinum quid pateretur.

Saul gradatim hostilem animum manifestaverat ; ab invidia processerat ad odium, ab odio ad violentiam ; increscente infenso animo, constanter inclaruerat cognitio, Deum esse cum Davide eumque regno destinari. Nunc tandem Saul in patentes prorumpit inimicitias, ne Samuelis quidem aspectum et prophetarum veritus asylum : ast nunc quoque Deus miraculo demonstrat, se esse cum Davide, nihilque in illum Saulem valere. Simul, cuius regia electio fuerat inaugurata 10, 10 pro-

phetica ecstasi, eius nunc reprobatio altera eiusmodi ecstasi publice confirmatur. — *Sanct.* : « Mutavit illum spiritus Domini, i. e. pulsus quidam et mens nova inspirata divinitus, quae priorem regi cogitationem excussit, quae illum insano furore correptum in Davidis exitium praecipitem agebat. Et, quasi eo consilio in Ramatha ad Samuelem prophetarumque collegium venisset, ut laudaret Deum hymnosque sacros in illorum conventu rite concineret, sic, puto, a divino spiritu in eo tantum articulo mutatus, Samuelis atque Davidis immemor, illa cantando recitabat carmina, quae nunquam didicisset, imo quae neque ipse animadverteret, cum illam carminibus sacris operam daret, neque cum ad se rediit, quidquam eius a se fuisse tentatum recordaretur ».

Hebr. ingrediebatur ingrediens atque prophetans, constructio usitata ad intensitatem actionis exprimendam. — *Exspoliavit se*, ergo etiam, quidquid ad ornatum regium pertinebat, deposuit (*Ps. Hier.*). Universim igitur prophetae, dum conferti prophetabant, superiores vestes deponebant. — *Cecidit* : audacius *Keil* inde, quod in hoc inciso non scribatur, *etiam ipse*, infert reliquos non cecidisse, prophetarum et satellitum ecstasin brevius durasse ecstasi ipsius Saulis. Quid ipsis contigerit, non edocemur.

3) Reconciliatio tentata sed repudiata 1 Reg. 20, 1-43.

Cap. XX v. 1 « *Fugit autem David de Naioth, quae est in Ramatha, veniensque locutus est coram Ionatha : Quid feci ? quae est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quaerit animam meam ?*» Reliqui *coram patre tuo*, sc. tamquam iudice. Verba sunt innocentis, qui causam iniuriae examinari postulat, ubi nullam esse posse causam scit, nisi forte erroneam, quam explicari indeque dilui percupit. Fugit fortasse, dum adhuc Saul ibidem prophetico spiritu agitabatur. Ex eo, quod eius fuga et adventus simul a s. auctore narrentur, non sequitur simul locum habuisse. Potuit David, Rama egressus, aliquamdiu latere ; interea potuit perquisitio ipsius subsidere, sive quod Saul divino interventu 19, 20 sqq. esset perterritus, sive quod frustra Davidem perquiri intelligeret, sive quod furor quieverit, sive quod subditi invisum opus segniter exsequerentur. Hinc potuit Davidi animus addi, ut propius ad aulam accederet, et Ionatham ex condicto conveniret. Convenit autem inermis 21, 8, fortasse etiam habitu ementito. Saulem aliquamdiu aliqua Samuelis admonitione, ei in Naioth data, esse cohibitum (*Clair*), minus probabile videtur ex 15, 35.

Pulchre *Beda*, ad illa verba v. 28 « Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem », exponit, quomodo David de reditu ad Saul cogitare potuerit : « Mirum quidem videtur iuxta literam, cur hoc modo de David vel Saul cogitare et interrogare, vel Ionathan respondere voluerit ; cum manifestissima praecesserit causa regii livoris, qua non frustra David suae saluti, imo etiam vitae consulere debuerit.

Nisi forte putandus est Saul crebro se invadente daemonio multa fecisse vel dixisse, quae more energumenorum nec praemeditari prius, nec post reminisci valuerit ; inter quae haec quoque in David furentis potius quam audientis animo gesta credi debere. Cui etiam sensui videtur adstipulari scriptura, quae, absente a mensa Saulis David, non praemissam iniuriam retractasse Saulem, sed tantum cogitasse dicit, ne forte esset pollutus, vel nocturno videlicet somno, vel coitu, vel aliquo rei funebris vel sordidantis attactu, quo a mundorum iuxta legis edictum arceretur convictu ».

v. 2 « *Qui dixit ei : Absit, non morieris* ». Id infert Ionathan exinde, quod pater, qui omnis se consilii participem faciat, eiusmodi sibi consilium non manifestaverit. Neque assertionis veritati obstat 19, 1, ubi Saul coram Ionatha consilium interimendi David aperuerat ; illud enim erat consilium, longiori tempore ante et stimulante furore expressum, solemnique v. 5 iuramento abdicatum. « *Neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi. Hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo ? Nequaquam erit istud* », i. e. non morieris ; vel *non ita,* i. e. non celabit me sermonem istum. Non consuevit celare, nulla est specialis ratio huius rei celandae ; verum obcaecat Ionatham amor, secus perspiceret, quantam habeat pater rationem huius praecise consilii celandi. v. 3 « *Et iuravit rursum Davidi. Et ille ait : Scit profecto pater tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicet : Nesciat hoc Ionathas, ne forte tristetur. Quinimo vivit Dominus et vivit anima tua, quia uno tantum, ut ita dicam, gradu ego morsque dividimur* ».

Hebr. Chald. ויּשׁבע עוד דוד, *et iuravit rursum David*, contra quam lectionem merito obiicit *Then.*, Davidem nondum prima vice iurasse. *LXX* ויּשׁב דוד ליהונתן, *et respondit David Ionathae* ; sed lectio nimium a reliquis discrepat. *Syr.* ויּשׁבע לי דוד, *et iuravit ipsi David,* sc. per sequentia verba *vivit Dominus etc.* Omnibus perpensis, lectio *Vulg.* praeplacet ויּשׁבע עוד לדוד, nam pro ל tres prostant versiones, et pro עוד item tres. — *Hebr. Minime*, sc. res habet vel eveniet, uti tu putas ; sed *vivit Dominus etc.* — *Uno tantum* recte supplent *Vulg. Chald. Syr.*

v. 4 « *Et ait Ionathas ad David : Quodcunque dixerit mihi anima tua, faciam tibi* ». v. 5 « *Dixit autem David ad Ionathan : Ecce calendae sunt crastino, et ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum : dimitte ergo me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiae* », i. e. secundae diei festi, quae tertia est a numerata die qua David cum Ionatha colloquitur, cf. v. 18. 19. — *Calendae* seu neomenia, initium mensis (Num. 10, 10 ; 28, 11), ex Num. 28, 11 celebrandae erant sacrificiis et consequenter epulis sacrificalibus, constanterque a Iudaeis celebratae sunt : 2 Par. 2, 4 ; Ps. 80 (81), 4 ; Is. 1, 13 sq. ; Am. 8, 5 ; Ez. 45, 17 ; 46, 3 ; Os. 2, 11 (13) ; 1 Mach. 10, 34 ; Coloss. 2, 16. Occasione earum festivitatum assueverat Saul principes secum congregare, et fortasse etiam cum ipsis

de re publica deliberare. *Ego sedens sedebo*, sc. si res de more cedat, nisi tu mihi nunc veniam concedas, ne adsim. Hic sensus versionibus exprimitur, neque necesse est cum *Wellh.* secundum *LXX* textum corrigere *et ego non sedebo*. Textus non affirmat, Davidem solis calendis iuxta regem sedisse, sed tum tanto certius exspectabatur, quod convivio abesse non poterat, nisi praevio sacrificio etiam abfuisset. Quare praetextus, quem v. 6 suggerit, non est aliquod negotium saeculare, sed praetextus religionis, qui sufficientem praebeat excusationem absentiae a sacrificio. — Verba *dimitte ergo me Then.* iudicat esse merae urbanitatis.

v. 6 « *Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei : Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem, civitatem suam, quia victimae solemnes ibi sunt universis contribulibus suis* ». Sacrificium *solemne* seu *dierum* esse sacrificium *annuum*, ostendimus ad 1, 3. 20 sq. Haec sacrificia pridem fiebant apud arcam 1, 21, aliquando Deut. 12 in templo peragenda : dum arca a propria statione exulabat, videntur facta esse in loco, ubi cognatio residebat. Davidem eiusmodi sacrificium mendaciter finxisse, gratuito supponit *Keil* : potuit quippe revera eiusmodi aliquod sacrificium eo ipso tempore offerri (*Est., Calm.*). v. 7 « *Si dixerit : Bene, pax erit servo tuo* ». Ergo non erat prorsus inusitatum, talis familiaris celebritatis causa a regio convivio abesse. « *Si autem fuerit iratus, scito, quia completa est malitia eius* », *Hebr. malum ab ipso processurum.* Completum, i. e. *decretum est* (*Arabs*) irrevocabiliter. v. 8 « *Fac ergo misericordiam in servum tuum* », indicans mihi foris latenti periculum : « *quia foedus Domini* », Domini nomine consecratum (*Lap.*), « *me famulum tuum tecum inire fecisti* » ; quare ad eam misericordiam mihi praestandam ex fidelitate obligaris. « *Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, et ad patrem tuum ne introducas me* ». Si reus inveniar, solutus es obligatione ; sed malo tua manu, quam furentis genitoris mortem obire. *Hebr. Et usque ad patrem tuum quare duxeris me* ? v. 9 « *Et ait Ionathas : Absit hoc a te* », ut a me vel occidaris, vel patri tradaris ; tua quippe mihi innocentia indubia est ; « *neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi* ».

כי *Vulg.* interpretata est causale : *neque enim fieri potest ;* constructio est possibilis, sed minus obvia. Melius adversativum : « sed, si certe cognovero decretum esse malum de patre meo profecturum in te, neque indicavero tibi » — Ellipsis est scripturae familiaris ; supple : « haec et haec faciat mihi Deus » *(Keil).* Textu leviter alterato *Syr.* hanc obtinuit apodosin : *veniam ad te, et indicabo tibi.*

v. 10 « *Responditque David ad Ionathan : Quis renuntiabit mihi, si*

quid forte responderit tibi pater tuus dure de me ?» אוּ versiones unanimiter verterunt *si forte, an forte*. Promiserat Ionathan, se nuntiaturum esse Davidi : id praestare poterat vel immediate per se, vel mediate per nuntium. Nunc personam nuntiaturi exquirit David, ne pateat deceptioni. Responsum dat Ionathan v. 22. v. 11 « *Et ait Ionathas ad David : Veni, et egrediamur foras in agrum* ». In domo videntur primum collocuti esse ; nunc Ionathas, Deum iuramento appellaturus, in apertum prodit (*Ios.*). Minus placet *Vatabl.* : « Hoc dicit, ut familiarius colloquantur » ; fuerant enim iam ante ab omnium conspectu remoti. Responsioni ad petitum praemittit foederis pridem initi renovationem. « *Cumque exissent ambo in agrum* », v. 12 « *ait Ionathas ad David : Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, et aliquid boni fuerit super David, et non statim misero ad te, et notum tibi fecero* », v. 13 « *haec faciat Dominus Ionathae, et haec addat* »: haec iterum iterumque infligat mihi. « *Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, et dimittam te, ut vadas in pace, et sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo* ». *Ps. Hier.* : « Sublime faciat regnum tuum, sicut sublime fecit patris mei regnum ». Hic primum Ionathas clare pronuntiat, se Davidem futurum regem agnoscere, et qua tali illi adhaerere. Cf. 16, 13 sq. ; 18, 12. 14. 28. Quod Saul invidiose formidat, regnum divinitus Davidi tribuendum, id Ionathas sponte acceptat.

מחר השלשית non est *cras hora tertia (Syr.)*, sed *mane tertiae diei*, i. e. *perendie mane*. Quod usque perendie mane investigatur, utique *crastino vel perendie (Vulg.)* investigatur. — *Si autem placuerit patri meo malum (Hebr.)* : est lusus verborum inter יוטב אל אבי et praecedens טוב אל דוד. Verbotenus *quod attinet malum*, ad quam constructionem cf. 2 Reg. 11, 25 et *Ew.* § 277 d.

v. 14 « *Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini* », cf. 2 Reg. 9. 3, « quali Dominus uti consuevit erga homines » (*Sacy*), vel simpliciter : misericordiam magnam. Non enim exiguum quid sibi petebat Ionathas, idemque v. 15 domui suae, si attendas morem Orientis, quo novus rex depulsi praedecessoris familiam radicitus interimeret. Idem sibi postulat Saul 24, 21 sqq. « *Si vero mortuus fuero* », v. 15 « *non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra. (Auferat Ionathan de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David* »). Hoc incisum ex *LXX* in *Vulg.* penetravit (*Verc.*) ; non es nisi altera v. 16 versio, eo praeferenda, quod verbum optativo, non praeterito vertat, ipsum tamen verbi sensum non expressit. v. 16 « *Pepigit ergo Ionathas foedus cum domo David, et requisivit Dominus de manu*

inimicorum David ». Confusionem parit vox לא multoties repetita, neque semper eodem sensu. v. 14 omisere *Vulg. LXX* primum et secundum לא, v. 15 omisit *Vulg.* secundum, dum illud *LXX* vertebat *et si non*, ita tamen, ut in constructione prorsus abundet. Veritatem vidit *Syr.*, primum לא v. 14 punctans לֻא *utinam*. Praeterea *Vulg. LXX* in fine v. 14 legebant vel suppleverunt particulam conditionalem : *si mortuus fuero*. Secundum haec planius, fidelius et vividius reddi potest Hebr. : *Et utinam, si vixero ego, utinam facturus sis mecum misericordiam Domini ; et utinam, si mortuus fuero, non auferas misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum ; et utinam, quando feriet Dominus inimicos David, unumquemque de terra, feriat Ionathas foedus cum domo David, et ultionem requirat Dominus de manu inimicorum David.* Vel omissa particula conditionali, quam *Vulg. LXX* fortasse non legerunt sed suppleverunt, et servata divisione *Masor.*, ita vertere licet : Et utinam, si vixero ego, utinam facturus sis mecum misericordiam Domini, et non moriar ; et non auferas etc. Sensus planus est : Ionathas, v. 13 Davidi regnum apprecatus, sibi suaeque domui deprecatur regis futuri misericordiam, concluditque generali contra eiusdem inimicos imprecatione.

Est lusus verborum inter *ferire foedus* et *ferire* (*eradicare*) *inimicos*. — בקש de *ultione* requirenda cum *Chald. Arab.* intelligit *Castelli* ; item *Arabs* ad Ios. 22, 23. — Sequenti versu, sive cum *Masor.* legas הַשְּׁבִיעַ, sive cum *LXX* הִשָּׁבַע, sensus omnino esse debet, Ionatham iurasse Davidi respectu eorum, quae salutem Davidis spectabant, non exegisse ab illo iuramentum respectu suae et posteritatis salutis ; secus non posset illud iuramentum dici profectum esse ex magno Ionathae in Davidem amore.

v. 17 « *Et addidit Ionathas deierare David, eo quod diligeret illum ; sicut enim animam suam, ita diligebat illum* ». Iam sequentes versus continent id, quod Ionathan iterato iuramento Davidi promisit. v. 18 « *Dixitque ad eum Ionathas : Cras calendae sunt, et requireris* » ; v. 19 « *requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus* », — potius verte : Erit enim sedes tua vacua ; et perendie magis etiam requireris — « *et venies in locum, ubi celandus es in die, qua operari licet,* » — verte : ubi celatus fueris cras — « *et sedebis iuxta lapidem, cui nomen est Ezel* ».

יפקד recte vertit *vacua erit Chald.* h. l. et v. 25. 27, *Vulg.* v. 25. 27, *Arabs* v. 25. Pro תרד (*Masor.*, *Vulg. descendes*) reliqui verius legebant תפקד *requireris* ; sensum versus perspexerunt *Chald. Syr.* — *Venies*, sc. tertia die seu perendie. — המעשה vertunt *dies, qua operari licet*, ergo dies feriatus. Sed num alia latibula frequentabat David diebus feriatis, alia diebus festis ? Simplicitate sua se commendat lectio *Syr.* המהרה *cras*. Ergo perendie eodem in loco latebis, ubi latueris cras. Cur

ita ? Ut, si forte ipsa neomenia Ionathas discat patris mentem, eo ipso die possit Davidi nuntiare. — *Sedebis iuxta lapidem Ezel.* Certe אזל cum *Hebr. Vulg.* legebat *Chald.*, vertens אתא. Unde, cum utraque radix significet *ire*, non improbabilis est explicatio *Lyr.*, *Vatabl.* et aliorum, designari *lapidem viatorium*, qui ad viam indicandam esset erectus. Sed *LXX Syr.* pro אזל legebant לאד *ille*, iuxta lapidem illum. Ionathas utique lapidem accuratius descripserat, sed s. auctor, omissa descriptione, indeterminata formula utitur. — Rursum pro אבן *lapis* legebant *LXX* ארגב *acervus*, sed obstat v. 20 suffixum fem. צדה, cum ארגב sit masc., cf. 4 Reg. 15, 25.

v. 20 « *Et ego tres sagittas mittam iuxta eum, et iaciam quasi exercens me ad signum* ». Obiiciunt, pauciores tribus postea Ionatham misisse sagittas : v. 36 duae saltem recensentur sagittae, tertia iacta esse non negatur, sed id solum, quod ibi necessario narrandum erat, exprimitur. v. 21 « *Mittam quoque et puerum, dicens ei : Vade, et affer mihi sagittas* ». v. 22 « *Si dixero puero : Ecce sagittae intra te sunt, tolle eas ; tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero : Ecce sagittae ultra te sunt ; vade in pace, quia dimisit te Dominus* » ; ipse te iubet recedere. Cum *LXX* lege : *Ecce sagitta intra te est*, i. e. ex hac parte tui, proprior mihi, nam suffixum est sing. ; ex הצי ממך facile oriri potuit הציך ממך.

v. 23 « *De verbo autem, quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum* », tamquam vindex, non secreti servandi (*Arabs*), sed promissionis implendae (*Malv.*). Cf. Gen. 31, 48 sqq. v. 24 « *Absconditus est ergo David in agro, et venerunt calendae, et sedit rex ad comedendum panem* ». V. 25 « *Cumque sedisset rex super cathedram suam, secundum consuetudinem, quae erat iuxta parietem, surrexit Ionathas, et sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David* ». Lege : Et Ionathas sedit ex adverso. Ionatham ex adverso regis consedisse, evidens fit etiam inde, quod Saul illico quaestionem v. 27 ad Ionatham dirigit, et quod v. 33 lanceam in eum iacere nititur. Abner, princeps militiae, utique dexterae regis assidebat, sinistra Davidi reservata.

LXX pro ויקם *surrexit* legebant ויקדם, quod de omni genere motionis ex adverso seu coram aliquo usurpatur : cf. Ps. 16 (17), 13 ; 88 (89), 15. Ipsi perperam verterunt προέξθασε, vertendum *sedit ex adverso*. ויקדם primum defiguratum est in ויקום, hoc scriptione defectiva evasit ויקם. Recte notat *Wellh.*, id narratione exprimi, omnia consueta ratione peracta esse, quo facilius adverteretur illud unum, quod insuetum erat, absentia David ; ergo exprimitur, Ionatham consueto loco *consedisse*.

v. 26 « *Et non est locutus Saul quidquam in die illa ; cogitabat enim, quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus* ». Lev. 7, 20 : « Anima polluta, quae ederit de carnibus hostiae pacificorum,

quae oblata est Domino, peribit de populis suis ». *Sanct.* : « Cum maculae, quae a sacra mensa removent, plurimae sint, ab illarum aliqua putabat Saul Davidem esse pollutum ». v. 27 « *Cumque illuxisset dies secunda post calendas* », i. e. dies secunda calendarum, cf. dicenda ad v. 35, « *rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Ionathan, filium suum : Cur non venit filius Isai nec heri nec hodie ad vescendum?* » v. 28 « *Respondit que Ionathas Sauli : Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem, et ait* » : v. 29 « *Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me* », *Hebr. ipse frater meus*, sc. natu maximus. « *Nunc ergo, si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis* ». v. 30 « *Iratus autem Saul adversum Ionathan, dixit ei : Fili mulieris virum ultro rapientis, numquid ignoro, quia diligis* » — *Hebr. praefers*, sc. mihi ; *LXX coniunctus es*, legens חבר pro בחר — « *filium Isai in confusionem tuam, et in confusionem ignominiosae matris tuae?* » Ratio, cur Saul propriae uxori convicietur, neque ex textu neque aliunde ulla apparet. Quod *Vulg. LXX* verba ad Ionathae matrem retulerint, non inde factum est, quod pro נעות legerint נערת (*Wellh.*), sed quod genus fem. pro abstracto poni non animadverterint. Verte : fili perversitatis pertinaciae, i. e. pertinaciae in perversitatem degenerantis ; *Duguet* « fili perverse et pervicax ». Quam expositionem novit *Malv.*, et *Calm.* : « Cave tamen », inquit, « hoc accipias a Saule dictum de matre Ionathae ». Ultima verba verbotenus sonant : *et in confusionem nuditatis matris tuae*, quae est utique supremum genus confusionis. Tibi aliquando amor David erit confusioni, et etiam matri tuae, ex cuius utero prodiisti. Etiam haec verba non matri probrum inferunt, sed filio. v. 31 « *Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, et adduc eum ad me, quia filius mortis est* », quia ipsi moriendum est. Adverte, quam deliberate Saul nece Davidis divinum decretum de conferendo illi regno subvertere studeat. v. 32 « *Respondens autem Ionathas Sauli, patri suo, ait : Quare morietur? quid fecit?* » v. 33 « *Et arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum* », ipsum primogenitum interempturus, ut thronum suae domui conservaret. « *Et intellexit Ionathas, quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David* ». v. 34 « *Surrexit ergo Ionathas a mensa in ira furoris, et non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus* », opprobrio eum affecisset. Aegrius fert Ionathan iniuriam Davidi, quam sibi illatam (*Clair*). v. 35 « *Cumque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum David* », — quod placitum *Chald.* intelligit de tempore ; melius *Vulg. LXX* indeterminate — « *et puer parvulus*

cum eo » ; qui non ita facile, quid ageretur, suspicaretur. Hoc *mane* fuit alterius post calendas diei, nam ipsae calendae v. 24 et dies secunda calendarum v. 27, seu prima post calendas, iam effluxerant ; vespere secundae diei secundo Saul accubuerat, ergo nunc iam mane tertiae diei agebatur. Quomodo id quadrat cum v. 18 sq., ubi de solis duabus diebus sermo est? Eo loco affirmatur, non prima post calendas die Ionatham Davidi nuntium esse allaturum, sed ea die et ipsis calendis Davidis absentiam fore conspicuam ; monetur iis elapsis diebus David v. 19 ad locum condictum venire. v. 36 « *Et ait ad puerum suum : Vade, et affer mihi sagittas, quas ego iacio. Cumque puer cucurrisset, iecit aliam sagittam trans puerum* ».

Recte *aliam* supplevit *Vulg.*, duas enim saltem misit Ionathas sagittas. Dum primam iaciebat, adstabat puer locumque notabat ; dum curreret ad locum, alteram misit Ionathas, de qua vere dici poterat : *Est sagitta longius istinc (Hebr.)*. Exivit autem cum puero Ionathas, ne solus exiens suspicionem attraheret : secus potuisset recta solus Davidem adire.

v. 37 « *Venit itaque puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas ; et clamavit Ionathas post tergum pueri et ait : Ecce, ibi est sagitta porro ultra te* », longius istinc. v. 38 « *Clamavitque iterum Ionathas post tergum pueri, dicens : Festina velociter, ne steteris* » ; ne puer prope latentem David advertere posset ; vel quod impatientia consumeretur Ionathas conveniendi Davidis. « *Collegit autem puer Ionathae sagittas, et attulit ad dominum suum* ». Pluralem *sagittas* habent *Keri* et versiones omnes. v. 39 « *Et quid ageretur, penitus ignorabat ; tantummodo enim Ionathas et David rem noverant* ». v. 40 « *Dedit ergo Ionathas arma sua puero, et dixit ei : Vade, et defer in civitatem* ». v. 41 « *Cumque abiisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad austrum, et cadens pronus in terram, adoravit tertio* », vel potius *ter* ; « *et osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius* ».

Hebr. surrexit de iuxta austrum נגב, quod fortasse ortum duxit ex ארגב *acervus* (*LXX*). *Chald. Syr.*, uti v. 19, *de iuxta lapidem*. — *Autem : Vulg. Syr.* legebant אך, sed *Hebr. Chald. LXX* עד *donec*. הגדיל *magnum* seu *multum fecit* ; ita etiam *Chald. Syr.* אכגי. Sed quid multum fecit ? *Vulg.* : flctum, flevit abundantius. Cur non tempus ? *donec Davidi sero fieret*. — *LXX* ἕως συντελείας μεγάλης, unde ortum sit nescimus.

V. 42 « *Dixit ergo Ionathas ad David : Vade in pace* », cf. v. 22. Haec verba, quae sunt colloquii ultima, confirmant explicationem modo datam, *donec*. « *Quaecunque iuravimus ambo in nomine Domini, dicentes : Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum, usque in sempiternum* » — supple : rata sint, vel « eorum me-

mento » (*Sa*). Ellipsis Hebraeis familiaris, unde non oportet cum *Wellh.* expungere *dicentes* : « quoad ea, quae iuravimus, Dominus sit inter me et te ». v. 43 « *Et surrexit David, et abiit; sed et Ionathas ingressus est civitatem* ».

pars II. David fugitivus in terra Iuda 1 Reg. 21-26.

Haec pars tria membra complectitur. Primum (21,1-22,23) ostendit, quomodo David, per diversa loca vagatus, tandem monitu prophetae Gad Iudaeam repetit ; colligitur circa illum manus fortium, accedit pontifex. Alterum (23,1-13) in liberatione Ceilae exhibet Davidem vel exulem salutis Iudaeorum sollicitum. Tertium (23,14-26,25) miram ostendit Dei circa Davidem providentiam.

1) David huc illuc incertus vagans 1 Reg. 21,1-22, 23.

Arg. — David fugitivus Noben venit et ab Achimelech pontifice, quaesito praetextu, panes accipit et gladium. Inde confugit in Geth ; sed, eam civitatem minus tutam sibi reputans, in spelunca Odollam primos sibi socios adiungit. E Moabitide in Iudaeam a propheta redire iussus, in saltu Haret delitescit ; pontifex vero ob praestitam Davidi opem cum octoginta quatuor sacerdotibus iussu Saulis trucidatur ; cuius filius Abiathar a Davide benigne excipitur.

Cap. XXI v. 1 « *Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem, et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David, et dixit ei : Quare tu solus, et nullus est tecum ?* » Ex 22, 11. 19 ; Is. 10, 31 (32) nomen civitatis est *Nob*, dempto ה locali ; erat ea tribus Beniamin, prope Anathoth (2 Esdr. 11, 32), et quidem meridiem versus, haud procul Ierusalem ; inter civitates sacerdotales pridem Ios. 21 non recensebatur. De Achimelech dicemus ad 22, 9. — *Obstupuit :* חרד usurpatur de affectu modo vehementiore 28, 5 ; Iob 37, 1, modo pacatiore 4 Reg. 4, 13. Obstupuit, quod David solus adventaret : tantus quippe erat vir, ut iam non sine comitatu in publicum prodire consueverit. Noverat praeterea fortasse pontifex regis in Davidem invidiam, ideoque hunc profugum esse suspicabatur ; tum vero aderat timoris ratio, cum neque Davidem praesentem, neque regem absentem offendere luberet. v. 2 « *Et ait David ad Achimelech sacerdotem : Rex praecepit mihi sermonem* », i. e. rem aliquam, « *et dixit : Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cuiusmodi praecepta tibi dederim ; nam et pueris* » — pueris autem — « *condixi in illum et illum locum* ». Lege *keri* יועדתי pro *kethib* יודעתי.

Primum praeoccupat omnem interrogationem de itineris obiecto, dein affirmat se non esse solum. Reticentia utitur mentali, nam certe eiusmodi secreta mandata rex multoties antea Davidi dederat, non tamen tunc. Etiam Davidem condixisse pueris, iam ante supremum 20, 35 cum Ionatha congressum, veri nequaquam absimile est. v. 3 « *Nunc ergo, si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris* ». Da mihi, quod ad manum habes, ad minimum (ita intelligendum *vel*) quinque panes. *De Wette* : « Nunc ergo, quid habes ad manum etc. »? Sed recte advertit *Then.*, in hac constructione, ex genio linguae hebr., desiderari complementum aliquod, e. g. : Quid habes ad manum ad manducandum ? v. 4 « *Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum : si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus ?* » Panes sunt propositionis, de quibus Lev. 24, 9 dicitur : « Eruntque Aaron et filiorum eius, ut comedant eos in loco sancto ». Pontifex se declarat paratum ad panes sanctos Davidi tradendos, eo quod lex misericordiae antecedat legem ritualem (cf. Matth. 12, 3-7 ; Marc. 2, 25-27).

Cur vero insistit conditioni, ut sint mundi ab uxoribus, quae et ipsa ad legem ritualem pertinet? Quia ea conditione vel ipsi sacerdotes ligabantur Lev. 22, 3 : « Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quae consecrata sunt, et quae obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino ». Coitum autem immundos facere, constat ex Lev. 15, 16. Iam, licet necessitas, in qua David tum versabatur, pontifici sufficiens videretur ratio dispensandi in lege Lev. 24, 9, non ideo protinus negligenda erat conditio vel ipsos sacerdotes obligans. *Est.* : « non, quia et immundi comedere potuissent, si omnino extrema fuisset necessitas ; sed, ut significaret, quod homo in necessitate constitutus, quia legem aliquam plene observare non potest, tamen non debeat propterea legem illam omnino negligere ». Ceterum vel hic indulgentia utitur pontifex ; non enim omne immunditiae genus praetendit, sed addita voce *tantum*, *saltem, maxime,* soli immunditiae ex coitu contractae insistit.

v. 5 « *Et respondit David sacerdoti, et dixit ei : Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudiustertius, quando egrediebamur* ». Verbotenus : Profecto conclusa fuerat nobis uxor heri et nudiustertius, in egressu meo, i. e. quando egrediebar. « *Et fuerunt vasa puerorum sancta* ». Vasa plerique intelligunt *corpora.* Intelligitur sane illud, quod coitu omnium maxime redditur immundum : ergo non *vestes* (*Kimchi*). « *Porro via haec polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis* ». חל *pollutum, profanum* seu, uti *Chald.* חילוני, *extraneum, peregrinum.* Recte *Gord.* : « via profana, quia David tendebat ad Philisthaeos fugiens Saulem ». יִקְדַּשׁ intelligi potest impersonaliter, *erit*

sanctificatio; ergo non est corrigendum cum *Ew.*, *Wellh.* יִקָּדְשׁוּ, « sanctificabuntur ». Recte autem notat *Wellh.*, sibi opponi *in egressu meo* et *hodie*. Ergo sensus hic est : Profecto abstinueramus ab uxoribus antehac, in egressu nostro, ideoque tum eramus mundi ; inde ab egressu nostro versamur in itinere extraneo, quo a domibus et uxoribus longissime separamur ; si ergo mundi eramus *nudiustertius* ab uxoribus, quanto magis *hodie*, cum procul uxoribus hoc triduo versati simus.

Alias expositiones commemorat *Then.*, merito iudicans, eas introducere Davidem aliquid dicentem, quod non sit ad rem et sensu careat. Quod idem iudicium de *Thenii* expositione ferendum est, qui *viam* interpretatur modum agendi, et *vasa* seu instrumentum ipsum pontificem, ut verba exprimant subtilem quamdam adulationem : Et si hic modus agendi, sc. ut laici comedant panes sacros, profanus est seu legi contrarius, at hodie sanctificatur per instrumentum, tua sc. intercedente auctoritate !

v. 6 « *Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem ; neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi* ». Addunt reliqui : *in die, quo removebantur*. *Hebr.* totam sententiam habet numero singulari, nam ם finale in הסְּרוּחִים (*qui sublati fuerant*) ex sequenti voce agglutinatum est ideoque delendum ; id inde colligit *Wellh.*, quod et praecedens לֶחֶם et subsequens הַלֻּקָּחוּ numero singulari legantur. v. 7 « *Erat autem ibi vir quidam de servis Saul in die illa intus in tabernaculo Domini, et nomen eius Doeg Idumaeus, potentissimus pastorum Saul* ». Pro *intus in tabernaculo Domini* reliqui habent *detentus coram Domino* : « libens an invitus, incertum » (*Ephraem* apud Verc.). *Arabs* suggerit, fuisse ibi voti exsolvendi, *Ephraem* peccati expiandi causa. Expressio *coram Domino* certe indicat ibi fuisse sanctuarium aliquod cultus Mosaici. Sed quale ? Arcam, ante eventum 2 Reg. 6, 3, ex Cariathiarim alio fuisse translatam, ostendi nequit, nam 1 Reg. 14, 18 textus est incertus. E contra tabernaculum, quod ante fuerat in Silo, saltem semel locum mutasse, ex 2 Par. 1, 3 efficitur ; probabile igitur videtur, illud etiam prius e Silunte destructa in Noben, pontificis sedem, esse translatum. Recte igitur *Vulg. intus in tabernaculo*. — Viri mentio h. l. inseritur, quia, quae h. l. narrantur, 22, 10 Sauli retulit, panis sc. et gladii traditionem ; dicta 21, 1-5 fortasse non audivit. Una litera mutata, *LXX* illum ex Idumaeo fecere Aramaeum seu Syrum. Dicitur *princeps pastorum Saul*, cuius expressionis synonyma est altera 22, 9 *praepositus servorum Saul*. Creverunt opes Saul, ex praeda maxime bellica, ut qui pridem ipse asinas paucas quaesitum ivisset, nunc pastorum catervam praesto haberet. v. 8 « *Dixit autem David ad Achimelech : Si habes hic ad manum hastam aut gladium ? quia gladium meum et arma mea non tuli mecum ; sermo enim regis urgebat* ».

v. 9 « *Ed dixit sacerdos : Ecce hic gladius Goliath Philisthaei, quem percussisti in Valle Terebinthi, est involutus pallio post ephod : si istum vis tollere, tolle, neque enim hic est alius absque eo* ; » unicus est, quem habemus. « *Et ait David : Non est huic alter similis, da mihi eum* ». Haec rursus suadent, tabernaculum fuisse in Nobe. Agitur enim de loco, ubi fixam et notam aliquam haberet ephod pontificis stationem. Insuper 17, 54 narrabatur David reposuisse arma Goliath in tabernaculo.

v. 10 « *Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul, et venit ad Achis, regem Geth* ». Is Ps. 34 (33) vocatur Abimelech, *Vulg.* Achimelech. Inde a caede Goliath plures probabilius anni effluxerant ; *in die illa* expressio est omnino indeterminata, neque supponere cogimur, Davidem Goliae gladium manu gestantem urbem Geth esse ingressum. Ceterum adverte, eum fuisse virum Davidem, qui Philisthaeis contra Saulem summe utilis esse posset ; cf. Coriolani inter Volscos adventum. v. 11 « *Dixeruntque servi Achis ad eum, cum vidissent David : Numquid non iste est David, rex terrae?* ». *Terra* probabilius intelligitur Iudaea. Hinc *Malv.* putat, famam unctionis David iam latius percrebruisse. Melius *Menoch.* exponit per modum hyperbolae : « David ille inclytus, et quasi alter rex Hebraeorum ». Sed *Lap.* intelligit Philisthaeam, ut Philisthaei Davidem ironice regem appellarint Philisthaeae, quod 17, 9 statutum fuisset, Philisthaeis Goliath devicto serviendum esse Hebraeis. « *Nonne huic cantabant per choros, dicentes : Percussit Saul mille, et David decem millia?* » cf. 18, 7. Verba haec non admirationis esse, sed invidiae, ipse iudicavit David, continuo simulans amentiam. Eandem invidiam habes 29, 5. v. 12 « *Posuit autem David sermones istos in corde suo* », — *gallice :* « il les prit à cœur » — « *et extimuit valde a facie Achis, regis Geth* ». v. 13 « *Et immutavit os suum coram eis* », *Hebr. in oculis eorum*, i. e. simulate tantum, « *et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portae, defluebantque salivae eius in barbam* ».

Cum suffixum anticipatum ויטנו sit inusitatum, imo secundum *Wellh.* » monstrum grammaticale », probabilius legendum ויטנה, *et immutavit*. — *Collabebatur :* vox Ier. 25, 16 ; 51, 7 de ebriis quoque usurpatur. — *Impingebat* : recte *Vulg. LXX* ויתף a תפף ; *Hebr. Chald.* ויתו a תוה (?), *scriptitare* ; erronee certe *Syr.* ויטב *et sedebat*, nam non agitur de *liminibus*, sed de valvis portae domus regiae. *Clair :* « Videtur David audivisse verba v. 11, ubi primum medios inter aulicos prodivit, et illico statuisse amentiam simulare ; secus facilius patuisset simulatio ». Sacrum quid apud antiquos amentia reputabatur.

v. 14 « *Et ait Achis ad servos suos : Vidistis, hominem insanum* » esse : « *quare adduxistis eum ad me?* » v. 15 « *An desunt nobis furiosi,*

quod introduxistis istum, ut fureret me praesente? hiccine ingredietur domum meam»? Hanc Davidis inter Gethaeos commorationem respiciunt Ps. 33 et 55.

Cap. XXII v. 1 «*Abiit ergo David inde, et fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres eius et omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc*». Ipsi norant eius unctionem. Quamvis fuerit civitas *Odollam* in planitie Iuda, haud procul a Thamnas, Ierimoth, Socho, Azeca et Maresa (cf. Gen. 38, 1. 12; Ios. 15, 35; 2 Esdr. 11, 30; Mich. 1, 15), tamen quae de nostra spelunca 2 Reg. 23, 13 sqq.; 1 Par. 11, 15 sqq. traduntur, omnino suadent, eam haud procul a Bethlehem abfuisse, ideoque ab altera illa civitate distingui: erat is sc. locus, inter quem et Bethlehem non erat cisterna, ad quem potus aquae de Bethlehem commode transferri posset, a quo etiam (cf. v. 3) facilis ad Moabitas pateret accessus. Porro, quae hic *spelunca*, v. 4 sq. vocatur *praesidium* seu arx; utrumque nomen recurrit 2 Reg. 23, 13 sq.; 1 Par. 11, 15 sq.: neque tamen hinc cum *Wellh.* inferas, מעדה mendum esse pro מצודה, quod nonnisi arcem montanam significet; quandoque enim etiam speluncae pro arcibus sunt, et quidem in montanis. — Ps. 141 est «intellectus David, cum esset in spelunca», Ps. 56 in eam occasionem scriptus est, «cum fugeret a facie Saul in speluncam». Verius referuntur ad eventum 24, 4, tum enim vere fugiebat David a facie Saul; nunc e contra sponte de Geth redit in Iudaeam. — Cur eum cognati conveniunt? «Metu Saulis, ne in eos saeviret, quia in Davidem non poterat» (*Malv.*).

v. 2 «*Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi aere alieno, et amaro animo*», — *italice* «i malcontenti» — «*et factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri*». Simile quid Iud. 11, 3 narratur de Iephthe. Hic versus nos docet, non solum David regnante Saul male habuisse, sed alios cuiusque ordinis plures, sive quod rex ipsis quoque esset infensus, sive quod ab aliorum iniuriis non satis illos defenderet. Ideo sane David in speluncam Odollam venerat, ut et cognatos sibi iungeret, et alios rebus publicis alienatos.

Porro non infimae notae viros ad Davidem convenisse, docemur 1 Par. 12, 16 sqq., qui locus huc spectare videtur: «Venerunt autem et de Beniamin et de Iuda ad praesidium, in quo morabatur David. Egressusque est David obviam eis, et ait: Si pacifice venistis ad me, ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis; si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, et iudicet. Spiritus vero induit Amasai, principem inter triginta, et ait: Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai.

Pax, pax tibi, et pax adiutoribus tuis ; te enim adiuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, et constituit principes turmae ». Ex eodem textu videtur effici, cohortem Salisim (« triginta ») iam a Saul esse conscriptam, cf. 14,52. Nam Amasai, a Saule profugus ad David, absolute appellatur « princeps inter triginta », quasi eo titulo iam ante insignitus fuerit ; David autem non praeficitur « triginta », sed « turmae », quod ille Salisim cohortem apud se nondum haberet.

v. 3 « *Et profectus est David inde in Maspha, quae est Moab, et dixit ad regem Moab : Maneat, oro, pater meus et mater mea vobiscum, donec sciam, quid faciat mihi Deus* ». Sciebat David, se tandem potiturum esse regno ; nesciebat, qua proxime fortuna esset usurus. — *Masphae* nomen significat arcem montanam, situm definire non valemus, rex Moab utique tum ibidem versabatur. Maspha certe non est illud *praesidium*, ubi v. 4 dicitur David aliquamdiu esse commoratus, quod voluit *Syr.* ; sensus enim obvius est, parentes David mansisse in Maspha, saltem primum, Davidem vero in loco ab eorum sede diverso ; item sensus v. 3 est, Davidem apud Moabitas non esse moratum, sed divinae se providentiae commisisse. Praesidium illud est spelunca Odollam, quae alias etiam praesidii nomine venit. Obiiciunt ex v. 5 praesidium illud in ditione tribus Iuda non fuisse, cuius certe fuerit spelunca Odollam, quae proxime aberat a Bethlehem : iubet quippe propheta Davidem, ex praesidio proficisci « in terram Iuda ». Distinguenda est quaestio iuris et facti. Etiam 23, 3 opponitur Iudaeae Ceila, cum tamen Ceila iure ad tribum Iuda pertineat : sed ea de facto tum a Philisthaeis oppugnabatur. Cum identidem prope Bethlehem contra Philisthaeos sit dimicatum, non est absonum, quaedam ibidem loca in potestate tum fuisse Philisthaeorum. — Regem Moab appellat David, ex Ruth Moabitide ortus. Cur non ipse inter Moabitas substitit ? Fuerant hi 14,47 a Saule devicti, neque par erat, altero illos bello Davidis causa implicari.

v. 4 « *Et reliquit eos ante faciem regis Moab, manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in praesidio* ». v. 5 « *Dixitque Gad propheta ad David : Noli manere in praesidio ; proficiscere, et vade in terram Iuda. Et profectus est David, et venit in saltum Haret* ». Quamdiu manserit David in Odollam nescimus. Gad 1 Par. 21, 9 vocatur « videns David » ; iterato refertur Davidem consiliis adiuvisse, in numeratione populi 2 Reg. 24, 11 et 1 Par. 21, 9, in distribuendis officiis levitarum 2 Par. 29, 25. *Haret* ignotum. v. 6 « *Et audivit Saul, quod apparuisset David et viri, qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, et esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens* », « tamquam sceptrum » (*Malv.*), « *cunctique servientes circumstarent eum* », v. 7 « *ait ad servos suos, qui assistebant ei : Audite nunc, filii Iemini, numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vi-*

neas, et universos vos faciet tribunos et centuriones» (cf. 8, 12. 14), v. 8 «*quoniam coniurastis omnes adversum me, et non est, qui mihi renuntiet, maxime cum et filius meus foedus inierit cum filio Isai?*» Solemne concilium a rege habebatur (*Keil*) *in Gabaa, sub terebintho in colle* (*Hebr.*); terebinthi vel quercus significatio videtur evinci comparatione 31, 13 et 1 Par. 10, 12, certe est arbor aliqua. Saul iam pro certo habet, Davidem regno destinari, et ubique coniurationem suspicatur. Opes et honores, prae ceteris, hominibus suae tribus contulerat. *Numquid, Hebr. sane*; sensus idem. Ironice praetendit Saul, a Davide regnum adepto Beniaminitas aeque fore honorandos, atque a se ipso; idque ironice probat ex ipsa Beniaminitarum agendi ratione, qui contra Saulem contribulem cum Davide coniuraverint. Coniuratio eo manifestatur, quod omnes, quae a Davide agantur, celent. Et tamen tanto maior erat fidelibus servis ratio regis monendi, quod ab ipso filio desereretur. *Chald. Syr.: non est, qui mihi renuntiet de foedere etc.*; cui versioni favet, quod v. 13, in constructione analoga, ב omnino ita sit intelligendum. «*Non est, qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi*», et tamen esset specialissima ratio, «*eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie*». *Hebr. sicut hodie* fit atque patet. *Chald. qui annuntiet mihi, quod suscitaverit etc.*, et huic constructioni rursum favet v. 13.

Saulis suspicio veritatem multum excedit. Ex eo, quod Davidis latebras ignoraverat, infert, eas sibi a suis studiose celari; ex Ionathae erga Davidem amicitia construit eorumdem contra se coniurationem, filiumque sibi insidiari affirmat. v. 9 «*Respondens autem Doeg Idumaeus, qui assistebat, et erat primus inter servos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech, filium Achitob, sacerdotem*». In hanc occasionem concinnavit David Ps. 51.

Hebr. assistebat super servos Saul, i. e. adstabat inter servos Saul; expressionis sensum collige ex Gen. 45, 1 «multis coram adstantibus». Doeg pastor non erat adscriptus aulae regiae, sed forte aderat. Cur non, secundum 19, 20, eum *constitutum super servos Saul* seu *primum* inter illos affirmemus, ratio est, quia certe Abner et Ionathas illo erant superiores; nec facile Saul, qui Beniaminitas reliquis praeferre consueverit, primum locum Idumaeo tribuisset. Sensus narrationis potius hic est, recusantibus universis famulis regis, trucidatos esse sacerdotes a viro quodam inferioris conditionis, Doeg. Cf. *Wellh.* — II. 1. nobis inquirendum est de Achimelech, filio Achitob; quem non pauci eundem esse voluerunt cum Achia, filio Achitob, fratris Ichabod, filii Phinees 14, 3. Quae opinio tota nititur altera opinione, Saulem solos duos annos regnasse, quam ad 13, 1 admitti non posse ostendimus. Ea autem dimissa, nihil est, cur Achimelech negemus ab Achia esse diversum. Post cladem sc. apud Lapidem Adiutorii 4, 11 Achitob, filius Phinees, suscepit pontificatum. Cui successit Achias filius, qui initio regni Saul pontificatum obtinebat. Tempore fugae Davidis ei iam successerat Achimelech frater. Ab illa clade viginti anni 7, 2 elapsi sunt

usque ad Samuelem iudicem, qui officium illud usque ad senium retinuit; pluribus iam annis regnaverat Saul: habemus ergo spatium saltem sexaginta annorum, quod pro tribus pontificibus nequaquam brevius est.

v. 10 « *Qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei; sed et gladium Goliath Philisthaei dedit illi* ». Consuluisse Achimelech Dominum pro David, cap. 21 non explicite narratur, sed 22, 15 implicite conceditur. v. 11 « *Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem, filium Achitob, et omnem domum patris eius, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem* ». v. 12 « *Et ait Saul ad Achimelech: Audi, fili Achitob. Qui respondit: Praesto sum, domine* ». v. 13 « *Dixitque ad eum Saul: Quare coniurastis adversum me, tu et filius Isai, et dedisti ei panes et gladium, et consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens?* » Suspiciosus rex rursum ex facto praebiti auxilii coniurationis animum infert. v. 14 « *Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua?* » Haec Achimelech proxime non Davidis (*Sanct.*), sed sui ipsius exculpandi gratia affert.

Vulg. Syr. סר derivabant a סור, *se vértens, pergens, observans*; cui versioni congruit אל. *LXX Chald.* סר aequiparabant שר, ergo *praepositus super auditionem tuam*, et concordat 2 Reg. 23, 23; 1 Par. 11, 25, ubi eiusmodi dignitas aulica commemoratur; ei quidem expressioni אל non congruit, verum אל et על saepissime permutantur, et *LXX* legit כל. Sed quid ista *auditio* sibi vult? *Syr. observans mandata tua*, quod tamen iam includebatur in *fidelis*. *LXX* ἄρχων παντὸς παραγγέλματός σου; sed, eos vocis sensum non perspexisse, inde patet, quod eandem 2 Reg. 23, 23 verterint ἀκοή. *Ges.* « conscius omnis audientiae i. e. secreti regii »; sed secreti idea certe est praeter etymologiam. *Then.*, *Fürst* « praepositus cohortis praetorianae »; et hic sensus optime quadrat cum locis parallelis, cum *Ios.* (χιλίαρχον), tandem cum contextu; nam praeter regiam consanguinitatem (*gener regis*) et aulicam excellentiam (*honoratus in domo tua*), videtur necessario efferenda h. l. Davidis militaris auctoritas.

v. 15 « *Num hodie coepi pro eo consulere Deum?* » Usitata prorsus res est, ut ego pro Davide consulam Deum, neque ideo carpendus sum. « *Absit hoc a me* », coniuratio sc., cuius accusor. « *Ne suspicetur rex adversus servum suum rem huiuscemodi in universa domo patris mei* »; nemo in domo patris mei me ipso alienior a proditione. E contra *LXX Syr. adversus servum suum et universam domum patris mei*. « *Non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande* ». v. 16 « *Dixitque rex: Morte morieris, Achimelech, tu et omnis domus patris tui* ». Id erat contra legem Deut. 24, 16: « Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur ». v. 17 « *Et ait rex emissariis, qui circumstabant*

cum : Convertimini, et interficite sacerdotes Domini, nam manus eorum cum David est, scientes quod fugisset, et non indicaverunt mihi ». Qui pepercerat Agag, sacerdotibus non pepercit (*Theodoret.*). « *Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini* ». Videntur existimasse insanire regem, insuper cohibebantur reverentia sacerdotii. — Emissarii seu *cursores* (*Hebr.*, cf. 9, 11) ex 2 Reg. 15, 1; 3 Reg. 1, 5; 14, 28 regem in publicum procedentem comitabantur, et ante eius currum incedebant vel currebant. Saul tamen neque curru neque equo usus esse videtur. — *Hebr. Chald.* addunt גם : Interficite eos, quamvis sacerdotes sint, nam ipsi *quoque* coniuraverunt.

v. 18 « *Et ait rex ad Doeg : Convertere tu, et irrue in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumaeus, irruit in sacerdotes, et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo* ». *LXX* trecentos quinque, *Ios.* trecentos octoginta quinque. Monent *Vatabl.*, *Sa,* verba non affirmare, omnes sacerdotes indutos ephod ad Saulem accessisse, sed eos fuisse viros, quibus ob sacrum ministerium ephod induendi ius esset; fortasse etiam accesserant induti « ephod lineo » (cf. 2, 18), quo aliis etiam praeter pontificem indui fas erat. *Sanct.* : « Non sine causa scriptor sacer observavit, genere Doeg fuisse Idumaeum, ut Israelitidem gentem a tanti sceleris turpitudine liberaret. Neque enim ullus ausus esset ex Hebraeorum semine, sacerdotali sanguine sacrilegum ferrum et manus sceleratas imbuere ». v. 19 « *Nobe autem, civitatem sacerdotum, percussit in ore gladii, viros et mulieres, et parvulos et lactentes, bovemque et asinum et ovem in ore gladii* ». Quoad expressiones cf. 15, 3. Suppositium contra regiam auctoritatem peccatum punit Saul ea poena, quae Deut. 13, 13 sqq. pro idololatriae crimine statuitur (*Keil*). v. 20 « *Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad David,* » v. 21 « *et annuntiavit ei, quod occidisset Saul sacerdotes Domini* ». Fortasse is in Nobe remanserat, ut sacerdotis officia persolveret (*Clair*). v. 22 « *Et ait David ad Abiathar : Sciebam in die illa, quod, cum ibi esset Doeg Idumaeus, procul dubio annuntiaret Sauli* ». Sed non potuerat suspicari, quidquam gravius inde secuturum esse sacerdotibus. « *Ego sum reus omnium animarum patris tui* ». Pro סבתי, quod non significat *reus sum*, videntur *Vulg. LXX Syr.* legisse חבתי. Saul pronus est ad accusandos alios, David ad accusandum se. v. 23 « *Mane mecum, ne timeas* » Saulem; « *si quis quaesierit animam meam, quaeret et animam tuam, mecumque servaberis* ». Putavit *Menoch.*, pronomina possessiva esse transponenda : Qui quaesierit animam tuam, quaeret animam meam, a me inimicus habebitur. Pessima consolatio, inquit *Wellh.*, est pro Abiathare, praeter suos etiam Davidis inimicos iam sibi fore infensos. Sed sensus verborum hic est : Commu-

nes habebimus tam hostes, quam specialem mihi promissam Dei protectionem, indeque tu certissime mecum salvus eris.

2) Liberatur Ceila 1 Reg. 23, 1-13.

ARG. — Ceilam a Philisthaeis pressam liberat David. Quem Saul ibidem obsessurus advolat, sed David oraculi monitu se subducit.

Cap. XXIII v. 1 « *Et annuntiaverunt David, dicentes : Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, et diripiunt areas* ». « Messis tempus erat » (*Mar.*). Annuntiavit vel rumor popularis, vel quidam de Ceila auxilii petendi gratia adventantes. *Ceila* (Ios. 15, 44) prope Philisthaeorum fines erat, situm accuratius describere non valemus. v. 2 « *Consuluit ergo David Dominum, dicens : Num vadam, et percutiam Philisthaeos istos? Et ait Dominus ad David : Vade, et percuties Philisthaeos, et Ceilam salvabis* ». v. 3 « *Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum : Ecce nos hic in Iudaea consistentes timemus; quanto magis si ierimus in Ceilam adversum agmina Philisthinorum?* »

Iudaeam intelligunt regionem tam de facto, quam de iure ad Hebraeos pertinentem, cf. dicta ad 22, 5. Oppositio habetur, non tam inter Iudaeam et Ceilam, quam inter *hic in Iudaea* et inter *agmina Philisthinorum*. Timebant Philisthinorum aciem non incertam, sed scite instructam, tanto magis quod aderat periculum, ne inter illam et Saulem interciperentur (*Malv.*). — *LXX adversum agmina* non legebant, nam εἰς τὰ σκῦλα, *in spolia*, corruptum est ex εἰς Κειλά (*Wellh.*).

v. 4 « *Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei : Surge, et vade in Ceilam : ego enim tradam Philisthaeos in manu tua* ». v. 5 « *Abiit ergo David et viri eius in Ceilam, et pugnavit adversum Philisthaeos, et abegit iumenta eorum, et percussit eos plaga magna; et salvavit David habitatores Ceilae* ». Greges illos aut secum adduxerant, aut probabilius Hebraeis rapuerant. David, nec opinantes aggressus, facile in fugam egit. v. 6 « *Porro eo tempore, quo fugiebat Abiathar, filius Achimelech, ad David in Ceilam, ephod secum habens descenderat* ». *Hebr. Syr. ephod descenderat in manu eius; LXX* vertit liberius, uti *Vulg.; Chald. ephod detulit in manu sua*, sed *Hebr.* kal habet, non hiphil.—*In Ceilam* omnes textus habent, ergo vox non est facile expungenda, licet perantiquus error esse possit. Aliunde animadversio de Abiathar praecise ideo h. l. subiungitur, ut intelligamus, quomodo priora duo oracula facta sint, sc. per ephod a pontifice gestatum. Planius legunt *LXX* : *Porro quo tempore fugiebat Abiathar, filius Achimelech, ad David, et ipse cum David Ceilam descendit, habens ephod in manu sua.* Neque repudianda est solutio, priora oracula

facta esse alia via, fortasse per Gad prophetam (*Malv.*), et Abiatharem nonnisi Ceilae se Davidi iunxisse (*Malv., Mar.* ad 22, 20). Obiicit *Clair*, שאל ביהיה nunquam de consulendo propheta usurpari.

v. 7 « *Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset David in Ceilam ; et ait Saul : Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est introgressus urbem, in qua portae et serae sunt* ». *Tradidit,* verbotenus *abalienavit* נכר, non ex מכר *vendidit (LXX)* corruptum, sed selectum propter assonantiam cum נסגר *conclusus est.* Putavit David, me portis et seris exclusum iri, cum iisdem ipse velut avis captiva concludendus sit. v. 8 « *Et praecepit Saul omni populo, ut ad pugnam descenderet in Ceilam, et obsideret David et viros eius* ». Ea Saulis erat mens, nequaquam populo primum manifestata. *Obsideret,* צור *kethib*, quod secutae sunt versiones ; *keri* צוד, *ut venaretur,* cf. v. 7.—v. 9 « *Quod cum David rescisset, quia praepararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem : Applica ephod* ». מחריש *Vulg. LXX* derivarunt a חָרַשׁ *silere, Syr. Chald.* melius a חָרַשׁ *incidere, fabricari, insidiari.* Recte *Beda* : ex facto, inquit, adhibiti hac vice ephod « datur coniici, quo ordine supra (v. 2. 4) Dominum consuluerit, i. e. applicata ad se sacerdotali veste, et sic ex ore sacerdotis Domini responsione quaesita ». v. 10 « *Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me* »: v. 11 « *si tradent me viri Ceilae in manus eius ? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus ? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus : Descendet* ». v. 12 « *Dixitque David : Si tradent me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus : Tradent* ».

Ita v. 11. 12 legunt *Hebr. Vulg. Chald.* Duas primum David quaestiones ponit (*Tradentne ? Descendetne ?*) ; ad alteram solam respondente oraculo, priorem repetit David. Unde infert *Keil*, hoc genus oraculi ad singulas tantum singulis vicibus quaestiones respondisse. At, num id non novit David ? cur ergo duas simul proposuit quaestiones ? Id cum *Clair* tribui potest Davidis anxietati, qua etiam factum sit, ut, quae logice prior ponenda fuisset quaestio, eam altero loco collocaverit : prius enim interrogandum fuerat, venturusne esset Saul, postea traditurine essent Ceilitae. —Alteram lectionem exhibent *LXX Syr.*, inter se non penitus concordantes. Non ita magni momenti est, *Syr.* omittere verba *Domine Deus Israel, indica servo tuo*, et in fine addere *Surge, et egredere de civitate.* His igitur missis, *LXX* legunt : *obsidebiturne* (punctantes הִוסְגַר pro הַוסְגַר) ? *Descendetne Saul, sicut audivit servus tuus ? Et ait Dominus : Obsidebitur. Syr.* omisso v. 11 legit : *Tradentne* (הַוסְגַר) *me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul ? Et dixit Dominus : Tradent.* Ex quibus lectionibus evidens fit, certissime textum originalem exhibuisse formam הוסגר, punctandam vel הִוסְגַר *tradentne* (*Hebr. Vulg. Chald. Syr. Ios.*), vel הַוסְגַר *obsidebiturne* (*LXX*), vel הִוסְגַר *obsidebuntne*, vel הַוסְגַר *obsidebitne*. Fuisse insuper in textu originali formam verbi ירד, non ita evidens est, neque *Ios.* videtur legisse. — Hinc tan-

dem duplex se offert solutio. Prior textum *Hebr. Vulg. Chald.* pro genuino habet, eiusque disiecta membra apud *LXX Syr.* observat. Altera primitivum textum, quod in oraculis fere fit, existimat fuisse valde concinnum et nonnihil obscurum, tota interrogatione consistente unica voce הסגר. Cuius explicandae gratia, variae pro diversa punctatione adscriptae sint glossae : « Tradentne — me viri Ceilae in manus eius ? » « Tradentne — me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul ? » « obsidebiturne ? — descendetne Saul, sicut audivit servus tuus ? » Quae dein glossae, plus minus, in textus irrepserint. Hac altera explicatione eliminatur Ceilitarum futura proditio, si verbum ex kal vel niphal, non vero ex hiphil punctemus. Ceterum, quod solum David investigare cupiebat, id erat, descensurusne esset Saul ad ipsum obsidendum, non traditurine se essent Ceilitae : ipsi certe in animo non erat, cum Ceilitis vel in eorum urbe Sauli resistere, qui constanter nefas duxerit, levare manum contra christum Domini. Cf. dicenda ad 30, 8. — Tamen prior solutio critice utique prae altera commendatur ; et contra suppositionem, eius oraculi responsa fuisse tam concinna, videtur facere 30, 8.

v. 13 « *Surrexit ergo David et viri eius quasi sexcenti, et egressi de Ceila huc atque illuc vagabantur incerti. Nuntiatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceila (et salvatus esset)* ». *LXX Ios.* scribunt quadringentos, fortasse correctione adhibita ex 22, 2 ; ceterum viros fuisse sexcentos, ex 25, 13 colligitur, ubi etiam *LXX* sexcentos habent.—*Et salvatus esset* altera est versio vocis *fugisset,* ex Itala in Vulg. translata (*Verc.*).

3) Mira Dei circa Davidem providentia 1 Reg. 23, 14-26, 25.

ARG. — Diximus Intr. n. 7, 23, 14 esse veluti *tesseram*, quae sequenti narratione demonstretur ; miram sc. Dei circa Davidem perpetuis angustiis in Ziphenorum pago agitatum providentiam duplici quodam, veluti inductionis, argumento exhiberi ; unde ex factorum allatorum similitudine eadem illa esse inter se concludi non oportere, proprium quippe esse inductionis, ut casibus similibus efficiatur. Cf. ib. dicta.

v. 14 « *Morabatur autem David in deserto, in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, (in monte opaco; quaerebat eum tamen* » — quaerebatque eum — « *Saul cunctis diebus, et non tradidit eum Deus in manus eius* ». Cunctis diebus, sc. donec quaerere desiit, cf. 27, 4 : eiusmodi generales expressiones non sunt urgendae.

מצדה significare loca, non arte solum, sed vel natura firma, ostendit Ez. 33, 27. — *LXX*, pro *in monte, in deserto Ziph*, habet *in deserto, in monte Ziph* ; addit ἐν τῇ γῇ τῇ αὐχμώδει vel εἰς ὄρος τὸ αὐχμῶδες, cui in *Vulg.* correspondet *in monte opaco*, quod est ex Itala transsumptum (*Verc.*). Iam huius additamenti duplex se offert explicatio. Potest illud nihil esse aliud, nisi altera versio verborum *in monte Ziph*, cum ipsum Ziph interpretetur *Hier. montem squalidum, caligantem, nebulosum.* Vel potest illud additamentum idem esse, quod v. 15 sonat *in silva*, בחרשה ; sc. חרש *chald.* significat *in modum silvae crescere* ; cf. *Eurip.* Or. 223 αὐχμώδης κόμη, de coma sil-

vae instar crescente ; hinc *opacus*. Prior explicatio praeplacet. — Ziph, hodie Tell Zif, inter Hebron et Carmelam ; post generalem determinationem *in deserto, in locis firmissimis*, ille locus effertur, prope quem David frequentius delituit, et iterato a Saul exquisitus est. Duae erant civitates Ziph Ios. 15, 24. 55, sed altera h. l. intelligitur, haud longe (cf. 24) a Maon sita. Nota, Davidem suas latebras ita seligere, ut in Iudaea quidem versetur, attamen nonnisi deserto a Moabitide separetur, cf. 22, 3.

Iam post generalem sententiam v. 14, s. auctor 23, 15-26, 25 ad duo particularia facta narranda progreditur. Quae eo, quo evenerunt, ordine referuntur ; nulla enim inversi ordinis ratio ostendi potest. Utrumque factum insignem praebet commentarium verborum v. 14 « et non tradidit eum Deus in manus eius », bis enim ipse Saul in manus Davidis, quem persequitur, traditur. Ergo tantum abest, ut ex eventuum analogia inferre liceat, eundem numero eventum bis discrepanti ratione narrari, ut potius ex hac ipsa analogia diversitas eventuum sponte fluat ; sunt ea duo distincta argumenta ad eandem assertionem stabiliendam prolata. Praeterea uterque eventus speciale momentum habet. Prioris eventus 23, 15-24, 23 momentum est in verbis Saul, Davidis innocentiam futurumque regnum explicite agnoscentis. Alter eventus 25, 1-26, 25 occasionem describit, ob quam David Iudaea secedere decreverit. Scilicet nuptiae Davidis cum Abigail, quae opimam illi haereditatem contulit, Saulis invidiam inde a priori eventu quadamtenus sopitam redintegravit, quam ille mox Michole alteri viro tributa manifestavit. Qua re cognita Ziphaei rursus, ubi David versaretur, regem edocuerunt. David autem 26, 19 regi insequenti consilium communicat excedendi Iudaea. — Duo praeterea in tota hac narratione notanda. Alterum est perseverans Ionathae amicitia, qui Davidis latibula oppido nosset, eumque clam rege conveniret. Neque veri absonum videtur, fuisse etiam alios, qui simili ratione Davidi faverent, quod viri innocentiam perspectam haberent, pristina officia meminissent, futurum regnum divinarent, regisve odium morbido vel diabolico influxui tribuerent. Quo factum est, ut, licet rex Davidem assidue insectaretur, hic de consiliis eius edoceretur, resque molliter, ut plurimum, gereretur. Ex altera parte habes Ziphaeos, regem assidue de Davidis latibulis edocentes ; nam, quod ipsi bis 23, 19 et 26, 1 id egisse narrentur, non sequitur, bis eundem referri eventum, sed illos in eiusmodi obsequio et assiduos fuisse et fere unicos. Reapse reliqua illa Iudaeae pars videtur potius Davidi favisse. Quae vero Ziphaeos ratio Davidi tam infensos reddiderit, utrum veteres cum domo Isai inimicitiae an regii favoris ambitio, nescimus. Cave tamen, ne cum recentioribus nimis insistas « proditioni » Ziphaeorum. Davidis quippe electio nondum videtur fuisse publice nota, Saul adhuc erat legitimus rex, non erat cuiusque civis eius in Davidem odii causas discutere et reprobare, ipse

tandem David Ps. 53 de « proditione » nequaquam conqueritur. Plura vide apud *Himpel* l. c. p. 104 sqq.

a. David praescindit oram chlamydis Saul 1 Reg. 23, 15-24, 23.

ARG. — Primum e duobus factis supra laudatis hoc est. David delitescens in deserto Ziph a Ionatha rursum invisitur. Saul vero, per Ziphaeos certior factus Davidemque persecutus, ingruentibus Philisthaeis ab incoepto desistere cogitur; mox reversus a Davide in spelunca quadam deprehenditur, a quo christum Domini verito generose dimittitur incolumis.

v. 15 « *Et vidit David, quod egressus esset Saul, ut quaereret animam eius. Porro David erat in deserto Ziph, in silva* ». Scriptura, quae intervallo acta sunt, continua narratione prosequitur. Saul, audita Davidis fuga, aliquamdiu substitit v. 13; dein, eius comperto latibulo, egressus est.

Et vidit : pro וַיַּרְא *Ew., Wellh.* punctandum censent וַיִּרָא *et timuit*, id vero minime est necessarium. Post *non tradidit eum Deus in manus eius* contextus planior habetur, si pergatur *et vidit*, quam si pergatur *et timuit* : quis enim timori locus in tam speciali Dei providentia ? Neque sequentia illam punctationem exigunt : *confortavit manus eius, ne timeas*. Pro בחרשה *LXX Ios.* legebant בחדשה, ἐν τῇ καινῇ. ה finale *Ges.* declarat esse ה locale, non obstante praepositione usurpatum : durum tamen videtur huiusmodi ה locale, ubi nullus motus exprimitur. Alii, *Ios.* secuti, accipiunt ut nomen proprium. Non ita quidem accepere versiones; illud tamen favet, in ea vitae pastoralis aetate singulos colles, silvas, imo prominentes arbores sua nomina propria habuisse.

v. 16 « *Et surrexit Ionathas, filius Saul* », de castris paternis, prope Davidis latibulum sitis, « *et abiit ad David in silvam, et confortavit manus eius in Deo, dixitque ei* » : v. 17 « *Ne timeas; neque enim inveniet te manus Saul, patris mei, et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus; sed et Saul, pater meus, scit hoc* ». Cf. 24, 21. Confortari manus possunt, modo pecunia Iud. 9, 4. 24, modo verbis Iob 4, 3 et h. l. Confortatur David *in Deo*, tota quippe securitatis ratio petitur ex divino decreto, quo regno destinatur. Non tamen hinc sequitur necessario, Ionatham de Davidis unctione edoctum fuisse : cum regno destinari, inferre poterat ex Saulis reiectione et evidenti divina Davidis protectione (*Menoch.*). — Ionathas non solum sperat se fore socium (*Calm.*), sed dignitate secundum.

v. 18 « *Percussit ergo uterque foedus coram Domino; mansitque David in silva, Ionathas autem reversus est in domum suam* ». Est renovatio foederis 20, 12 sqq.

v. 19 « *Ascenderunt autem Ziphaei ad Saul in Gabaa dicentes : Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvae, in colle Hachila, quae est ad dexteram deserti ?* » Potest etiam verti *ascenderant*, ut iste ascensus prior fuerit v. 15 sqq. narratis, et fortasse ex ipsis Ziphaeis didicerit Ionathas, ubinam David lateret. *Desertum* h. l. exprimitur voce ישימון, quam speciale quoddam deserti genus significare, perperam ex aliis locis colligi affirmat *Then.* ; videtur intelligi ipsum desertum Ziph. Ille qui, in urbe et colle Ziph constitutus, facie ad orientem versa prospiciebat, coram se cernebat desertum Ziph et, ad eius dexteram i. e. ad meridiem deserti, collem Hachila (*Mar.*). Erit is ergo fere inter Ziph et Carmel quaerendus. v. 20 « *Nunc ergo, sicut desideravit anima tua, ut descenderes, descende; nostrum autem erit, ut tradamus eum in manus regis* ». v. 21 « *Dixitque Saul : Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam* ». Formula usitata est, qua quis alteri bona apprecabatur, qua h. l. utitur Saul, eius sensu non accuratius attento : quomodo enim secus persecutoribus David, quem innocentem esse sciebat et regem a Deo destinari praesentiebat, divinam apprecaretur benedictionem ? Nisi forte dicamus, eum, ut erat animo versatilis (cf. 19, 7. 10 ; 26, 25 et 27, 1), illa modo perspexisse, modo non perspexisse. v. 22 « *Abite ergo, oro, et diligentius praeparate, et curiosius agite, et considerate locum, ubi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi ; recogitat enim de me, quod callide insidier ei* ». Melius *LXX Chald. Syr.* אבר intelligunt impersonale : *dictum est enim mihi, quia callidus est valde.* Norat Saul ipse Davidis in agendo prudentiam ; eius in eludendis insidiis calliditatem nonnisi alieno didicerat testimonio.

Hebr. Ite iam, et porro animum advertite (הכום omisso לב, cf. 1 Par. 28, 2), *et discite, et inspicite locum eius.* Saul anxius pluribus vocibus attentionem inculcat, minime tamen synonymis. Commendatur primum continuata attentio (*porro animum advertite*), inde rei perquisitio (*discite*), eaque non auditu solo, sed visu confirmata (*inspicite*). Superfluum pronuntiat *Wellh.* post tam accuratam v. 19 latibuli descriptionem, tam instans monitum latibuli perquirendi. Sed David frequenter stationem mutare consueverat, et aliquod tempus effluxerat a suscepta Ziphaeorum Gabaam profectione ; cf. dicenda ad v. 24 — *Hebr. inspicite locum eius, qui fuerit pes eius : quis vidit eum ibi ?* אשר et שם evidenter sunt initium et finis unius eiusdemque sententiae relativae ; unde pro מי ראהו, perquam abrupto, legendum est המהרה, quod *LXX* corruptum legebant מהרה , ἐν τάχει (Then.) : *inspicite locum, ubi fuerit pes eius fugitivus.*

v. 23 « *Considerate et videte omnia* » — מכל verte cum *Ew.* § 278 c « omnia omnino »—« *latibula eius, in quibus absconditur, et revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum* ». אל נכון, ἅπαξ λεγόμενον, de cuius sensu ipsae versiones ambegisse videntur. Eum definies vel

cum *Chald. in veritate, profecto, certe,* ad quam versionem fortasse revocari possunt *Alex.* εἰς ἕτοιμον, et *Symm.* ἐπὶ βεβαίῳ ; vel cum *Syr. ad praeparandum, ad instruendum me. Vulg. ad rem certam* utrique sensui aptari potest. « *Quodsi etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Iuda* ». *Hebr. LXX* simpliciter *Quodsi fuerit in terra,* i. e. in territorio tribus Iuda ; cf. 27, 4, ubi narratur Saul, quam primum comperit Davidem in Philisthaeam esse transgressum, ab illo perquirendo destitisse. v. 24 « *At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul. David autem et viri eius erant in deserto Maon, in campestribus ad dexteram Iesimon* ». Iesimon eadem vox est, quam v. 19 vertebamus *deserti* ergo etiam h. l. eadem ratione vertenda. Maon civitas haud procul distans a Ziph Ios. 15, 55, hodie Main ; intercedit Carmela inter Maon et Ziph. Ergo reapse colle Hachila secesserat David, et sapienter v. 22 Saul Ziphaeos fuerat adhortatus, ut diligenter exquirerent locum, ubi David lateret. Desertum Ziph v. 15 erat inter Ziph et Mare Mortuum. Tam collis Hachila, quam desertum Maon erant ad dexteram, i. e. ad meridiem deserti Ziph. v. 25 « *Ivit ergo Saul et socii eius ad quaerendum eum* », Ziphaeos secuti, et nuntium ab eis exspectantes. « *Et nuntiatum est David, statimque descendit ad petram, et versabatur in deserto Maon. Quod cum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon* ».

Quaenam est illa petra ? Correctius *LXX* pro וישב (*et versabatur*) legunt אשר : *ad petram, quae est in deserto Maon.* Sed quomodo *descendit* ad petram, locum sublimiorem, ex campestribus i. e. planitie ? *Wellh.* respondet, descendisse eo sensu, quo 25,1, cf. 24,1, sc. profectum esse meridiem versus.

v. 26 « *Et ibat Saul ad latus montis ex parte una ; David autem et viri eius erant in latere montis ex parte altera. Porro David desperabat, se posse evadere a facie Saul* ». חפז est *trepide fugere,* cf. 2 Reg. 4,4 ; 4 Reg. 7,15 ; Ps. 47 (48), 6 ; 103 (104), 7 ; hinc recte *Aq.* θαμβούμενος, *trepidus erat,* quod non est omnino idem atque *desperabat.* Sensum non plene reddunt *Chald. Syr. festinabat. LXX Theod. Symm.* pro נחפז videntur legisse נחפה, *tegebat, abscondebat se.* « *Itaque Saul et viri eius in modum coronae cingebant David et viros eius, ut caperent eos* ». v. 27 « *Et nuntius venit ad Saul, dicens : Festina et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram* », tanto numero, ut necessario cum omnibus continuo copiis sit abscedendum : concisa narratio divinae providentiae gubernationem illustrat, cf. 1 Mach. 1, 6. v. 28 « *Reversus est ergo Saul ; desistens persequi David, et perrexit in occursum Philisthinorum ; propter hoc vocaverunt locum illum Petram Dividentem* » — Petram Separationis. Radix etiam admittit sensum : Petram Evasionis *(Clair).*

Cap. XXIV v. 1 « *Ascendit ergo David inde, et habitavit in locis tutissimis Engaddi* ». v. 2 « *Cumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisthaeos, nuntiaverunt ei* » — non improbabiliter coniectat *Sanct.* Ziphaeos, — « *dicentes : Ecce David in deserto est Engaddi* ». Quanto tempore bellum Philisthaicum duraverit, nescimus. v. 3 « *Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David et viros eius etiam super abruptissimas petras, quae solis ibicibus perviae sunt* ». *Engaddi* urbs primitus fuit Amorrhaeorum, et Asasonthamar vocabatur Gen. 14, 7 ; 2 Par. 20, 2, haud procul a Sodoma. Postmodum tribui Iuda accensita est Ios. 15, 62. Quo in loco Ammonitae et Moabitae convenerunt contra Iosaphat. *Ios.* (Ant. Iud. *IX.* 1. 2) collocat in litore Maris Mortui, ubi etiamnum est Ain Djiddi. — *Hebr. David et viros eius super faciem rupium ibicum. Vulg. Chald.* intelligunt petras solis ibicibus accessas. Potest etiam intelligi nomen proprium, utique a loci natura derivatum. — *Caulas gregum.* v. 4 interpretati sunt *Vulg. Syr. caulas ovium* ; fortasse intelliguntur caulae caprarum, quae petris abruptis delectantur. v. 4 « *Et venit ad caulas ovium, quae se offerebant vianti ; eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem ; porro David et viri eius in interiore parte speluncae latebant* ».

Hebr. ut operiret pedes, quod *Syr.* interpretatur *ut dormiret.* Dormientes pedes operiebant Ruth 3, 4. 7. Facilius, Saule sopito, potuerunt ea omni dici, quae v. 5. 7. 8 referuntur ; potuitque ora vestimenti Saule inconscio praecidi. Obstat, nullibi secus *operire pedes* pro somno dici. E contra Iud. 3, 24 expressio omnino de purgando ventre adhibetur ; et ita h. l. intelligunt *Vulg. Chald. Aq. Ios* ; tamen *LXX* παρασκευάσασθαι *Chrys.* de somno interpretatur. Saul, si quas suppressas voces audivit, facile potuit supponere pastorum esse ibidem degentium ; neque regem decebat, dum id negotii ageret, post tergum respicere : omnis quippe earum rerum aspectus legi adversabatur, ut colligitur ex Deut. 23, 12 sqq., et ex more vel ipsos pedes operiendi. — Non aderant necessario Davidis viri *omnes.*

v. 5 « *Et dixerunt servi David ad eum : Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te : Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis* ». Aliqui suppponunt vaticinium aliquod deperditum, a Samuele vel Gad editum *(Sanct.). Calm.* nihil aliud putat exprimi, quam : Ecce dies opportuna, ut hostibus tuis te liberes. Planius *Clair* supponit, servos David prae oculis habere promissiones per Samuelem pridem Davidi factas, eas tamen suo modo transformatas enuntiare ; sc. ipsi promissionem, Davidem potiturum esse regno loco Saul, ita intelligebant, Saulem adhuc superstitem in potestatem venturum esse Davidis. « *Surrexit ergo David, et praecidit oram chlamydis Saul silenter* », clam. Forte eam Saul ad tempus seposuerat *(Keil).* Intentio ex v. 11 ea

erat, ut Saul intelligeret, suam vitam fuisse in potestate Davidis. Illico autem conscientiae stimulis angitur David, ne, oram chlamidis abscindens, christo Domini irreverentes intulerit manus. v. 6 « *Post haec percussit cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul* ». v. 7 « *Dixitque ad viros suos : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est* ». Hic versus non refertur ad abscissionem orae chlamydis ; ex verbis enim David et ex v. 8 patet, Davidis socios, ea abscissione minime contentos, institisse, ut manus Sauli violentas inferret. v. 8 « *Et confregit David viros suos sermonibus, et non permisit eos, ut consurgerent in Saul. Porro Saul, exsurgens de spelunca, pergebat coepto itinere* ». שסע *scindere, findere; LXX persuasit, Chald. placavit, Syr. compunxit.*

v. 9 « *Surrexit autem et David post eum et, egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens : Domine mi rex. Et respexit Saul post se, et inclinans se David pronus in terram adoravit* ». v. 10 « *Dixitque ad Saul : Quare audis verba hominum loquentium : David quaerit malum adversum te?* » Sensus obvius est, fuisse aliquos in aula Saulis, qui regem contra Davidem excitarent, ex quorum numero fortasse erat Chusi, de quo Ps. 7, 1. v. 11 « *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus* » — *hodie* non otiose h. l. repetunt reliqui textus — « *in manu mea in spelunca, et cogitavi, ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim : non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est* ».

Et cogitavi, ita *Vulg. Masor.* ; sed num revera de ea re cogitavit David? *Chald. Syr.* pro אָמַר punctabant אֻמַר, sensu impersonali, *dictum est, dixerunt. LXX* legisse videntur אָבִיתִי, *nolui* (*Wellh.*).

v. 12 « *Quin potius, pater mi, vide et cognosce oram chlamydis tuae in manu mea, quoniam cum praescinderem summitatem chlamydis tuae, nolui extendere manum meam in te ; animadverte et vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te : tu autem insidiaris animae meae, ut auferas eam* ». *Theodoret.* : « Quis non admiretur prophetae virtutem ! insidiatorem vocavit patrem et dominum ipse, qui regni accepisset consecrationem ; christum Domini eum, qui gratia Dei privatus esset : reverebatur quippe abdicatam etiam a Deo consecrationem ». Hebr. ita verti potest : Profecto exinde, quod, cum praescinderem summitatem chlamydis tuae, te tamen non occiderim, animadverte et disce etc. *Non est in manu mea malum,* videtur intelligendum de consilio contra regem directo ; *iniquitas* seu *defectio* (פֶּשַׁע) est intermissio

aliqua obsequii regi debiti ; *peccatum* exprimit genus quodlibet offensae, punitionem exigens. v. 13 « *Iudicet Dominus inter me et te, et ulciscatur me Dominus ex te; manus autem mea non sit in te* ». Non ipse ego iudicium et ultionem exsequar ; verba non tam sunt imprecatio divinae, quam abdicatio propriae ultionis : hinc pro *sit* potius verte *erit*. v. 14 « *Sicut et in proverbio antiquo dicitur : Ab impiis egredietur impietas; manus ergo mea non sit in te* ». Exstat in textibus omnibus. Sensus est : Quia impiorum est impie agere, et quia ego impietatem reputo, manus violentas inferre christo Domini, ideo manum meam a te cohibebo. Forte longius petitur, quod habet *Duguet*, insinuare Davidem, inventum iri manum impiam (cf. 31, 4), quae, quod ipse facere abhorreat, perficere non vereatur. — Ceterum adverte, quomodo s. auctor non semper verbotenus, quae dicta fuerint, referat : illam sane antiqui proverbii appellationem ipse addidit lectorum gratia, talem enim appellationem orationis fervor in Davide vix ferebat, nec Saul de proverbio ipsi optime noto monendus erat. v. 15 « *Quem persequeris, rex Israel* », tantae potestatis et divinae electionis princeps ? « *quem persequeris* ? « Reliqui textus addunt pronomen *tu*, nequaquam praetermittendum. « *Canem mortuum persequeris, et pulicem unum* ». Illud vilitatem exprimit, hoc exilitatem. Malum, si quod intulit David regi, comparatum regiae eminentiae tantum fuit, quantum punctura pulicis, ad quem puniendum haud decet regem magno cum apparatu exire.

Canis animal immundum, imo ex Eccle. 9, 4 animalium abiectissimum, imago moralis immunditiei Matth. 7, 6 ; Ap. 22, 15. Canis appellatio 4 Reg. 8, 13, vel capitis canis 2 Reg. 3, 8, vel canis mortui 2 Reg. 9, 8 ; 16, 9 ; h. l., grave erat probrum.

v. 16 « *Sit Dominus iudex, et iudicet inter me et te : et videat, et iudicet causam meam, et eruat me de manu tua* ». Redit David ad verba v. 13. Iudicio Domino reservato, iam actio iudicialis per partes describitur : *videat*, i. e. causam cognoscat ; *iudicet, Hebr. discutiat causam meam* ; *et eruat, Hebr. et iudicet me de manu tua*, et sententia sua me liberet. Sed verba non imprecantur malum Sauli : Deus potest etiam vindicare causam David, dum facit Saulem perspicere Davidis innocentiam.

v. 17 « *Cum autem complesset David loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul : Numquid vox haec tua est, fili mi David ! Et levavit Saul vocem suam, et flevit* ». Non est haec interrogatio, sed recognitionis exclamatio ; vox *fili mi* respondet voci v. 12 *pater mi*. Flevit conscientia admissae iniustitiae et iniuriae Davidi illatae, cf. v. 18 sqq., item inutilitatis omnium suorum conatuum v. 21, fortasse etiam sensu propriae miseriae, quod praevideret, se spiritu malo adactum brevi in pristinam conditionem relapsurum esse. v. 18 « *Dixitque ad David :*

Iustior tu es, quam ego ». *Menoch.* « i. e, ego iniustus, tu vero iustus ». Ubi e duobus litigantibus unus altero iustior pronuntiatur, non eo ipso eius adversarius iustus declaratur, cf. Gen. 38,26. Iam Deus per ipsum Saulis os Davidis causam vindicare (v. 16) aggreditur. « *Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala* ». v. 19 « *Et tu indicasti hodie, quae feceris mihi bona : quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me* ». Clarius secundum *Hebr. : Et tu demonstrasti mihi hodie, quod tribueris mihi bona* (*v.* 18), *quoniam, cum tradidisset me Dominus in manum tuam, non occidisti me.* Mihi hodie parcendo demonstrasti, falso te insidiarum accusari, teque semper antehac bene mecum egisse. v. 20 « *Quis enim, cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?* » *Via prosperitatis* opponitur viae mortis, vel simili expressioni. Saul evolvit argumentum v. 19 enuntiatum : exinde, quod David regem in spelunca dimiserit, sequitur, eum non esse inimico in illum animo, sed potius « tribuisse illi bona ». « *Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me* ». *Vicissitudinem*, i. e. *beneficium (Hebr.). LXX* : *Si quis invenerit inimicum suum, et dimiserit eum in viam bonam, reddet ei Dominus beneficium, sicut tu hodie operatus es in me* ; sed ultimum incisum ostendit, falso ita construi sententiam. v. 21 « *Et nunc, quia scio, quod certissime regnaturus sis, et habiturus* », *Hebr. et stabiliendum sit,* « *in manu tua regnum Israel* » ; *Hebr. LXX Chald.* initio v. 22 repetunt *et nunc*— v. 22 « *iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei* ». Unde illa Sauli certitudo suboritur? ex chlamydis abscissione, quae ex 15,28 significatione est « regni amputatio » (*Isid.*). Absciderat Saul summitatem pallii Samuelis ; ex facto Davidis praescindentis oram chlamydis, infert eundem successioni regni destinari. Accedebant alia utique indicia, dudum observata. Qua re perspecta, rex illico suae posteritati prospicit, uti 20,15 fecerat Ionathas. Ab obligatione praestiti iuramenti solutus est David, resumpta cap. 26 a Saule persecutione ; accessit divinum contra domum Saul oraculum 2 Reg. 21 ; tamen promissis stetit David eatenus, quatenus pepercit Miphiboseth, filio Ionathae. v. 23 « *Et iuravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam, et David et viri eius ascenderunt ad tutiora loca* », *ad loca inaccessa (Hebr.)*. Ergo parum fidebant Saulis animo versatili. Non tamen ignoranda est diversa lectio *Syr.*, מצפה pro מוצדה : *ascenderunt Maspham*, sc. ad sacrificium pacis et reconciliationis offerendum. Qua cum lectione concordat, quod David 25,1 dicatur mortuo Samuele rursum in desertum se recepisse, sive ex Maspha, sive probabilius ex Bethlehem, quo fortasse a sacrificio se receperat.

b David tollit hastam et scyphum Saul 1 Reg. 25, 1-26, 25.

Praemittuntur nuptiae cum Abigail contractae, tamquam redintegrati odii occasio.

Arg. — David a Nabale, dum is tondendorum gregum festum ageret, spretus contra illum cum armata manu nec opinantem procedit; cui in via annonam dono offerens occurrit Abigail, prudens viri uxor, eumque, ut vindictae renuntiet, demulcet. Nabale brevi post subita morte sublato, Abigailem David uxorem ducit, qua re incensus Saul ad pristinas redit inimicitias.

Quo fine historia Abigail narretur, ex ultimo eiusdem patet versu, ubi, post commemoratas v. 43 duplices Davidis nuptias : « Saul autem », pergitur, « dedit Michol, filiam suam, uxorem David, Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim ». Videtur igitur (*Malv.*) ex illis ipsis nuptiis revixisse Saulis aversio, quasi David Saulis filiam uxorem deseruisset. Unde Saul Micholis cum Davide matrimonium dissolvit, invalide quidem, uti protestatus est David 2 Reg. 3, 14. — Initio narrationis Samuelis mors commemoratur, vel ideo solum quod eo ipso tempore contigerit, vel quod ea quoque Sauli quodammodo fuerit occasio in pristinum furorem relabendi, sublato sc. magno precatore Samuele (cf. 15, 35), qui sua veluti interposita mediatione ruinam devoti regis eousque cohibuisset.

Cap. XXV v. 1 « *Mortuus est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David descendit in desertum Pharan* ». Num sponte convenit populus, an a Saul convocatus, qui studuerit solemnibus exsequiis neglectum vivi prophetae resarcire? Videtur Samuel in luctu et oratione pro Saule (cf. 15, 35) perseverasse, suis orationibus Davidem veluti (cf. 22, 5) in regione Hebraeorum detinuisse; his orationibus cessantibus, mox David a Iudaea, divina miseratio a Saule recessit.

Cum 28, 3 dicatur Samuel sepultus esse *in Ramatha urbe sua*, non absonum videtur, per *domum* h. l. urbem intelligi; cf. multa urbium nomina, composita cum בית. *Clair* putat, domum h. l. intelligi aulam vel hortum domui adiacentem; recurrit ad 2 Par. 33, 20, ubi qui 4 Reg. 21, 18 dicebatur sepultus esse in horto domus suae, refertur sepultus esse in domo. — *Pharan* certe non intelligitur magnum desertum Pharan, Palaestinam inter et Aegyptum, hoc enim longius aberat. *LXX* legunt Maon, et consonat v. 2. Nota tamen loco, qui nunc Wadi Charetun audit, ad meridiem Bethlehem, nomen antiquitus fuisse Pharan. In hac valle Pharan aliquamdiu delituit Simon Giora (*Ios.* Bell. iud. IV. 9. 4); postea S. Chariton ib. anachoretis praefuit. Cf. *R. Riess* Bibelatlas, Freiburg i. B. — Reliquiae Samuelis a *Hier.* (23. 343) feruntur esse in Thraciam, inde teste *Nicephoro Callisto* (146. 1090) Constantinopolim translatae.

v. 2 « *Erat autem vir quispiam in solitudine Maon* » (23, 25), « *et possessio eius in Carmelo* », in urbe Carmel 15, 12; Ios. 15, 55, habitatio a loco pascuorum distinguitur; « *et homo ille magnus nimis; eratque ei oves tria millia, et mille caprae; et accidit, ut tonderetur grex eius in Carmelo* ». v. 3 « *Nomen autem viri illius erat Nabal, et nomen uxoris eius Abigail; eratque mulier illa prudentissima et speciosa, porro vir eius durus et pessimus et malitiosus; erat autem de genere Caleb* ».

Magnus i. e. opulentus. — *Hebr. et intererat tonsurae ovium Carmelae.* ויהי cum *Wellh.* refer ad Nabal; si vox sumatur impersonaliter *et factum est*, v. 3 concipiendus erit ut parenthesis. — *Keil* putat Nabal (*nebulo*) esse merum cognomen, aliud fuisse viri nomen: sed num solo cognomine appellari dicemus virum 2 Reg. 2, 2; 3, 3, quibus locis ex officio Davidis familia recensetur? — *Hebr. durus moribusque malus;* illa naturalis dispositio, haec acquisita. *Keri* כלבי, *Vulg., Chald.* scribunt ex Caleb progenitum, qui ea in regione partem nactus erat Ios. 15, 13 sqq. *Kethib* כלבו *LXX Syr.* derivabant a כלב *canis:* ergo *moribus caninis.* At והוא, inter hanc vocem et priora insertum, indicat non iam vitium morale exprimi (*Then.*).

v. 4 « *Cum ergo audisset David in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum* », qua occasione festivitas instituebatur, cf. 2 Reg. 13, 23, atque, uti ex v. 7 colligi videtur, quicunque de familia fuerant bene meriti, aliquid sibi doni expetere consueverant, uti nunc ipsum quibusdam locis incunte anno fieri consuevit, v. 5 « *misit decem iuvenes, et dixit eis: Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice* ». Decem mittuntur, vel ut eo numero Nabal honoretur, vel ut David digne repraesentetur, vel quod is numerus ad eam, quae exspectaretur donorum molem asportandam sufficere videretur. v. 6 « *Et dicetis: Sit fratribus meis et tibi pax, et domui tuae pax, et omnibus, quaecunque habes, sit pax* ».

לחי — *Vulg.* negligens accentum et duram supponens contractionem, לחי pro לאחי, vertit *fratribus meis. Wellh.*, eadem contractione retenta, sed accentu observato et voce cum praecedentibus iuncta: « Sic dicetis fratri meo », sc. Nabal: sed v. 8 David se filium Nabal, non fratrem profitetur. Melius reliqui *per vitam* vel *ad vitam.* Quod explicat *Ios.*: « precatur, ut in multos annos idem facere illi daretur », sc. oves tondere; seu simplicius « ad multos annos »! — Ergo verte: Vivas! Tam tibi pax, quam domui tuae pax, et omnibus, quae habes, pax.

v. 7 « *Audivi, quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto. Nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo* ». Verbum כלם habes 20, 34. His cum 23, 1 collatis docemur unam aliquam rationem, qua David sibi et suis de annona providere consueverat. Pacifice cum incolis agebat, a rapina illos defendebat, dein opportunis tem-

poribus aliquid doni gratuiti amicissime requirebat, quod non facile quis viro sexcentis viris armatis stipato negaverit. Praeterea licet supponere, plerosque de tribu Iuda ipsi contribuli favisse, et exempla Ziphaeorum et Nabalis exceptiones fuisse, non regulam. Ceterum Saul, quae in remotis illis atque desertis regni tractibus fiebant, ignorabat, secus enim rem periculo vacuam non fuisse futuram, docet exemplum Achimelech 22, 11 sq. — v. 8 « *Interroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui* » — pueri Davidis, *Hebr.* suffixum ignorat — « *gratiam in oculis tuis; in die enim bona* », i. e. festiva, largitionibus faciendis prae ceteris apta, « *venimus. Quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis et filio tuo David* ». Affectuosa appellatione hominem durum conciliare studet. v. 9 « *Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba haec ex nomine David, et siluerunt* ». Ita etiam *Chald.* vertit *Hebr. et quieverunt. Keil et consederunt;* sed num moris erat, ut nuntius, responso neque exspectato, consideret? v. 10 « *Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David? et quis est filius Isai?* » Cf. Ex. 5, 2 : « Quis est Dominus, ut audiam vocem eius? » Non novi neque David, neque stirpem eius ; amicitiae ostensionem detrecto ; filius Isai non est filius meus. « *Hodie increverunt* » sc. numero « *servi, qui fugiunt dominos suos* ». Indignus est David, quem ut amicum tractem ; insuper alii innumeri eadem mihi ratione tractandi essent. *Sanct.* : « Haec non ad Davidem solum spectant, sed etiam ad Davidis socios, quos servos appellat fugitivos ; et tamen reges videri volunt et aliis imperare, quae sibi ad victum vitaeque subsidium necessaria sunt ». v. 11 « *Tollam ergo panes meos et aquas meas et carnes pecorum, quae occidi tonsoribus meis, et dabo viris, quos nescio unde sint?* » *Aquas* recte vertit *potum Chald.; LXX vinum; Clair :* « Tollam ergo cibum meum et potum meum? » v. 12 « *Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt et nuntiaverunt ei omnia verba, quae dixerat* ». v. 13 « *Tunc ait David pueris suis : Accingatur unusquisque gladio suo* ». Ipsa dictionis concinnitas ostendit, quantopere David eo nuntio fuerit incensus. « *Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est et David ense suo, et secuti sunt David quasi quadringenti viri, porro ducenti remanserunt ad sarcinas* ».

Sane David ira abripiebatur, eiusque consilium communiter ab interpretibus peccati argui, merito ad v. 26 et 35 affirmat *Sanct.* Cum Davidis regia unctio a populo ignoraretur, aut certe Saul nondum esset regno privatus, non erat culpandus Nabal, quod eum servum profugum reputaret. Usus quidem erat Nabal verbis iniuriosis, sed perperam David eorum poenam suis ipse manibus exigere conatus est, qui nulla ipse tum publica auctoritate insignitus esset. Quid ergo ?

Oportuit, huius etiam causae iudicium Domino deferre, cf. 24,13. 16 ; uti enim regis persona sacra est, ita et civium personae suam habent inviolabilitatem.

v. 14 « *Abigail autem, uxori Nabal, nuntiavit unus de pueris suis dicens : Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro, et aversatus est eos* », *Hebr. irruit in eos,* sc. verbis, invectus est in eos, cf. 14,32 ; 15,19. v. 15 « *Homines isti boni satis fuerunt nobis, et non molesti, nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto* ». *Hebr. quo fuimus conversati cum eis, dum versabamur in deserto ;* ultimum vero incisum *dum etc. LXX Syr.* trahunt ad sequentia. v. 16 « *Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die* », defendentes nos contra praedatores deserti, « *omnibus diebus, quibus pavimus apud eos greges* ». v. 17 « *Quam ob rem considera et recogita, quid facias, quoniam completa est malitia* », decretum est malum (cf. 20, 9) a Davide, « *adversum virum tuum, et adversum domum tuam ; et ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui* » ; quam ob causam ego te alloquor. v. 18 « *Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentae, et centum ligaturas uvae passae, et ducentas massas caricarum, et posuit super asinos* ». *Sanct. :* « Quae omnia, ut apparet, pro se suisque Nabal ad splendidum illud tonsoriumque convivium abundanter paraverat ». Advertit *Wellh.*, haec omnia non fuisse destinata ad epulum sexcentis Davidis sociis instruendum, ad hoc enim nequaquam suffecissent, sed ad instar doni, quale ipse v. 8 expetierat.

סאים, *sata*, σάτον, a סאה derivatum, aequat 13· 13 lit. (*Schrader* ap. Riehm) ; res tamen non est certa. — *Polentae* i. e. frumenti tosti, cf. 17,17. — *Centum uvas passas.* צמוק non videtur esse caseus (*Syr.*), cum sit cibus, quem milites 30,12 in itinere citissimo secum ferunt cum ficis passis ; ergo est aliquod genus fructus, et quidem uvae (*Vulg. LXX Chald.*). Etiam secus cum ficis passis nominatur 2 Reg. 16, 1 ; 1 Par. 12,40. Non videtur fuisse magnae molis, cum Aegyptius exanimis 30,12, praeter fragmen palathae, reliciatur duobus צמוקים. Teste *Ges.* apud Venetas hodiedum uvae passae « simmuchi » audiunt. *Ducentas massas caricarum,* alias palathas dictas. Eae ex ficis conficiebantur 4 Reg. 20, 7, non tamen singulis constabant ficis 1 Reg. 30,12 ; putant auctores fuisse genus quoddam « marmelade ». Certe singulae palathae exiguae molis erant, cum Iudith 10,5, praeter alia nonnulla, palathas numero plures uni ancillae portandas imposuerit.

v. 19 « *Dixitque pueris suis : Praecedite me, ecce ego post tergum sequar vos. Viro autem suo Nabal non indicavit* ». Etiam secus munera ad placandam iram oblata praemittebantur, cf. Gen. 32,16 sqq. v. 20 « *Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radices montis, David et viri eius descendebant in occursum eius, quibus et illa occurrit* ».

Verte : Et factum est, cum ipsa asino insidens descenderet per abdita montis, ecce David et viri eius descendebant in occursum eius, et illa impegit in eos ; ita subito, ut iam simul essent, antequam potuissent consilium capere, vellentne colloqui, necne ; unde David v. 21 primum in acerbas querelas prorupit. Si vocem *descendere* premas, oportebit dicere, occursum locum habuisse in aliquo saltu inter duos colles, quo utrique simul descenderint. Abdita montis intellige loca, quibus vel confertis arboribus, vel tramitis sinuositate prospectus interciperetur. v. 21 « *Et ait David : Vere frustra servavi omnia, quae huius erant in deserto, et non periit quidquam de cunctis, quae ad eum pertinebant : et reddidit mihi malum pro bono* ». Videtur David primum supposuisse, haec sibi dona Nabalis nomine offerri, quem errorem v. 25 corrigit Abigail. Hinc conqueritur, se *frustra* obsequium praestitisse, non quasi quaesitis donis esset frustratus, nam haec tandem aderant, sed quod intenderit officiis viri amicitiam conciliare. v. 22 « *Haec faciat Deus inimicis David, et haec addat, si reliquero de omnibus, quae ad ipsum pertinent, usque mane mingentem ad parietem* ».

Haec rursum et rursum faciat Deus — sed cui ? Sensum ex natura rei unice verum exhibent *LXX Syr.* scribentes *David,* nam formula haec solemnis est, qua quis *sibi* malum imprecetur, non aliis. Sed *Hebr. Vulg. Chald. inimicis David,* quae lectio ob datam rationem vera esse non potest; quomodo orta sit, inquirendum. *Calm.* : « Reputandum est igitur, hac iurandi formula David imprecari quidem sibi mala omnia, nisi de Nabal exigat ultionem ; sed mali omnis evitandi gratia, nomine suo omisso, inimicorum suorum nomen substituisse ». Quod effugium, Rabbinis quidem familiare, Davide certe indignum erat. Unde commode emendavit hanc explicationem *Wellh.*, statuens, *inimicos* pie a scribis hebraeis esse suppletos, ne imprecatio videretur in ipsius Davidis caput converti, iurata caede non perfecta. Sed tandem, cum עבדו (*Syr.*) et איבי non ita difficile permutentur, quid vetat, quominus *Syri* lectionem *servo suo David* genuinam, et ex ea *Hebr. Vulg. Chald.* derivatam esse statuamus ? — *Kethib, Chald.* עד אור הבקר, *usque ad lucem matutinam,* reduplicatione et corruptione orta lectio ex עד הבקר, « usque mane » ; plurimi etiam codices hebr. sequuntur *keri,* cf. *Rossi.* — Expressio de « mingente ad parietem » etiam recurrit de domo Ieroboam 3 Reg. 14, 10, de domo Baasa 16, 11, de domo Achab 21, 21 et 4 Reg. 9, 8. Non intelligitur canis (*Arabs, Kimchi*), quia id de solis canibus maribus intelligeretur, neque quadrant, quae locis citatis adduntur de « propinquis » etc. Intelligitur quivis homo sexus masculini (*Bochart* I. 674 sqq., *Rabbi Levi*), soli enim mares in expeditionibus, qualem susceperat David, exterminari consueverant.

v. 23 « *Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram* », v. 24 « *et cecidit ad pedes eius, et dixit* » : — Prima salutatio semper ex aliqua distantia fiebat, unde Abigail, a prima prostratione consurgens, propius accessit, et rursum ad pedes David supplex procubuit. Non est necesse cum *LXX* legere *et adoravit super terram*

ad pedes eius.—« *In me sit, domine mi, haec iniquitas* ». A me exigatur ratio eorum, quae acta sunt, cum Nabal ob stultitiam reddendae rationi impar sit. *Sanct.* : « Personam removet turpem, et honestam inducit ». Nota tamen, Abigail solum postulare, ut iniuria sibi adscribatur, et excusanda vel luenda permittatur, non autem affirmare, a se esse commissam : unde perperam *Clair* affirmat mulierem sibi postea contradicere, ubi se facti ignaram fuisse contendat. « *Loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, et audi verba famulae tuae* ». David, loquentem non interrumpens, foeminae veniam concedit loquendi ostenditque, se excusationem, si quae proferri queat, paratum esse recipere. v. 25 « *Ne ponat, oro, dominus meus rex* » — vocem *rex* reliqui textus ignorant omnes — « *cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo ; ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti* ». Argumentatur Abigail hoc modo : a Nabal, utpote stulto, factorum ratio exigi non poterat ; mearum partium fuerat, pro stulto marito tuis pueris respondere ; ast, qui id praestare potui, cum illos ne conspexerim quidem ? ab omni igitur culpa liberanda sum. Nota cum *Sanct.*, haec verba, licet in Nabalem dura sint, a sceleris tamen gravitate illum excusare. Adverte assonantiam inter nomen Nabal et stultitiae etymon. v. 26 « *Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus et vivit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in sanguinem, et salvavit manum tuam tibi* ». Abigail tacite supponit, Davidem ipsi ea, quae illa ignara essent acta, vitio non vertere, et extollit benevolam Dei providentiam, qua ipsa Davidi occurrit atque ita iniustam sanguinis effusionem praevenit.

Putat *Vatabl.*, iuramenti formula priora confirmari, sc. Abigail adventum puerorum ignorasse ; verum *Nunc ergo* novum utique inducit argumentum. — *Ne venires in sanguinem* commode vertit *Aq.* « ne sanguinis reus fieres ». Pro *et salvavit manum tuam tibi* verte eadem ratione, atque v. 31, *et ulciscaris te manu tua.*

« *Et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quaerunt domino meo malum* ». Magis sibi devincit Davidem Abigail, imprecata inimicis eius mala : Sicut Nabal plectantur stultitia. Sensus non est : Pereant sicut Nabal ; nam mariti interitum exoptare uxorem non decebat, neque praesciebat Abigail, qua ratione paucis diebus post misere periturus esset Nabal. Abunde punitus est Nabal, si qua illi poena ferenda, ipsa sua stultitia. Sequens sententia apud *Hebr.* incipit voce *et nunc*. v. 27 « *Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi, domino meo, et da pueris, qui sequuntur te, dominum meum* ». *Clair* : « Ante veniam (v. 28) implorandam, Abigail demulcere studet Davidem, primum ostendens, a Deo se illi obviam missam esse ad praeve-

niendam caedem, dein poenas apprecans inimicis eius, tandem allata dona offerens ». Quae dona, non Davidis usui directe assignat, quasi eius dignitate inferiora, sed puerorum, etiam horum animos demulcere anxia. *Benedictio* (cf. 2 Cor. 9, 5 εὐλογίαν) vocatur donum, non tam quod donans simul bona quaeque apprecetur recipienti, sed quod sit benedictio a Deo accepta, ideoque aptissima, quae alteri dono conferatur : cf. Gen. 33, 11. Iam sequitur veniae petitio, vel potius absolutionis a crimine, cuius neque Abigail rea fuit, neque Nabal reus esse potuit. v. 28 « *Aufer iniquitatem famulae tuae. Faciens enim faciet Dominus tibi, domino meo, domum fidelem, quia proelia Domini, domine mi, tu proeliaris. Malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitae tuae* ». Verte optativo *Faciens faciat* ; supplicationem illico fulcit Abigail benedictionis apprecatione. Expressionem habes 2, 35. Sequentia ita iunge : *et (quia) malitia non invenitur in te cunctis diebus vitae tuae*, sc. quibus proeliaris et quamvis proelieris. Eiusmodi expressiones universales non sunt premendae, nec quidquam propheticum in nostra hac latet. David in vita castrensi innocentiam servavit ; proelia Domini proeliatus est, tum quamdiu a Saule imperio militari honoratus est, tum exul Ceilam liberans et pastores Hebraeos a praedatoribus vindicans ; dignus igitur est, qui speciali ratione a Deo remuneretur. Ad movendum Davidis animum aptissima erat apprecatio *Faciat tibi Dominus domum permanentem*, cuius tota tum familia et possessio Saulis invidia misere esset disiecta. v. 29 « *Si enim surrexerit aliquando homo persequens te et quaerens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum ; porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundae* ». Tolle *enim*, et pro futuro scribe optativum. *Vulg.* post בתך videtur legisse copulam, vel pro בתוך legebat בתך ו : hinc *in impetu et*. Reliqui omnes *in medio cavitatis fundae*. Erat cavitas in funda, cui inserebatur lapis. צרור usurpatur de crumena Gen. 42, 35 ; Prov. 7, 20 ; de fasciculo odoramentorum Cant. 1, 12 (13). Malim hunc alterum sensum h. l. retinere. Iusti sunt veluti fasciculus odoramentorum, quem Dominus in sinu suo repositum habet. Porro soli iusti vere vivunt, vita sc. gratiae. Verba proxime respiciunt vitam temporalem, non tamen excluditur vita aeterna : *thesaurizabis eos in thesauro vitae aeternae (Chald.)*. Verum antithesis momentum non est in voce *viventium*, quasi David nullis inimicorum conatibus interimendus sit ; secus in altera antithesis parte mortem inimicorum efferri oporteret. Est oppositio inter statum quietis, et statum quietis expertem. Inimicos David circumagat Deus, sicut lapis a fundatore circumagitur ; non est sermo de lapide e funda proiiciendo ; David autem veluti in sinu Domini requiescat, et secura fruatur vita.

v. 30 « *Cum ergo fecerit Dominus tibi, domino meo, omnia, quae locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel* », v. 31 « *non erit tibi hoc in singultum et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris* ». Demulcet Davidem Abigail, tum principatum, ad quem evehendus sit, extollens, tum conscientiae pacem, qua ex adhibita nunc moderatione fruiturus sit. Percrebuerant iam, quae Davidi promissa fuerant, sive per prophetas, sive per eius fratres 16, 13, sive per Ionatham vel Saulem. « *Et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillae tuae* ». Non specialem aliquam gratiam sibi expostulat, sed, cum David divina institutione regnaturus sit, ipsa de benedictionibus regni eius participare desiderat. Aliam peraptam explicationem adstruit *Sanct.* ; « tunc cogniturum esse Davidem, cum ad regiam sedem sublatus fuerit, quam hoc documentum fuerit opportunum, quo nunc ab effundendo innoxio sanguine revocatus est ».

Cum ergo : כי h. l. omnes versiones intelligunt temporale. — *Hebr. et in effusionem sanguinis innoxii, etc.* : sed eam copulam merito ignorant *Vulg. LXX Chald.* — *In singultum et in scrupulum*, utraque vox idem significat : ergo vel sacer auctor scripsit ἓν διὰ δυοῖν, vel solam scripsit vocem פוקה, alias non usitatam, cuius explicandae gratia quidam in margine adscripsit מוכשול, quae dein additio in textum penetravit.

v. 32 « *Et ait David ad Abigail : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum* », *Hebr. sapientia tua* (cf. v. 3), quae, Deo ita providente, iter tuum direxit, v. 33 « *et benedicta tu, quae prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem* », sanguinis reus fierem (v. 26), « *et ulciscerer me manu mea* ». v. 34 « *Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi : nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam mingens ad parietem* ». Cf. v. 22. v. 35 « *Suscepit ergo David de manu eius omnia, quae attulerat ei, dixitque ei : Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam* », quam in terram (v. 23) supplex demiseras. *Hebr. elevavi faciem tuam* ; oppositum *confundere faciem* 3 Reg. 2, 16. 20.

v. 36 « *Venit autem Abigail ad Nabal* », cui ne verbum indicaverat v. 19, quique tam erat stolidus, ut, post tantam Davidi illatam iniuriam, incurius epularetur ; « *et ecce, erat ei convivium* », *Hebr. compotatio*, « *in domo eius, quasi convivium regis* », excellentia et abundantia ciborum et potus, ubi cf. sordidam v. 1 parcimoniam ; « *et cor Nabal iucundum* », *Hebr. hilare super illud* sc. convivium, « *erat enim ebrius nimis* ». Qualis maritus mulieris prudentia et forma eximiae ! « *Et non*

indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane »; quod ipsum erat tempus, quo ei v. 22. 34 misere fuerat pereundum, nulla salutis possibilitate relicta; sed periculum averterat uxor. v. 37 « *Diluculo autem, cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba haec, et emortuum est cor eius intrinsecus, et factus est quasi lapis* », ictus apoplexia (*Then.*). Quare ? propter periculum, in quo fuerat, ne ebrius occideretur (*Sanct.*); ob animi aegritudinem, quod sola uxoris prudentia stultitiae poenam evasisset (*Keil*). v. 38 « *Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est* », repetito apoplexiae ictu. v. 39 « *Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait : Benedictus Dominus, qui iudicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, et servum suum custodivit a malo* », cohibuit ab iniquitate : ergo David non iudicabat, ius sibi fuisse, iniuriae violenter ulciscendae. « *Et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius* ». Divinae providentiae gubernatio mirabiliter in hoc facto eluxerat. Cum enim David coram Saule protestatus esset, se totum suae causae iudicium Deo permittere (24, 13. 16), cumque, ne hoc excideret proposito, Abigailis adventu esset praeventus, illico Nabal apoplexia correptus corruit, quo se momento David sua manu ulcisci decreverat, et ita causam Davidis iudicavit Deus.

De manu Nabal refertur, non ad *opprobrii mei*, sed ad *vindicavit causam meam*, quam expressionem habes 24, 16. Nabal, Davidem servum profugum declarans, de eo suo arbitratu iudicium tulerat, eiusque causam veluti manu apprehenderat. — Sententiam *Utique malitiam Nabal etc. Masor.* et *Vulg.* indubie ad orationem Davidis trahunt, non ad sequentem narrationem. Obiicit *Then.*, ita vocem « Dominus » abundare. Responde, eam vocem ex iis esse, quae quandoque in textum irrepserint; ceterum omnem difficultatem tolli, dummodo sententia non cum praecedenti iungatur, sed independenter ad instar exclamationis construatur.

« *Misit ergo David, et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem* ». Noverat formosam, noverat, quod plus est, prudentia eximiam, piam; uxorem expetiit, ut deinceps ab illa, ne delinqueret, cohiberetur. Erat et alia nuptiarum appetendarum ratio, quod feminam nobilem eius Iudaeae tractus ducens, eius regionis homines sibi Bethlehemitae devinciret. v. 40 « *Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum* », iusto utique luctus tempore elapso, « *et locuti sunt ad eam, dicentes : David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem* ». Nabalis domus erat in Maon, possessio Carmelae, ubi etiam eo demortuo vidua reperitur, quae 27, 3; 1 Par. 3, 1 simpliciter *Carmelita* appellatur. Fortasse Abigail Carmela erat oriunda, et opes Nabali in matrimonium attulerat, iisdem nunc Davidis causam illustrans et firmans. v. 41 « *Quae consurgens adoravit prona in terram, et ait : Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei* ». Similibus verbis

utitur iis, quibus B. Virgo angeli invitationem acceptavit. Eo usque parata sum Davidis desiderata implere, ut vel servorum eius pedes, si opus sit, lavare non detrectem. Aliter *Ios.*, putans illam indignam se reputasse nuptiis Davidicis, dignam solum, quae servorum pedes lavaret. v. 42 « *Et festinavit et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellae ierunt cum ea, pedissequae eius, et secuta est nuntios David, et facta est illi uxor* ». Ita, opinione citius, impleta est Abigailis petitio v. 31, ut David sui recordaretur. *Sanct.* : « Non distulit Abigail postulata complere, neque deterruit a nuptiis aut Davidis inopia, aut sterilis et vasta solitudo, in qua vagus et profugus incertis semper sedibus errabat ; neque Saulis potentia, qui nullum non movebat lapidem, ut, quem ambibat coniugem, opprimeret ». Ceterum norat ipsa, illum regem futurum.

v. 43 « *Sed et Achinoam accepit David de Iezrahel ; et fuit utraque uxor eius* ». Cf. 27, 3 ; 30, 5 ; 2 Reg. 2, 2 ; 3, 2 ; 1 Par. 3, 1. Iezrahel h. l. intelligitur, non tribus Issachar Ios. 19, 18, sed tribus Iuda Ios. 15, 56, haud procul a Maon, Carmela et Ziph sita. Putat *Menoch.*, Achinoam esse ductam ante Abigail, quod illius filius fuerit primogenitus 2 Reg. 3, 2 ; 1 Par. 3, 1 ; sed potuit, quae posterius ducta fuerat, prior gignere filium, altera nullos interim liberos, aut solas feminas edente. v. 44 « *Saul autem dedit Michol, filiam suam, uxorem David, Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim* ». 2 Reg. 3, 15 Phaltiel. Lais, civitas tribus Beniamin, haud longe ab Anathoth Ios. 10, 33 ; 2 Reg. 3, 15. Reconciliationem cum Saul cap. 24 narratam aliquamdiu quies subsecuta est, qua usus est David ad rem familiarem nuptiis stabiliendam. Duplicibus vero Davidis incensus nuptiis, rediit iam Saul ad pristinas insidias, abdente se Davide in priora latibula. Saul, ubi ille versaretur, a Ziphaeis didicit, ultro fortasse obsequium obtrudentibus, resumente animos tota tam in aula quam per regionem Davidi adversa factione. Quid mirum, ex rebus tam analogis ortum esse eventum, cap. 26 narrandum, alteri cap. 24 narrato valde similem, neque tamen eundem ?—Ceterum v. 44 etiam sic verti potest : *Dederat* autem Saul Michol etc. Sic ipse Saul, nullo accepto praetextu, Davidi iniuriam intulisset ablata uxore ; is vicissim in locum unius regia stirpe ortae duas substituisset honesto et opulento loco natas.

ARG. — Saul Davidem rursus insecutus in colle Hachila castra ponit. Quo noctu penetrans David regem quidem interimere recusat, hastam vero et scyphum aufert. Dein ex adversa rupe somno sopitos compellans divinam iis, qui regem in se incitaverint, iram imprecatur, suumque simul consilium aperit excedendi tandem terra sancta.

Cap. XXVI v. 1 « *Et venerunt Ziphaei ad Saul in Gabaa, dicentes :*

Ecce David absconditus est in colle Hachila, quae est ex adverso solitudinis ». *Hebr. a facie,* 23,19 *ad dexteram,* i. e. ad meridiem deserti, uti ib. explicavimus. v. 2 « *Et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, et cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut quaereret David in deserto Ziph* ».

Numerum videtur secum sumpsisse eundem, quem 24,3 : non enim numerus in causa fuerat, cur Davidem non apprehenderit ante. Ceterum ex 13, 2 videtur consuevisse Saul, tria virorum millia etiam pacis tempore secum retinere : ergo, tam 24,3 quam h. l., duxit adversum David, quotquot secum habebat. Fortasse etiam illa cohors praetoriana, a numero militum primitus illi adscriptorum, dicta est trium millium cohors, licet plures paucioresve haberet milites, sicut postmodum Persarum selecta cohors dicta est decem millium immortalium.

v. 3 « *Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila* », i. e. in colle Hachila cf. v. 1, « *quae erat ex adverso solitudinis, in via* » ; *secus viam,* notam aliquam viam, quibus verbis castrorum locus describitur, non collis, cuius situs iam sufficienter describebatur. Porro David videtur, colle relicto, penitius in desertum se abdidisse. « *David autem habitabat in deserto. Videns autem, quod venisset Saul post se in desertum* », v. 4 « *misit exploratores, et didicit, quod illuc venisset certissime* ». *Illuc* addidit *Vulg.* explicationis gratia. אל נכון vertunt *Vulg. Chald. certissime. Syr.* habet *post se,* si tamen haec vox reapse sit versio vocis hebraicae. Sed quid tandem hoc est : David videns, quod venisset Saul post se, didicit per exploratores, quod venisset post se? vel : Videns David, quod venisset Saul post se, didicit, quod venisset certissime? *LXX* ἕτοιμος ἐκ Κειλά, ubi ἕτοιμος est versio vocis נכון, omisso אל, et ἐκ Κειλά probabilius est corruptio aliqua utriusque vocis. Ceterum expressio hebr. etiam verti potest : in locum paratum, vel in locum erectum, prominentem, in promontorium (?). v. 5 « *Et surrexit David clam, et venit ad locum, ubi erat Saul, cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saul et Abner, filius Ner, princeps militiae eius, et Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum eius* », v. 6 « *ait David ad Achimelech Hethaeum et Abisai, filium Saruiae, fratrem Ioab, dicens : Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai : Ego descendam tecum* ». Invitatio ad utrumque dirigebatur, sed Achimelech, hoc solo loco nominatus, videtur illam silentio declinasse, indignus porro, cuius nomen inter heroas David recenseretur.

Clam soli *Vulg. LXX* habent ; non tamen sensu caret ea vox *(Wellh.)*, cum potuerit David clam reliquis suis sociis proficisci. — במעגל, quod *Vulg.* recte vertit *tentorium,* ab עגל *rotundum esse, Chald.* vertit *circumvallatio, Keil* « arx plaustrorum » : sed mirum est, Saulem intra circumvallationem vel arcem dormivisse, reliquos omnes

extra eandem. Cf. dicta ad 17,20. — *Hebr. et respondit David ad Achimelech :* ענה cum sequente אמר usurpatur etiam Deut. 21,7 ; 26,5, nulla praecedente interrogatione, quamvis vel in eiusmodi locis respondendi significatio non penitus desideretur : Achimelech et Abisai, silentio adstantes Davidi, dum castra Saulis observaret, ipsa praesentia et obtutu, quid facto opus esset, interrogabant. — Saruia, soror David 1 Par. 2,16, eo utique longe maior natu, mater item fuit Asaelis.

v. 7 « *Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul iacentem et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput eius, Abner autem et populum dormientes in circuitu eius* ». Fixa erat hasta ad caput, ut illico eam prehendere posset rex in nocturno tumultu ; non (*Keil*), ut qua sceptrum indicaret, ubinam decumberet rex, id enim indicabat ipsum tentorium, cf. Iudith 13,8. v. 8 « *Dixitque Abisai ad David : conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas ; nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit* », *Hebr. et non iterabo ei* ictum. *Hebr. feriam eum lancea et in terra*, quod recte uti *Vulg.* vertunt *LXX Chald.*—v. 9 « *Et dixit David ad Abisai : Ne interficias eum ; quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit?* » Verbum נקה sensu translato, uti videtur, proxime exemptionem a poena significat, et nonnisi consequenter a culpa : Ex. 21,19 ; Num.5, 31 ; Ps. 18 (19), 14 ; Iud. 15,3. v. 10 « *Et dixit David : Vivit Dominus, quia, nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in proelium descendens perierit* », v. 11 « *propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini* ». Oppositio est inter varias causas mortis : nisi morbo (cf. 25,38) inopinatove eventu interierit, aut senio confectus, aut proelio interemptus fuerit (*Theodoret.*), at certe manu mea nunquam peribit. « *Nunc igitur tolle hastam, quae est ad caput eius, et scyphum aquae, et abeamus* ». v. 12 « *Tulit igitur David* », de manu Abisai accipiens, « *hastam et scyphum aquae, qui erat ad caput Saul, et abierunt. Et non erat quisquam, qui videret et intelligeret et evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos* ». Cf. Gen. 2,21.

Ergo etiam scyphus, uti hasta, ad caput regis erat ; *aqua* pro potu universim sumitur, cf. 25,11 et 3 Reg. 19,6 ; perperam igitur *Clair* intelligit vas ablutionibus faciendis destinatum. — מראשתי *ad caput eius* explicant, vel ut substantivum locale adverbialiter positum : e regione capitis ; vel ut coalescens e praepos. מן et substantivo ראשתים, quod terminationi plur. fem. supperaddit terminationem plur. masc. (*Ges.* § 86), ergo : de regione capitis. Alteri huic explicationi favet, h. l. et Ier. 13,18 reapse מן subintelligendum esse, quod etiam h. l. expresserunt *LXX Chald. Syr.*, et alios textus 19,13. 16 ; 26,7.11 ; 3 Reg. 19,6 ; Gen. 28,11. 18 optime per מן posse explicari. — *Qui videret, aut perciperet, aut evigilaret.* Trium verborum distinctio haec esse potest : quandoque homo somno excitatus distincte *videt*, quae aguntur ; quandoque semisopitus et clausis oculis tamen confuse *percipit*, aliquid periculi in-

gruere ; quandoque strepitu aliquo *excitatur*, quin ullo modo viderit aut perceperit, quid agatur.

v. 13 « *Cumque transcendisset David ex adverso, et stetisset in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos* », v. 14 « *clamavit David ad populum et ad Abner, filium Ner, dicens : Nonne respondebis, Abner? Et respondens Abner, ait : Quis es tu, qui clamas et inquietas regem?* » Adverte sermonis concinnitatem, ob locorum distantiam. Clamare אל מלך non est « clamare ad regem » (*de Wette*), loquitur enim David ad populum et ad Abner, non vero ad regem ; sed *clamare versus regem* seu *in caput regis (Chald.)*, ita ut solus sonus, non sensus ad ipsum dirigatur ; ergo ita, ut ipse incommodetur (*Vulg.*). — Grande intervallum erat, non necessario linea recta, sed itinere descendente et ascendente, aliquo circuitu fortasse implicato : videtur enim aliqua vallis fuisse interiecta. Locus, ubi constitit David, fere aeque altus fuisse videtur atque ille, ubi castra fixerat Saul, secus difficilius exaudita esset vox. v. 15 « *Et ait David ad Abner : Numquid non vir tu es? et quis alius similis tui in Israel?* » Vir es prae ceteris robustus et fortis, qui et pugnare et vigilare facili ope queas. « *Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim unus* » i. e. *aliquis* « *de turba, ut interficeret regem dominum tuum* ». Multum differt haec narratio ab illa cap. 24. Ibi David angebatur animo ob praecisam chlamydis oram, hic lanceam et scyphum audacter aufert ; ibi ipsum regem humillime alloquitur, hic ironice militiae principem. v. 16 « *Non est bonum hoc, quod fecisti. Vivit Dominus, quoniam filii* », i. e. rei, « *mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini. Nunc ergo vide, ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquae, qui erat ad caput eius* ». Neglectae custodiae accusatio confirmatur tum facto ablatae lanceae et scyphi, tum Davidis notitia eius facti.

v. 17 « *Cognovit autem Saul vocem David, et dixit : Numquid vox haec tua, fili mi David?* » Iisdem, quibus 24, 17, affectibus movetur Saul. Simul eius, quod iam ex sono vocis cognoverat, confirmationem quaerebat, nam Davidis formam prae tenebris discernere haud valebat. « *Et ait David : Vox mea, domine mi rex* ». v. 18 « *Et ait : Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci, aut quod est malum in manu mea?* » v. 19 « *Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui : Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium ; si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, ut non habitem in haereditate Domini, dicentes : Vade, servi diis alienis* ». Rursum attende, quantopere differant haec verba ab iis, quae David cap. 24 ad Saulem loqueba-

tur : ibi regem demulcere, hic magis eundem terrere studet. — David se innocentem esse omnino supponit : ridiculum enim est, si is, qui vere est reus, rogaret regem, ut pro sceleris expiatione sacrificium offerri permittat, et ita rem componat. Ergo non est vertendum cum *Chald. sacrificium meum,* cum de sacrificio, non a Davide, sed a Saule offerendo agatur. Iamvero, Davidis innocentia supposita, duo tantum Davidis animo occurrunt, qui persecutionis instigatores esse possint : Deus aut homines malevoli. Deus ad iniustitiam instigare potest non aliter, quam subtracta gratia, qua tentationi resistatur, hancque non subtrahit, nisi in poenam praevii cuiusdam delicti. Ergo, in hac hypothesi, placandus erit a Saul, oblato aliquo sacrificio : olfaciat igitur Deus sacificium, *(LXX Syr. olfaciat aliquis,* ergo *olfiat).* Adverte, quam delicate David innuat, posse aliquid culpae esse in ipso Saul, simul exprimens desiderium, ut ea culpa non puniatur, sed sacrificio eliminetur, omnemque maledictionem pro aliis inimicis reservans. Simul manifestat consilium deserendae *haereditatis Domini,* i. e. terrae sanctae, populi electi, cum suo cultu et ceteris omnibus gratiis. Eo tandem, inquit, eorum hominum malitia res iam perducta est, ut consilium inierim terra sancta excedendi ; morali necessitate me expellunt, cum evidenti religionis periculo *(Theodoret.)* ; unde equivalenter dicunt : Vade, servi diis alienis.

v. 20 « *Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino* ». Verbis his non vitam deprecatur a Saule *(Menoch.),* sed propositum abeundi enuntiat : tota oratio nequaquam est deprecatoria. Supple : abibo igitur in terram alienam. Iam assignat rationem, cur illud propositum inierit, quod sc. rex Israel se persequatur, contra quem fas sibi non sit vitam defendere vi : « *Quia egressus est rex Israel, ut quaerat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus* ». Animal ignobile persequitur, ac si esset nobiliorum illorum animalium aliquod, quod venatores persequi consueverunt.

מנגד non est « procul a Domino » (*Then*)., sed *coram Domino* (*Vulg. LXX Chald.*), quem sensum alias etiam praepositio habet. David non vult terram sanctam, in qua Dominus specialiter praesens est, suo sanguine innocente effuso desecrari. — *LXX quia egressus est rex Israel, ut quaerat animam meam, sicut persequitur perdix in montibus ;* pro פרעש legit נפשי, אחד omittit, quae vox non ita raro in s. textum irrepsit. Pro lectione LXX inter alia militat particula את, quae bene individuali animae Davidis, non vero indeterminato pulici praefigitur. Perperam igitur recentiores aliqui, ex hoc textu cum 24, 15 collato, efficere student, nostro capite idem, quod cap. 24, narrari factum, diversa tamen ratione. — *Persequitur* (*Vulg.*) intellige passive, uti Chald., punctandum יְרֻדָּף, *venatione agitur. Masor. Syr.* יִרְדֹּף active : sicut venatur Saul, vel aliquis perdicem. False omnino *LXX :* sicut venatur nycticorax, « quasi conferretur rex cum nycticorace, qui pulices suos caperet » (*Cler.*). — Immerito obiicit *Then.*, perdicem esse camporum amantem, non montium : ubique enim illa abundat.

v. 21 « *Et ait Saul : Peccavi ; revertere, fili mi David ; nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie. Apparet enim, quod stulte egerim, et ignoraverim multa nimis* ». שגה errorem significat ex ignorantia commissum, cf. Gen. 43, 12 ; Ps. 18 (19), 13 : adhuc igitur Saul excusare se nititur. v. 22 « *Et respondens David, ait : Ecce hasta regis ; transeat unus de pueris regis, et tollat eam* ». v. 23 « *Dominus autem* », a te enim accepti beneficii retributionem iam non exspecto, « *retribuet unicuique secundum iustitiam suam et fidem : tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, et nolui extendere manum meam in christum Domini* ». Iustitia et fidelitas intelligitur Dei. Verba *tradidit te Dominus hodie in manum meam*, quae etiam 24, 11 habentur, sunt illustratio verborum 23, 14, quae totius huius narrationis tesseram esse monuimus : « et non tradidit eum (Davidem) Deus in manus eius ». v. 24 « *Et sicut magnificata est anima* », i. e. vita, « *tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, et liberet me de omni angustia* ». Omnem fiduciam David in Deo reponit, nullam omnino in promissis Saul. v. 25 « *Ait ergo Saul ad David : Benedictus tu, fili mi, David. Et quidem faciens facies, et potens poteris* ». Verba futuri annuntiationem potius, quam boni apprecationem continent : Benedictus eris, non sis ; certissime perficies, certissime superabis ; cf. 24, 21. « *Abiit autem David in viam suam, et Saul reversus est in locum suum* ».

Pars III. David inter Philisthaeos exul 1 Reg. 27-31.

Arg. — Historice eventus narrantur, neque tamen sine arte. Sublato Samuele, cuius precibus ruina domus Saul eousque differebatur, excedit regione David et, qua erat prudentia, Gethaeorum brevi favorem sibi conciliat ; Saul, in extremam abreptus vesaniam, quem vivum neglexerat prophetam, mortuum evocare attentat. Dein David, a Philisthaeis ex acie dimissus, Amalecitas praedones consequitur atque fundit, atque sic eo ipso tempore victoria clarescit, quo Saul cum filiis infelici proelio occumbit. Ita David ipsis eventibus, Deo providente, successor designatur, a quo uno reipublicae salus speranda sit.

1) David secedit ad Achis 1 Reg. 27, 1-12.

Cap. XXVII v. 1 « *Et ait David in corde suo : Aliquando incidam una die in manus Saul,* » — *Hebr. perdar in manus Saul* — : « *nonne melius est, ut fugiam et salver in terra Philisthinorum, ut desperet Saul, cessetque me quaerere in cunctis finibus Israel ? Fugiam ergo ma-*

nus eius». *Menoch.* : «Prudens est Davidis consilium : Dominus enim, qui protector illius erat, simul volebat, ut ex humanae prudentiae legibus sibi caveret». Neque dubium, Davidem prophetarum monitu regione excessisse, uti eorumdem monitu 22, 5 eam fuerat ingressus. — Recte interrogationem exprimit *Vulg.* ; meram assertionem *non est mihi bonum* exprimunt *Syr.*, pergens *sed*, et *LXX*, pergens *nisi* : verum tum loco כי scribi oportuit כי אם. Ultima verba possunt etiam interrogationi coniungi : Nonne melius est, ut... fugiam manus eius?

v. 2 «*Et surrexit David, et abiit ipse, et sexcenti viri cum eo, ad Achis, filium Maoch, regem Geth*». Hic omnino idem esse videtur, atque Achis 21, 10 sqq., et fortasse etiam idem, atque «Achis, filius Maacha» 3 Reg. 2, 39 (*Calm.*). v. 3 «*Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse et viri eius : vir et domus eius, et David et duae uxores eius, Achinoam Iezrahelitis et Abigail, uxor Nabal Carmeli*». Verte : unusquisque et familia eius, David et duae uxores eius etc. Illustratur Achis in illis excipiendis benignitas, cuius aliqua etiam causa videtur fuisse timor egregii ducis, venientis non iam solius, sed cum tanto armatorum comitatu. v. 4 «*Et nuntiatum est Sauli, quod fugisset David in Geth, et non addidit ultra quaerere eum*». v. 5 «*Dixit autem David ad Achis : Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis huius, ut habitem ibi; cur enim manet servus tuus in civitate regis tecum?*» *Menoch.* : «Quasi dicat : Si manerem, essem tibi oneri, vel quod in civitate frequenti, quippe regia, cum sexcentis viris et eorum familiis angustias facerem ; vel ne ego cum tanto comitatu quasi alter rex existimer velle videri ; vel ne aliqua de me sit suspicio, quasi regi aut regno insidier ; vel ne sim oneri, si me tuis expensis alere velis. Porro David seorsum a rege habitare cupiebat, ut populari regiones incircumcisorum tutius posset, utque suos ab idololatriae periculo subduceret». v. 6 «*Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg; propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda usque in diem hanc*». Urbs primum Ios. 15, 31 tribui Iuda, dein 19, 5 et 1. Par. 4, 30 tribui Simeon attributa, postmodum a Philisthaeis occupata. Verba non ita necessario sunt interpretanda, Achis se eius urbis possessione penitus abdicasse (*Keil*), sed solum ex facto assignatae urbis secutum esse alterum factum, ut ea a regibus Iuda constanter possideretur. Ratio urbis cedendae regi Achis haec videtur fuisse : favor Davidis (cf. 29, 6), invidia Philisthaeorum una habitantium (cf. 29, 3 sqq. ; 21, 11). v. 7 «*Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quatuor mensium*». Praeter *Vulg. LXX* omnes habent *anni et quatuor mensium*. Vocem ימים etiam *Ios.* legebat ; eam quandoque significare annum, cf. 1, 3. 20 ; 2, 19 ; 29, 3 ; Lev. 25, 29 ; etiam Iud. 17, 10 se-

cundum Chald. v. 8 « *Et ascendit David et viri eius, et agebant praedas de Gessuri et de Gerzi et de Amalecitis; hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad terram Aegypti* ». *Gessuraei* Ios. 13, 2 sq. una cum Philisthaeis regionem obtinebant ab Accaron usque Aegyptum; distinguendi ab aliis Gessuraeis ad septemtrionem terrae sanctae, trans Iordanem habitantibus Ios. 12, 5; 13, 11. 13; Deut. 3, 14. — *Gerzaei* vel Gezraei (*keri*) nunquam secus nominantur, apud *LXX* omittuntur; non tamen illico sequitur, mendosa Gessuraeorum scriptione in s. textum irrepsisse. — De *Amalecitis* vide cap. 15.

In sequentibus habet *Hebr.* כי הנה ישבות הארץ אשר מעולם בואך. Sed אשר non legebant *Vulg. Syr. LXX.* Femin. הנה ישבות ad gentes modo recensitas, ob generis discrepantiam, referri nequit. Unde *Vulg. LXX* intellexerunt regiones, *hi pagi habitabantur*. Sed *Chald. Syr.* legebant pronomen masc. הבוה, et Syr. videtur legisse masc. ישבי, ubi sensus esset : *hi enim incolebant regionem,* sensus satis planus. — בואך quandoque terminum a quo exprimit : Gen. 10,19.30; Iud. 11,33; 1 Reg. 15,7; quandoque non : Gen. 13,10; 25,18. Unde quod terminus a quo h. l. non exprimatur, non est ratio cum *Then.* affirmandi, textum esse corruptum. Sed fortasse terminus a quo in textu primitus legebatur; nam pro מעולם *antiquitus*, *LXX* legebant מעולם *ab Aelam,* pro quo teste *Wellh.*, duodecim codices legunt *a Telem*, cf. 15,4. Quae lectio si genuina esset, verti oporteret : hi enim incolebant regionem a Telaim euntibus Sur et usque ad terram Aegypti.

v. 9 « *Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat viventem virum et mulierem; tollensque oves et boves et camelos et vestes, revertebatur et veniebat ad Achis* ». Erant illae gentes inimicae Iudaeorum et, prae ceteris, tribus Iuda. Tamen, nisi instinctum in Davide supponas divinum, tanta caedes, maxime mulierum, iusta non fuit. v. 10 « *Dicebat autem ei Achis : In quem irruisti hodie? Respondebat David : Contra meridiem Iudae, et contra meridiem Ierameel, et contra meridiem Ceni* ». Affirmare igitur videbatur David, quem immerito mendacii arguit *Sacy,* se clades intulisse aut ipsis Iudaeis, aut eorum foederatis. *Meridies* seu *Negeb* in nomen proprium regionis meridionalis transierat, quae a variis gentibus incolebatur, cf. 30, 1. 14.

Ierameel fuerat primogenitus Hesron, nepotis Iudae, 1 Par. 2,9.25; eius posteri videntur imprimis ad meridiem terrae sanctae consedisse 1 Reg. 30,29. De *Cinaeis*, Iudaeorum foederatis, cf. 15,6. — Audacius vero infert *Then.*, Gessuraeos, Gerzaeos, Amalecitas fuisse Philisthinorum foederatos : an fuerint, necne, non constat. Davidis verba sufficienter explicantur ex studio persuadendi regi, se Iudaeis nocuisse; non est necesse supponere studium celandarum cladium regis amicis inflictarum. Merito autem suggerit *Then.*, gentes v. 8 recensitas habitasse prope meridionales terminos Iudaeae, haud procul Ierameel et Ceni.

v. 11 « *Virum et mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth* », non vivos servabat triumphi argumenta aut mancipia futuros, « *dicens : Ne forte loquantur adversum nos : Haec fecit David. Et hoc*

erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitavit in regione Philisthinorum ». Ceterum ex narratione collige, Davidem non maiora aliqua proelia subiisse, quae ignorari vix potuissent : paucos hostes, nocturno fere tempore, circumventos trucidabat, greges abigebat. Cf. *Sanct.* ad v. 8.—v. 12 « *Credidit ergo Achis David, dicens* », vel ad servos suos, vel secum cogitans : « *Multa mala operatus est contra populum suum Israel : erit igitur mihi servus sempiternus* ». *Hebr. pessime olet apud etc.*, i. e. pessimam famam nactus est.

2) Saul adit pythonissam 1 Reg. 28, 1-25.

Cap. XXVIII v. 1 « *Factum est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthiim agmina sua, ut praepararentur ad bellum contra Israel, dixitque Achis ad David : Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castra, tu et viri tui* ». Licet Achis aliquam in Davide fiduciam reponeret (27,12 ; 29,3), potuit tamen etiam quaedam diffidentiae ratio subesse (cf. 29,2), quod Davidem secum in castra adduxerit, ne sc. David armatus in Philisthaea milite nudata relinqueretur. v. 2 « *Dixitque David ad Achis : Nunc scies, quae facturus est servus tuus* ». Verba sunt ambigua, et tamen aliquid magni praetendunt. « *Et ait Achis ad David : Et ego custodem capitis ponam te cunctis diebus* ». Pro ipso bello (cf. 29,2) David *custos capitis* constitutus non est, sed postea promittebatur constituendus.

Hebr. Chald. Congregaverunt (וַיְקַבְּצוּ) *Philisthaei castra sua in exercitum* (לְצָבָא) : *LXX* planius *Congregati sunt* (וַיְקַבְּצוּ) *Philisthaei in* (בְּ) *castris suis ad eeundum* (לָצֵאת) : fortasse ultimam vocem etiam *Vulg.* legebat, *ut praepararentur*. Quae lectio fere indicat auctorem, qui tum in ipsa Philisthaeorum regione versaretur, et belli « praeparationes » oculis intueretur ; alias enim s. textus, missis « praeparationibus » in Philisthaea factis, congregatos Philisthaeos extemplo in mediam Iudaeam introducit : cf. 4,1 ; 13,5 ; 17,1 ; 23,1. 27 ; 2 Reg. 5,17. 22 ; 21,15 sqq. — v. 2 utrumque effatum apud *Hebr. Chald. Syr.* voce לָכֵן incipit (*LXX* כֵּן) : *Quapropter scies, Quapropter custodem. Nunc* עַתָּה *Vulg. LXX* ; *Hebr. Chald.* אַתָּה *tu*, quod praeferendum, quia connexio cum prioribus iam per לָכֵן efficiebatur, et quia oppositio est in pronominibus.

v. 3 « *Samuel autem mortuus est, planxitque eum omnis Israel, et sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos et ariolos de terra* ». Pone totam sententiam tempore plusquamperfecto : recapitulantur enim, quae acta fuerant iam ante novissimam Philisthaeorum expeditionem *(Theodoret., Ps. Hier.)*. Ex v. 9 licet concludere, abstulisse Saulem magos, eos occidendo.

Cur interemptorum magorum mentio fiat, evidens est, sc. ut melius intelligatur sequens narratio de Saule et pythonissa. Cur vero rursum mentio fit mortis et exsequiarum Samuelis? Videtur aliquis intercessisse nexus inter prophetae mortem et magorum excidium. Recole, quae diximus ad 25, 1, tam solemnes Samuelis exsequias institui vix potuisse, nisi cooperante Saule. Probabilius Saul, accepto nuntio de morte Samuelis, intimo animo conturbatus est; sublatum sensit indefessum mediatorem, prostratam unicam munitionem, qua ipse a ruina toties praedicta defendebatur. Nunc omnia formidare, nunc exquirere vias, quibus mortuum placaret, quem vivum neglexerat. Hinc exsequiae summo fastu institutae, hinc idololatriae per totam late regionem bellum indictum, hinc in Gabaonitas alienigenas 2 Reg. 21 saevitum, hinc exterminati magi et arioli. Auxit ad vesaniam usque terrores, quod in validissimo Philisthaeorum exercitu ipsum Davidem adesse audiret, quem proelio contra se dimicaturum esse, minime dubitaret. Quis resisteret Davidis gladio, cum iam non Samuelis manus in coelum protensae ruinam procrastinarent!

Magos : אוב primitus nomen erat eius pythonis (cf. v. 7 sq.), per quod necromantia exercebatur, hinc necromantarum ipsorum. Vox non est derivanda a variis radicibus semiticis, ut sonet « revertentem », vel « quasi ex utre loquentem », vel « profunda voce loquentem » ; sed repetitur ex lingua accadica. *Ariolos* : ידעני, ille, qui aliquid scit, quod ceteris impervium est, maxime futura et praeterita. Utrumque hominum genus severe proscribitur Lev. 19, 31 ; 20, 6 ; Deut. 18, 11.

Superstitionum genera praecipua, quae Deut. 18, 10 sqq. severe prohibentur, sed apud Iudaeos maxime extremis regni temporibus usuveniebant, haec sunt : 1) augurium, ex variorum factorum naturalium observatione (נחש) petitum, cf. 4 Reg. 17, 17 ; 21, 6 ; 2) somniorum observatio, uti vertit Vulg. vocem ענן, quam tamen *Scholz* (Goetzendienst u. Zauberwesen bei d. alten Hebraeern, Regensburg 1877, p. 73) cum Aben Esra de nubium observatione explicat, cf. 4 Reg. 21, 6; 2 Par. 33, 6; Is. 2, 6 ; 3) divinatio per revelationes falsas (קסם) 1 Reg. 6, 2 ; 4 Reg. 17, 17 ; Mich. 3, 6 sq. ; Is. 3, 2 ; Ez. 13, 1 sqq. ; cuius Ez. 21, 21 (26) tria genera recensentur, sagittarum commixtio, teraphim oraculum, extorum inspectio, quibus mortuorum evocationem merito accensebis.

v. 4 « *Congregatique sunt Philisthiim, et venerunt, et castrametat sunt in Sunam ; congregavit autem et Saul universum Israel, et venit in Gelboe* ». *Sunam* civitas est tribus Issachar Ios. 19, 18, haud longe a Gelboe, ad radices Hermonis minoris, nunc Sulem, quae vocis forma iam Cant. 7, 1 transparet in voce «Sulamitis ». Mons *Gelboe*, nunc Djebel Fakua. Revera intelligi loca tribus Issachar confirmatur ex 31, 12, ubi viri Iabes Galaad corpus Saul sepeliendum suscipiunt. Hinc autem sponte fluit, Philisthaeos tum, praeter Philisthaeorum Pentapolin, fere

totam maris oram usque ad Phoenicum fines obtinuisse. v. 5 « *Et vidit Saul castra Philisthiim, et timuit, et expavit cor eius nimis* », ob numerum et bellicum apparatum hostium, qui (2 Reg. 1, 6) maxime curribus et equitatu pollebant ; ob Davidis in eorum castris praesentiam ; ob heroum numerum, qui a se (cf. 14, 52) ad Davidem defecerant : cf. 1 Par. 12, 1-7, 19-22, ubi notandus prae ceteris v. 22 : « Sed et per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usquedum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei ». Mortuo Samuele videntur Israelitarum plurimi de rebus Saulis desperasse. v. 6 « *Consuluitque Dominum, et non respondit ei* » — *Dominus* addunt *Hebr. LXX Chald.*, neque videtur vox h. l. omittenda, nam, Domino non respondente, consuluit mortuos Saul—« *neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas* ». « Vias omnes consuetas et permissas tentavit Saul, ut Dei voluntatem et futurorum arcana assequeretur » (*Calm.*). Regem novimus iam ante (cf. dicta ad 14, 18 sq. et 37) divinis oraculis exquirendis ad superstitionem usque fuisse addictum : nunc intendit evocare Samuelem, prophetam Dei, et ex eo, utvis sacrilega ratione, divinum elicere oraculum. v. 7 « *Dixitque Saul servis suis : Quaerite mihi mulierem habentem pythonem, et vadam ad eam, et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi eius ad eum : Est mulier pythonem habens in Endor* ».

Somnia non necessario intelliguntur ea, quae ipse Saul expertus sit ; somnia poterant etiam per alios obtineri (*Calm.*), cf. Num. 12, 6 ; Ier. 23, 25. 32 ; Ioel 2, 28 (3, 1) ; Zach. 10, 2. Ceterum, si oraculum per somnia quaerebatur, exercitus saltem per aliquot dies prope Gelboe substiterunt. — *Per sacerdotes, Hebr. per Urim*, quod gestabat pontifex. Ergo, post Abiatharis 23, 6 ad Davidem fugam, novum Urim confectum est. — *Pythonem*, אוב : cf. dicta ad v. 3. — *Per illam* : בה videtur opponi, non tam ביהוה v. 6, quam ib. בחלמות etc., *per somnia, per Urim, per prophetas*. Volebat Saul arte magica divinum elicere responsum. — *Endor*, nomen hodiedum servans, ad septemtrionem montis Gelboe, haud longe a Naim, vicus tribus Issachar, sed tribui Manasse quondam attributus, ubi perseveraverant reliquiae Chananaeorum (Ios. 17, 11 sqq.) eorumque superstitiones.

v. 8 « *Mutavit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vestimentis, et abiit ipse et duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, et ait illi : Divina mihi in pythone, et suscita mihi, quem dixero tibi* ». Ergo idem erat divinare in pythone, et evocare mortuum (*Keil*). Ementito vestitu et noctu pergit Saul, tum quod eum puderet in propriae legis transgressione deprehendi, tum quod Philisthaeorum excubias fallere oporteret. v. 9 « *Et ait mulier ad eum : Ecce tu nosti, quanta fecerit Saul, et quomodo eraserit magos et ariolos de terra : quare ergo insidiaris animae meae, ut occidar?* » Eiusmodi videtur mulier omnibus,

quicunque eam adirent, esse locuta, ad eliciendum secreti iuramentum. v. 10 « *Et iuravit ei Saul in Domino, dicens : Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem* ». עון culpa, dein malum e culpa natum, poena, incommodum. v. 11 « *Dixitque ei mulier : Quem suscitabo tibi ? Qui ait : Samuelem mihi suscita* ». Hinc, uti ex v. 13, clare patet, Saulem exspectasse se visurum, non solum inanem quamdam apparitionem, sed ipsum Samuelem. — *Hebr. fac ascendere* : popularis opinio erat, eaque s. Scripturae tropis consonans, inferos esse infra terrae superficiem ; cf. Is. 29, 4 « Erit quasi spectri de terra vox tua ». Eratque maxime conveniens imaginatio, ut animae describerentur ibi versari indeque redire, quo corpus fuisset sepulturae mandatum. v. 12 « *Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, et dixit ad Saul : Quare imposuisti mihi ? Tu es enim Saul* ».

Duae hic quaestiones suboriuntur : quid terruerit mulierem ? unde Saulem agnoverit ? Varias responsiones h. l. indicabimus tantum, totam materiam ad calcem capitis penitius discussuri. Sunt igitur, qui tenent, mulierem aut praevie per servos Saul de eius adventu factam esse certiorem, aut illum intrantem ex proceritate agnovisse ; finxisse tamen ignorantiam, simulasse visionem aliquam, terrorem, Saulis agnitionem ; eius quaesitis propria sed ementita voce respondisse. Alii tenent, regiae praesentiae primum fuisse ignaram, eius factam esse conscium aut per daemonem *(Theodoret.)*, aut ex adiunctis. Potuit enim illa inferre, nemini praeterquam Sauli Samuelem appariturum fuisse ; potuit nunc primum, suborta suspicione, attendere proceritatem viri, qui interrogatum venerat. Minus tamen placet explicatio *Ios.*, edoctam esse ab ipso Samuele, cum prophetam vix decuerit cum tali muliere conversari. — Rursum ad quaestionem, quid mulierem terruerit, prioris explicationis patroni respondent, fictitium fuisse illum terrorem ; reliqui, territam esse aspectu eius, qui apparuerit, viri, tam diversi ab apparitionibus magicis artibus produci solitis : « Deos vidi ascendentes de terra » (*Ios.*) ; aut territam esse adventu magicas formulas praecoccupante *(Sanct.)* ; aut territam esse agnito Saule, quem magicas artes extremo supplicio puniturum esse timeret *(Clair)*. Certe, si terror fuit genuinus, proximum eius ex natura rei obiectum erat apparitio, secundarium tantum Saulis praesentia.

v. 13 « *Dixitque ei rex : Noli timere ; quid vidisti ?* » Saul nihil videbat neque probari potest, in tota apparitione quidquam *vidisse* : sola verba audiebat. Mulieris voce primum aliqua spes in eius animo excitata est, ipsum Samuelem adfuturum, et desideratum ei responsum daturum. « *Et ait mulier ad Saul : Deos vidi ascendentes de terra* ». Nimis ad literam vertunt *Vulg. LXX Syr.* Esse pluralem maiestatis tantum patet ex praecedente quaestione et sequente contextu. Vox אלהים adhibetur de angelis Ps. 137 (138), 1 ; 8, 6 (cf. Hebr. 7, 9), de angelis vel iudicibus

Ps. 81 (82), 1. 6. *Angelum* vertit h. l. *Chald.* Melius intelligitur vox h. l. cum *Ges.* de apparitione Samuelis, divinam quamdam maiestatem prae se ferente (*Ios.*). v. 14 « *Dixitque ei : Qualis est forma eius ? Quae ait : Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio* », talari sc. veste prophetarum, quam ab infantia gesserat Samuel, cf. 2, 19 et speciatim 15, 27. Saul, prophetam convenire percupidus et de apparitionis veritate minime dubius, ex illa unica nota satis generali concludit, prophetam revera adesse : « *Et intellexit Saul, quod Samuel esset, et inclinavit se super faciem suam in terra, et adoravit* ». v. 15 « *Dixit autem Samuel ad Saul : Quare inquietasti me, ut suscitarer ?* » Reprehensionis ea sunt verba.

Suscitari dicitur quidem de spectris, quae magicis artibus evocantur; sed potest aeque praedicari de mortuis, qui influxu sive divino sive diabolico, nullis intercedentibus magicis artibus, inter vivos redeunt : ergo perperam ex ea voce infert *Clair*, apparitionem Samuelis non obtinuisse locum, nisi post incoeptas mulieris incantationes. Potuit Samuel *suscitari* divina voluntate, consequente Saulis desiderium eius videndi, et ita suscitabatur etiam a Saule, nullatenus vero magicis artibus. Ergo ex hac voce nihil omnino efficitur quoad mulieris incantationes. Aliquid fortasse inferri potest ex nexu inter v. 11 et 12. Nam, cum Saul petat « Samuelem mihi suscita », utique incantationibus, et simpliciter pergatur « Cum autem vidisset mulier Samuelem », sensus obvius videtur hic esse, Samuelem factum esse visibilem post illas, quae petebantur, adhibitas incantationes. Quaestio certo definiri nequit. — Certum ex hoc textu est, Saulem aliquam vocem ipsum *audivisse*, eamque existimasse esse Samuelis. Fueritne naturalis an imitatione expressa, non liquet ; ita utique tum Saul abripiebatur superstitione et responsi obtinendi pruritu, ut quamlibet vocem, maxime si sepulcralem quemdam sonum praetenderet, pro Samuelis voce acceptaturus esset.

« *Et ait Saul : Coarctor nimis, siquidem* » — ita recte *Vulg.* vertit hanc copulam — « *Philisthiim pugnant adversum me, et Deus recessit a me, et exaudire me noluit* », *Hebr. non respondit mihi*, « *neque in manu prophetarum, neque per somnia. Vocavi ergo te, ut ostenderes mihi, quid faciam* ». Omittitur Urim ; temerarium autem est, aliquas innocentis huius vocis omissae effingere rationes. Stulte Saul responsum, quod Deus pertinaciter per legitima oracula praestare renuerat, a prophetа Dei mortuo extorquere conatur. v. 16 « *Et ait Samuel : Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad aemulum tuum ?* » *Vulg. LXX Chald. Syr.* legebant *et sit cum aemulo tuo*, praepositionem ignorat *Hebr. : et sit inimicus tuus.*

v. 7 « *Faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua et dabit illud proximo tuo David* », qui primum h. l. ore prophetico Sauli nomine designatur. v. 18 « *Quia*

non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalec : idcirco, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie ».

Vulg. LXX et aliqui codices hebr. legunt *faciet tibi ; Masor. Chald. Syr. faciet ei*, i. e. vel aemulo tuo David, si is v. 16 exprimatur, vel *sibi*, ut sit dativus commodi.— Primam v. 18 partem, quae terminatur voce Amalec, *Masor.*, *LXX* (διότι . . . διὰ τοῦτο), *Chald.* (כן . . . כבוא) evidenter sumunt ut prodosin ad sequentia, non ut apodosin v. 17 : ergo in *Vulg.* v. 17 claudendus est puncto. — *Fecit* et facit : tempus praeteritum pro re irrevocabiliter decreta adhibetur. — *Idcirco, quod pateris, Hebr. idcirco verbum hoc :* non exprimuntur solae angustiae *(Then.)*, quas tum patiebatur Saul, sed praeter illas ipsa etiam caedes brevi secutura.

v. 19 « *Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim ; cras autem tu et filii tui mecum eritis ; sed et castra Israel tradet Dominus in manus Philisthiim* ». Antehac reprobatio Saul generali tantum modo expressa fuerat : « abiecit te Dominus, ne sis rex », « scidit Dominus regnum Israel a te » (15, 23. 28) ; violenta mors non fuerat praenuntiata. Nunc distinctius edicitur, Saulis cladem communem fore toti populo, eum cum filiis esse occasurum. Hinc voces *etiam* et *tecum*. Strages populi, utpote prius nondum praenuntiata, bis affirmatur. Non est necesse, cum *Wellh.* textum, omnibus versionibus communem, mutare. — *LXX filii tui tecum cadent*, quae lectio fortasse est scribae cuiusdam correctio, iniquum reputantis, ut Saul nequam dicatur futurus cum Samuele iusto. Sed textus solum affirmat, Samuelem et Saulem una futuros esse in inferis, sensu latiori acceptis, quatenus complectebantur limbum, purgatorium, infernum : « ut non ad aequalitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur » (*Aug.*). Apposite *Sanct.* provocat ad Eccle. 3, 19 : « Unus interitus est hominum et iumentorum, et aequa utriusque conditio : sicut moritur homo, et illa moriuntur ». — Filiorum caedes indicat, irreparabilem fore universae domus Saul ruinam.

v. 20 « *Statimque Saul cecidit porrectus in terram* ». *Hebr. plenitudine staturae suae.* Ergo Saul stans, non prostratus aut genuflexus *(Then.)*, cum Samuele fuerat collocutus. מהר festinare, sensu adverbiali verbo copulatur, cf. v. 24 ; Gen. 45, 9 ; Iud. 9, 48 ; ergo non est necesse, cum *Wellh.* emendare ויבהל. Sequentium idearum, in *Hebr.* coordinatarum, logicam subordinationem recte expressit *Vulg.* : « *extimuerat enim verba Samuelis, et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa* », *et tota nocte* addunt reliqui. Duae causae afferuntur, cur exanimis corruerit Saul, inedia et terror. v. 21 « *Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat valde), dixitque ad eum : Ecce obedivit ancilla tua voci tuae, et posui animam meam in manu mea* » (cf. 19, 5), « *et audivi sermones tuos, quos locutus es ad me* ». Mulier exinde, quod Saulis desiderio obsecuta nefariam artem exer-

cuisset, titulum veluti quemdam, ut a Saule vicissim audiatur, derivat. Cur vero mulier institit, ut cibum sumeret apud ipsam rex? Non ad omnem suspicionem adhibitae deceptionis regi adimendam *(Then.)*, quae enim vitulo cocto et azymis ad exstinguendas suspiciones virtus? sed quia tum necesse erat, ut rex cibo reficeretur, qui exanimis iacebat in domo; et praeprimis, quia non poterat rex in illam animadvertere, in cuius domo cibum gustasset. v. 22 « *Nunc igitur audi et tu vocem ancillae tuae, et ponam coram te buccellam panis, ut comedens convalescas, et possis iter agere* ». Sicut *panis* generatim pro cibo ponitur, ita *buccella panis* pro « aliquid cibi ». v. 23 « *qui renuit, et ait : Non comedam. Coegerunt autem eum* » (cf. 2 Reg. 13, 25) « *servi sui et mulier, et tandem audita voce eorum surrexit de terra, et sedit super lectum* ». מִטָּה, id in quo recumbitur, κλίνη, ad epulandum vel dormiendum. *Renuit*, quod terror cibi appetitum represserit, vel quod eo familiaritatis cum muliere vaferrima descendere noluerit. v. 24 « *Mulier autem illa habebat vitulum pascualem* », *vitulum saginatum (Chald.)*, eumque sensum radix רבק in lingua chald. habet — « *in domo, et festinavit, et occidit eum; tollensque farinam, miscuit eam, et coxit azyma* », v. 25 « *et posuit ante Saul et ante servos eius. Qui, cum comedissent, surrexerunt, et ambulaverunt per totam noctem illam* ». *Hebr. abierunt eadem nocte*, verius : nam non est integrae noctis iter ab Endor ad Gelboe.

Iam variae eius eventus explicandi excogitatae sunt rationes. *Ipsam Prophetae animam virtute daemonis fuisse adductam*, defenderunt *Orig.* (12. 1011 sqq.), *Iustin.* (6. 720), *Anast. Sinait.* (89. 763). Dicunt : cum Christus se permiserit a daemone transportari et a Iudaeis crucifigi, potuit Deus aeque permittere, ut prophetae anima a daemone adduceretur. Verum, data rei prossibilitate, nullum in tota narratione habetur vestigium, rem ita actam esse. Exinde, quod mulier virtute daemonis Samuelem evocare adorta sit, non sequitur, eadem virtute Samuelis apparitionem effectam esse. Ipse *Orig.* (17. 42) ab illa sententia recessit : « Ventriloqua Samuelem non evocavit : impossibile enim erat, nec qui ascendit veritatem dixit. Quis autem is fuerit, et per quam virtutem ascenderit, quaere ».

Unde, si prophetae animam adfuisse asseras, dicere oportebit, eam divino interventu adfuisse. Audi *Aug.* (40. 142 sqq.) : « Non est absurdum credere, ex aliqua dispensatione divinae voluntatis permissum fuisse, ut non invitus, nec dominante atque subiugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultae dispensationi Dei, quae et pythonissam illam et Saulem latebat, consentiret spiritus prophetae sancti se ostendi aspectibus regis, divina cum sententia percussurus ». Verum ipse *Aug.* alteram tum praeferebat opinionem; pergit enim ita : « Quamquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus, ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma et imaginariam illusionem diaboli machinationibus fac-

tam, quam propterea scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt ». Cf. 34. 52 sq. Postmodum (40. 162 sqq.), perpenso textu Eccli. 46, 23, magis rursum *Aug.* ad priorem sententiam propendit.

Ea *Aug.* sententia, *de apparitione Samuelis illusione daemonis effecta*, apud SS. Patres et antiquos scriptores longe plurimos erat recepta. Et primum quidem S. Doctoris verba 40. 142 sqq., eam sententiam praeferentia, verbotenus descripserunt *Isid.*, *Ps. Beda* (93. 440), *Claud. Taur.*, *Rhaban.*, *Angelom.*, *Eucher.* Eiusdem sententiae sunt *Tert.* (2. 749), *Basil.* (30. 497), *Greg. Nyss.* (46. 107 sqq.), *Ps. Iustin.* (6. 1296), *Cyrill. Alex.* (68. 437), *Eustach. Antioch.* (18. 613 sqq.), *Philastr.* (12. 1135), Acta s. *Pionii* (Bolland. 1 Febr. acta priora cap. 2, posteriora cap. 3), *Rupert.*, *Ephraem*, *Ps. Aug.* (de mirab. s. scripturae, 35. 2179), et alter *Ps. Aug.* (Quaestiones V. et N. T. 35. 2231). Eidem sententiae assentitur *Decr. Gratiani* causa 26, q. 2 cap. « Illud » ; q. 5 cap. « Nec mirum ».

S. Thom. I. q. 89 a. 8 ad 2 putat, hanc sententiam, salva Eccli. auctoritate, defendi non posse ; II II. q. 95 a. 4 ad 2 utramque sententiam ex aequo citat ; II II. q. 174 a. 5 ad 4 difficultatis ex Eccli., quam ante declaraverat insolubilem, solutionem ipse proponit : « Quamvis etiam dici possit, quod non fuerit anima Samuelis, sed daemon ex persona eius loquens, quem Sapiens » (i. e. Eccli.) « Samuelem nominat et eius praenuntiationem prophetiam, secundum opinionem Saulis et adstantium, qui ita opinabantur ».

Sane haec tanta est Patrum auctoritas, ut minime carpendus sit *Matth. Polus* (Synopsis Crit., Ultraj. 1684) exclamans : « Mallem cum his errare, quam cum reliquis (unum mihi excipio Romanae Ecclesiae os infallibile, quod certo scio nunquam a tantis Patribus recessurum) bene sentire ». Et *Clair* p. 77, sententiae Patrum adversarius, fatetur : « Theologi omnes usque ad saeculum decimum septimum Samuelis apparitionem daemonis artificium interpretati sunt ». Ex recentioribus ei sententiae accesserunt *Ianssen.*, *Gandav.*, *Vatabl.*

Mediam quamdam *Theodoret.* profitetur sententiam, *apparuisse spectrum aliquod Samuelis, non a daemone sed a Deo effictum :* « Hinc est ergo perspicuum, quod ipse Deus universorum, efformata ut voluit specie Samuelis, protulerit sententiam . . . . . Illa quidem dixit, quam viderat figuram ; Saul autem ex figura coniecit esse Samuelem ; historia vero cum, qui conspectus est, nominat Samuelem, propterea quod ille sic crediderit. Ita etiam angelos, qui Abrahamo apparuerunt, et illorum Dominum viros nominavit, quandoquidem id arbitratus patriarcha mensam apposuit. Sic etiam eos, qui non sunt dii, deos nominat Dominus noster, qui est super omnes deos. Ita etiam hic eum, qui conspectus est in figura Samuelis, sive angelum, sive spectrum Samuelis figuram prae se ferens, Samuelem vocavit ». In 1 Par. 10, 13 : « Sive autem visus sit angelus », inquit, « in figura Samuelis formam exhibens, sive anima ipsius Samuelis, sciendum est, hoc non esse factum praestigiis ventriloquae, sed Dei sapientia et virtute ». Hic videtur admittere, animam ipsius Samuelis affuisse : advertendum tamen, eum h. l. nonnisi per transennam de pythonissa loqui, et ad 1 Reg. 28 dicta nos re-

mittere. Ergo ex verbis primum citatis eius opinio diiudicanda est. Similiter *Procop.* (87, 1116 sq.) dicit, formam Samuelis per angelum, sive lucis sive tenebrarum, fuisse effictam.

Non sibi contradicit *Basil.* (32.692), ubi incidenter loquitur de pythonissa « animas evocante », quin discutiat, fueritne Samuelis anima evocata vere, an apparenter tantum. Alios quosdam auctores subiicimus, qui quandoque pro una alterave sententia citantur, sed vel non omnino clare loquuntur, aut rem obiter tantum tangunt, ut eorum auctoritas merito invocari nequeat. *Sulp. Sever.* (20.117) haec pauca verba habet, quibus ad factum 1 Reg. 28 alludere, nequaquam vero illud explicare intendit : « Per mulierem, cuius viscera spiritus erroris impleverat, Samuelem evocatum consulit ». *Zeno Veron.* (11. 376) ipsum Samuelem affuisse affirmat, sed non explicat, Dei an daemonis virtute fuerit adductus. *Auctor Cant. c. Marcion.* (apud Clair p. 81) : « Samuel... post requiem prophetica pura tenet », poetam agit, non interpretem. *Rhaban.* (109. 1095) nihil habet, nisi brevisculam quamdam mysticam expositionem : quid de sensu literali iudicaverit, ex 109.67 sqq. perspicitur, ubi totum *Aug.* locum descripsit. *Ambr.* (15.1547) : « Samuel post mortem, secundum scripturae testimonium, futura non tacuit »; sed est obiter dictum, neque S. D. ibi ullo modo ex professo quaestionem discutit, neque, qua virtute Samuel adductus sit, definit. *Hier.* (26.46) : « In Samuelis phantasmate pythonissa loquitur », nihil est, nisi formula citandi textum 1 Reg. 28,13. Idem 57. 66 comparat oraculum pythonissae cum oraculo sacerdotum Philisthaeorum 1 Reg. 6, 4 sqq. : ergo videtur supponere, illud non a Samuele, sed a pythonissa profectum. 25. 114 haec habet : « Has autem dicunt Hebraei maleficis artibus eruditas per necromantias et pythicum spiritum, qualis fuit illa,quae visa est suscitasse animam Samuelis ». Quae verba videntur affirmare, Samuelem apparenter tantum, non vere esse suscitatum, idque virtute necromantiae.

Alteri sententiae, *ipsum Samuelem divina virtute apparuisse*, praeter *Aug.*, qui posterius illi magis favebat, Patrum nullus accessit. Verum mutatae sortes, ubi *Lutherus* (ed. 1661. II p. 48) Patrum sententiam eo detorsit, ut ostenderet, nullam vivos inter atque defunctos intercedere communionem. Cuius vestigia pressit *Calvinus* (ed. Amst. II p. 448). Nunc iam conferto agmine theologi atque interpretes catholici in *Aug.* sententiam, a *Lyr.*, *Abul.* et *Dionys. Carth.* resuscitatam abiere : *Cai.*, *Sanct.*, *Serar.*, *Suar.* (de Relig. III. lib. 2 cap. 16 n. 15), *Bellarm.* (I. lib. 4 Cap. 11), *Est.*, *Malv.*, *Menoch.*, *Tirin.*, *Lap.*, *Calm.*, *Duguet*, *Clair ;* ut eam *Sanct.* appellaverit « veram, et paene communem posteriori saeculo », et oppositam *Tirin.* « paene temerariam ».

Ineunte saeculo decimo septimo sententiam Patrum resuscitavit *Reginaldus Scotus*, mitigata forma. Cum ipsis negabat, animam Samuelis apparuisse, sive a Deo submissam, sive a daemone adductam ; ipsum vero, qui 1 Reg. 28 describitur, eventum non illusioni daemoniacae tribuebat, sed fraudi mulieris. Saul, uti supra monuimus, nihil vidit ; sed neque mulier. Simulata est se videre apparitionem, finxit Samuelis verba, regi illusit. Hanc sententiam propugnavit *Van Dale* (de orig. et progressu idololatriae p. 620 sq. ; Dissert. de divinatione idol. sub V. T.), *Cler.*, *Then.*, *Speaker 's commentary*, aliique. Leve inter hanc Patrumque sententiam intercedit discrimen, quodque non tam in dogmatica vel scripturistica aliqua ratione consistit, quam potius in quaestione, quousque humana astutia daemoniacos illos effectus imitari valeat.

Diversarum sententiarum patronos recensuimus : iam, quae potioris sunt momenti, *argumenta* examinabimus.

Praecipua eorum, qui ipsum Samuelem apparuisse censent, argumenta haec sunt :

1) Sensus obvius narrationis est, ipsum Samuelem apparuisse : mulier Samuelem describit, Saul illum agnoscit, Samuel respondere affirmatur.

2) Terror mulieris v. 12 ostendit,aliquid praeter leges artis necromanticae accidisse, quod non potuit esse aliud, quam ipsius Samuelis apparitio.

3) Praedictio fuit vera, ergo divina. Audi *Duguet* : « Ille, qui regi apparuit, ei futura praedixit, tot adiunctis definita, tot individuis notis distincta, quot nullus unquam creatus intellectus coniectura assequi potuisset, omni immunis errore. Unde norat daemon, pugnam foredie proxime sequenti, eamque Israelitis iniquam, maxime cum regis oraculo praemoniti summe interesset pugnam declinare, neque id factu difficile esset ? Unde norat, Saulem occisum iri una cum tribus filiis, diversis locis (?) pugnantibus, stragem fore universalem, ipsa castra desertum atque direptum iri ? »

4) Eccli. 46,23 de Samuele ait : « Et post hoc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis ».

Veteres auctores, qui Eccli. non citant, non raro meminerunt additamenti *LXX* ad 1 Par. 10,13, quod ipsi pro inspirato habebant : « quia consuluit Saul pythonissam, ut inquireret, et respondit ei Samuel propheta ». Hic textus aeque explicitus est, atque Eccli. 46,23 : unde, qui, eo non obstante,defendunt non ipsum Samuelem apparuisse, censendi sunt neque ob Eccli. 46,23 sententiam fuisse mutaturi.

Ad haec argumenta reponunt ii, qui Samuelem apparuisse negant.

1) Sensus obvius narrationis nequaquam is est, ipsum Samuelem apparuisse. S. auctor refert factum, quale illud, traditione aut immediata aut mediata, a Saule, aut a duobus eius comitibus, aut a muliere didicerat : nullam tamen facti explicationem dare conatur. Mulierem refert dixisse, se aliquid videre : videritne revera, non disquirit. Saulem ait ex mulieris descriptione iudicasse adesse Samuelem : prudenterne iudicaverit necne, non definit. Samuelem dicit respondisse, eum sc. qui Samuel esse indubie existimabatur ; cf. supra *Aug.* et *Theodoret.* explicationes.

2) Terror, qualis in muliere describitur, potius suspicionem generat adhibitae a muliere fraudis. Quodsi enim reapse divinitus submissa apparitio in locum exspectati a muliere spectri subintrasset, nonne debuit ea substitutio mulierem ingenti omnino terrore replere ? Atqui non tam ipsa apparitio videtur mulierem terrore perculisse, quam ex apparitione derivata notitia, regem praesentem adesse : nulla enim intermissa mora, exclamat mulier « Tu es Saul ! » Ubi autem rex eam bono esse animo iubet, statim pergit mulier quiete ex ordine ea, quae videt aut videre se simulat, describere, non veluti persona ingenti aliquo terrore oppressa. Apparitionem Saul non videt, nisi per pythonissam : num decens erat mulierem magicis artibus addictam seligi tamquam instrumentum, quo Saul particeps fiat apparitionis divinitus submissae ?

3) Argumentum ex veritate praedictionis petitum quod attinet, audi *Calm.* adversarium : Quod eo oraculo pandebatur, non superabat « sive daemonis, sive etiam feminae pythonissae scientiam. Saulis reprobatio, Davidis substitutio res erant in toto late Israele notissimae. Afflictae Saulis res, despondentes militum animi, ipse rex ad

ultimam desperationem adductus, haec, inquam, omnia latere neminem poterant. Has animi angustias, summumque rerum suarum discrimen Saul ipse feminam adiens manifestavit. Post haec autem omnia mirum fuerit, si de sinistro belli eventu certum femina oraculum pronuntiavit? » Immerito igitur affirmat *Duguet,* nullo creato intellectu potuisse tot adiuncta, praenosci. Potuerunt, si quis attente observasset prophetarum de Saule et Davide oracula, Saulis extremam animi abiectionem. Vox « cras » non diem proxime sequentem exclusive designat, sed latiori etiam acceptione tempus proxime insequens *(Hier.* 26. 46). Filios cum patre occisum iri, inde probabile evadebat, quod ipsi divino oraculo a successione excluderentur. Neque dicas, Sauli tam facile futurum fuisse pugnam declinare. Id si attentasset, solummodo illud indeterminatum « cras » procrastinasset. Dein ipsum oraculum eiusmodi erat, quod Saulem in extremam propelleret desperationem et ita impletionem efficaciter promoveret.

4) Eccli. 46,23 quod attinet, primum habes auctoritatem *S. Thomae,* qui, re maturius perpensa, difficultatem solvi posse existimavit; habes tot Patrum et antiquorum scriptorum, qui vel Eccli. 46,23 vel additamentum LXX ad 1 Par. 10,13 quod ipsi credebant inspiratum, prae oculis habebant, placitum; recole *Theodoreti* explicationem supra relatam. Reapse Eccli. non est censendus novam aliquam pandere revelationem, sed 1 Reg. 28 relata suo modo referre: non est 1 Reg. 28 ex Eccli. 46,23 explicandum, sed vice versa Eccli. 46, 23 ex 1 Reg. 28. Huc etiam redit *Ianssenii* explicatio (ap. Suar.), « Spiritum Sanctum in utroque loco tenuisse eundem modum loquendi circa phantasticum Samuelem, qualem Saul et pythonissa decepti esse putarunt ». Quomodo vero Eccli. laudi vertit Samueli rem, quam Samuel non fecit? Potuit id laudi verti Samueli, sicuti Eccli. 48,14 laudi vertitur Elisaeo, quod emortuorum ossium contactus mortuum vitae restituerit: « mortuum prophetavit corpus eius »; sicuti laudi vertitur magno illi heroi Cid, quod eius cadaver equo impositum Maurorum aciem fugaverit. Potuit id laudi verti eo magis in poetica oratione, quali Eccli. utitur, et quidem sive phantasma aliquod Samuelis figuram imitans revera intervenerit, sive totam apparitionem mulier finxerit. Toti enim ei eventui interfuit specialis Dei providentia, intuitu Samuelis concessa, qua momenta omnia ad eius implenda vaticinia dirigerentur.

Pro sententia *Reginaldi Scoti* addi potest haec ratio, non esse recurrendum ad daemonis interventum, si res per mulieris fraudes explicari queat: potest autem. Mirae enim sunt praestigiatorum artes; facile decipi potuit rex superstitiosus et trepidus, qui omnia credere esset paratus; mulierem incitabat desiderium ultionis obtinendae pro interfectis a rege artis suae sociis; prophetiae de Saule et Davide editae iam publici iuris erant, atque ex illis cum reliquis adiunctis comparatis eventus imminentis proelii sat probabili coniectura praesagiri poterat.

Ceterum, quamcunque demum sententiam sequaris, lector benevole, cura ut feceris animo ab omni praeiudicio immuni. Qualem fortasse non omnes ii servaverunt, qui de hac quaestione disputaverunt. Etenim ad defendendam sententiam, ipsum Samuelem apparitioni nequaquam interfuisse, aliquos veteres scriptores movit etiam desiderium eliminandae *Orig.* sententiae, animam Samuelis esse a daemone adductam: ad quam sententiam eliminandam, non est necesse, omnem Samuelis interventum negare. Rursum ad recedendum ab antiquorum sententia, de apparitione mero praestigio daemonis effecta, non parum movit aliquos saeculi decimi septimi auctores novatorum audacia, factum eo detorquentium, ut communionem vivos inter atque defunctos fideles negarent. At nihil novatorum placito ex illo facto roboris accedere, quis non videt? Nec desunt alia argumenta bene multa, quibus illa communio inconcusse stabiliatur. Quaestio hinc agitur pure exegetica, ex solis rationibus exegeticis definienda.

Pauca h. l., quo ultimo de Samuele agit s. narratio, de viri indole subiicere lubet. Fuit is propheta magnus : fructus precum et lacrimarum piae matris, in sanctuario adolevit, inter praevaricatores impollutus. Vacuus sui, plenus Deo, quasi lucerna eluxit in tempore caliginoso, et zelatus est pro cultu et arca et gente. Nihil ei exosius idololatria, nihil fiducia in Deum sanctius. Precator validus precibus victoriam impetravit 7, 9, precibus regni institutionem 8, 6 cum Deo discussit, precibus Saulis interitum 15, 35 ad propriam usque mortem distulit, precibus Davidem successurum 16, 1 sqq. agnovit. Dicendi genus nervosum, concisum, igneum, modo populum ad poenitentiam commovens 7, 3, modo 12, 4 eiusdem approbationem extorquens fragoremque 12, 18 de coelo eliciens, modo 15, 24 perfidum regem ad sceleris confessionem adigens. Rarus, dum adolesceret, propheticus sermo fuerat : senem circumsaltabant chori prophetarum, quibus instruendis in loco prope Ramam assiduam operam navabat. Eius encomium Eccli. 46, 16-23 celebratur. Potissima eius laus *institutum regnum* fuit, primum eo loco celebratum : « Dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta Domini, renovavit imperium, et unxit principes in gente sua ». Altera laus *iudicis officium* integre administratum, eaque tanto illustrior, quo hinc desidia Heli praecesserat, illinc filiorum intercesserat avaritia : « In lege Domini congregationem iudicavit, et vidit Deus Iacob », i. e. et respexit Deus Iacobum. Accedit *prophetiae* charisma : « In fide sua probatus est propheta, et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis ». Praeter tria haec officia tres particulares eventus a s. vate commendantur, victoria de Philisthaeis precibus impetrata : « Invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati : et intonuit de coelo Dominus, et in sonitu magno auditam fecit vocem suam, et contrivit principes Tyriorum et omnes duces Philisthiim » ; apologia administrati iudicis officii : « et ante tempus finis vitae suae et saeculi, testimonium praebuit in conspectu Domini et christi ; pecunias et usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, et non accusavit illum homo » ; tandem Saulis, de qua modo disseruimus, apud pythonissam reprobatio : « Et post hoc dormivit, et notum fecit regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis ».

3) David, ex acie relegatus, Amalecitas fundit 1 Reg. 29, 1-30, 31.

Cap. XXIX v. 1 « *Congregata sunt ergo Philisthiim universa agmina in Aphec, sed et Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrahel* ». Differt utique hoc Aphec, quod haud longe abest a Gelboe, ab

altero Aphec 4, 1 ; ex 3 Reg. 20, 23. 26 patet, fuisse in regione plana et aperta, exercitui Philisthaeorum explicando aptissima. Iezrahel, civitas tribus Issachar, haud longe a Sunam Ios. 19, 18, regum tempore frequenter nominata, hodie Zerin. Fontem illum putarim fuisse inter Iezrahel et Gelboe. Loci hi sane diversi sunt ab illis 28, 4 descriptis, Sunam et Gelboe. Supponi potest, Philisthaeos de Sunam recessisse in Aphec, locum eorum equitatui et curribus magis accommodatum, et Hebraeos secutos esse de Gelboe in Iezrahel. Sed totus versus etiam legi potest in plusquamperfecto, ut Philisthaei prius devenerint in Aphec, indeque progressi sint in Sunam (*Calm.*) et, quae hoc capite narrantur, acciderint in itinere. v. 2 « *Et satrapae quidem Philisthiim incedebant in centuriis et millibus, David autem et viri eius erant in novissimo agmine cum Achis* ». Cf. Num. 2, 31 ; Deut. 13, 9 (10). Erat igitur tum Philisthaeorum mos, in centuriis et millibus ad certamen prodire. Sed etiam apud Hebraeos obtinebat idem mos, cf. 8, 12 ; 18, 13. « *Dixeruntque principes Philisthiim ad Achis : Quid sibi volunt Hebraei isti ?* » non est hic eorum locus, ob rationem v. 4 enuntiandam. « *Et ait Achis ad principes Philisthiim : Num ignoratis David, qui fuit servus Saul, regis Israel, et est apud me multis diebus vel annis, et non inveni in eo quidquam ex die, qua transfugit ad me, usque ad diem hanc ?* » Verte *est apud me iam duos annos,* et cf. 27, 7, ubi David dicitur moratus esse apud Achis annum et quatuor menses. Annus inchoatus pro integro numeratur.

Hebr. Vulg. Chald. זה ימים או זה שנים, *iam dies vel iam annos* ; *LXX* ימים זה שנים ; *Syr.* שנים ויומים. Hinc ex *Hebr. Vulg. LXX Chald.* infer שנים altero, ימים priori loco esse scribendum, זה semel certe lectum esse, quod probabilius collocabis initio, ut genuina lectio fuerit זה ימים שנים (*Wellh.*). Addendum fuerat שנים *duo,* quia pluralis ימים, significatione sing. *annus,* dualem non habet. Sed pro שְׁנַיִם quam punctationem retinuit *LXX, Masor. Vulg. Chald.* punctarunt שָׁנִים ; hinc, ut aliquis esset sensus, irrepsit copula ו (*Syr.*), quae excrevit primum in או, dein in או זה, repetito pronomine. — *Qua transfugit ad me, Hebr. qua obtigit mihi,* נפלו [לי], *germ.* « er fiel mir zu ». לי legebant omnes versiones, sed in *Hebr,* illud excidit ob similem terminationem praecedentis vocis.

v. 4 « *Irati sunt autem adversum eum principes Philisthiim, et dixerunt ei : Revertatur vir iste, et sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, et non descendat nobiscum in proelium, ne fiat nobis adversarius, cum proeliari coeperimus. Quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris ?* » *In capitibus nostris* legunt *Vulg. Syr.* h. l., et *Hebr. Vulg. Syr.* 1 Par. 12, 19, ubi noster textus citatur ; *in capitibus virorum istorum,* i. e. circumstantium Philisthaeorum, legunt *Hebr. LXX. Chald.* h. l. et *LXX* 1 Par. 12, 19 :

critice aequiprobabiles sunt lectiones. v. 5 « *Nonne iste est David, cui cantabant in choris, dicentes : Percussit Saul in millibus suis, et David in decem millibus suis ?* » Cf. 18, 6 sq. v. 6 « *Vocavit ergo Achis David, et ait ei : Vivit Dominus, quia rectus* » i. e. sincerus, fidelis, cf. 27, 12, « *es tu, et bonus in conspectu meo, et exitus tuus et introitus tuus* » — *Hebr. Chald. Syr.* copula omissa *bonus est in conspectu meo exitus tuus et introitus tuus*, i. e. quidquid agis, cf. 2 Reg. 3, 25 — « *mecum est in castris, et non inveni in te quidquam mali ex die, qua venisti ad me, usque in diem hanc ; sed satrapis non places* ». Vix putarim Achis per nomen Iehovae (*Vivit Dominus*) iurasse ; sed s. auctor id, quod Achis dixit, expressione refert, quam Iudaeus dixisset (*Calm.*). *Sanct.* : « Captat prius benevolentiam Davidis, cui id etiam futurum esse molestum existimabat », quod regulis displiceret.

v. 7 « *Revertere ergo, et vade in pace, et non offendas oculos satraparum Philisthiim* ». *Hebr. non facias malum in oculis etc.*, non facias id, quod ipsis displicet. v. 8 « *Dixitque David ad Achis : Quid enim feci, et quid invenisti in me, servo tuo, a die, qua fui* », esse coepi, « *in conspectu tuo, usque in diem hanc, ut non veniam, et pugnem contra inimicos domini mei regis?* » David certe pugnare contra Hebraeos nolebat : ubi vero intellexit, se certo dimittendum, institit quo invitior tandem videretur recedere, omnemque regi adimeret suspicionem. Finxit se non credere, quod rex protestabatur, nulla se re a Davide offensum esse ; vehementem simulat ardorem pro ipso pugnandi (*Sanct.*). v. 9 « *Respondens autem Achis, locutus est ad David : Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei ; sed principes Philisthinorum dixerunt : Non ascendet nobiscum in proelium* ». Achis tam anxius est, ut Davidi suspicionem adimat, ut pleonasmo quodam et exaggeratione loquatur : *Scio*, non solum coniicio aut praetendo ; *in oculis meis*, meo iudicio, ex animo quippe loquor ; *sicut angelus Dei*, comparatio eo tempore non infrequens (cf. 2 Reg. 14, 17. 20 ; 19, 27), non nimis premenda. v. 10 « *Igitur consurge mane, tu et servi domini tui, qui venerunt tecum ; et cum de nocte surrexeritis et coeperit diluescere, pergite* ». Vult eos prima luce proficisci, ne pugnae implicentur. Sicut Davidem v. 3 vocaverat servum Saul, ita eius socios nunc vocat servos Saul ; vel dicas cum *Wellh.* : « Quod Philisthaeus Saulem appellet Davidis dominum, Davidisque bellatores Saulis milites, non plus habet admirationis, quam quod v. 9 per Iehovam iuret ». v. 11 « *Surrexit itaque de nocte David ipse et viri eius, ut proficiscerentur mane, et reverterentur ad terram Philisthiim ; Philisthiim autem ascenderunt in Iezrahel* » (v. 1) ad pugnam. *Rup.* : « Utique Deo providente factum est, ut David, legitimus rex, neque proditor neque hostis patriae iudi-

cari posset. Denique, si bello admissus contra suos proeliaretur hostis patriae, si ad suos converteretur deserto rege, ad quem confugerat, quique illum quasi fidelem custodem capiti suo posuerat, infamis existeret perfidi proditoris crimine ».

Cap. XXX v. 1 « *Cumque venissent David et viri eius in Siceleg die tertia* », inde a profectione ex Aphec vel ex Geth (*Clair*), « *Amalecitae impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, et percusserant Siceleg, et succenderant eam igni* ». v. 2 « *Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum; et non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, et pergebant itinere suo* ». Irruperunt Amalecitae, ut ulciscerentur cladem a Saul acceptam, et magis etiam incursiones ipsius David 27, 8 (*Sanct.*) ; quarum ignarus Achis omnes Hebraeos ex urbe sibi adsciverat, nihil ab Amalecitis foederatis periculi timens.

Ex parte australi : lege *in Negeb*, illud enim nomen proprium evaserat regionis ad austrum Iudaeae sitae, ac maxime Philisthaeae. Ita h. l. sumi patet ex iuxtapositione *in Negeb et in Siceleg.* — Solae mulieres cum liberis substiterant. Ceterum *a minimo usque ad maximum* ita evasit expressio proverbialis, ut nequidem h. l. genere feminino ponatur ; cuius anomaliae corrigendae studio orta esse videtur lectio *Syr.* האנשים pro הנשים. *LXX* pro *mulieres ex ea* habent *mulieres et omnia, quae in ea erant,* qua lectione parum diversa illa utique anomalia tollitur.

v. 3 « *Cum ergo venissent David et viri eius ad civitatem, et invenissent eam succensam igni, et uxores suas et filios suos et filias ductas esse captivas* », v. 4 « *levaverunt David et populus, qui erat cum eo, voces suas et planxerunt, donec deficerent in eis lacrymae* ». v. 3 resumit constructionem v. 1 inchoatam, in quam narratio depraedationis Amalecitarum inserta fuerat. Cum David sit subiectum praecipuum narrationis, iam quae ipsi individue obtigit ratio dolendi, v. 5 exponitur : « *Siquidem et duae uxores David captivae ductae fuerant, Achinoam Iezrahelitis, et Abigail, uxor Nabal, Carmeli* ». v. 6 « *Et contristatus est* » — *Hebr. et angustiatus est,* cf. Iud. 2, 15 — « *David valde; volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscuiusque viri super filiis suis et filiabus* ». Ad tristitiam accessit vitae ipsius discrimen : populus ipsi culpae vertebat, quod Amalecitas provocasset et, nullo relicto praesidio, discessisset (*Calm.*); aut generatim, quod eo imperante tantum accidisset infortunium. Non raro quippe in rebus adversis plebis indignatio contra superiores exardescit. « *Confortatus est autem David in Domino Deo suo* », v. 7 « *et ait ad Abiathar sacerdotem, filium Achimelech : Applica ad me ephod.* » Saul, in angustiis longe minoribus desperans, a pythonissa quaerit solamen : David confortatur in Domino. Oraculum per ephod, illi negatum, huic conceditur. *Ad me*

deest apud *LXX*, uti etiam incisum immediate sequens. Ceterum textus ostendit, applicationem ephod praeviam fuisse interrogationi, cf. 23, 9 sq. « *Et applicavit Abiathar ephod ad David* », v. 8 « *et consuluit David Dominum, dicens : Persequar latrunculos hos, et comprehendam eos, annon? Dixitque ei Dominus : Persequere, absque dubio enim comprehendes eos, et excuties praedam* ».

Latrunculos : reliqui *turmam* ; *Theodoret.* πειρατήριον, piratarum agmen. — Recte *Wellh.* notat, ex responso *Persequere* patere, priorem quaestionem esse principaliorem, neque alteri subordinari (Si persecutus fuero, assequarne?). Nolim tamen etiam priori quaestioni הֲ praefigere. Est enim diversitas quaestionum, cui apte respondet diversitas constructionis : prior est quaestio de re facienda, altera quaestio de facto futuro. — Ex hoc textu licet in dubium vocare, quod dicunt aliqui ad 23, 11 sq., hoc genus oraculi semper unico tantum verbo respondisse : nisi dicas, responsum fortasse unica voce *Persequere* constitisse, quam s. auctor reliquis adiectis explicaverit.

v. 9 « *Abiit ergo David, ipse et sexcenti viri, qui erant cum eo, et venerunt usque ad torrentem Besor* », cuius situm ignoramus ; « *et lassi quidam substiterunt* ». v. 10 « *Persecutus est autem David, ipse et quadringenti viri ; substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor* ». Non ideo necessario, quod nimiae essent aquae torrentis, sed quod, viribus deficientibus, torrentis vicinia ad subsistendum invitaret. Continua et longa fuerant itinera praecedentium dierum, et in exusta urbe Siceleg Davidis socios annona defecerat.

1 Par. 12, 20 sq. enumerantur octo principes millium de tribu Manasse : « Hi praebuerunt auxilium David adversus latrunculos, omnes enim erant viri fortissimi ». Item v. 1 sqq. enumerantur amplius viginti Beniaminitae, « qui venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul ». Ex his licet fortasse colligere, numerum illorum « sexcentorum viorum », qui erant cum David (cf. 25, 13) fuisse valde incertum.

v. 11 « *Et invenerunt virum Aegyptium in agro, et adduxerunt eum ad David, dederuntque ei panem, ut comederet et biberet aquam* », v. 12 « *sed et fragmen massae caricarum, et duas ligaturas uvae passae* ». Cf. ad 25, 18. *Hebr.* sane planius *dederuntque ei panem, et manducavit, et potaverunt eum aqua.* Panis pro cibo ponitur, et aqua pro potu, cf. 25, 11 ; 26, 11 ; 28, 22 ; quod ergo modo panis dicitur, non est aliud quam fragmen illud caricarum et duae ligaturae. Ligaturae uvae passae desunt apud *LXX*, et *Wellh.* contendit, fragmen massae caricarum abunde suffecisse refectioni : utique, si sat magnum fuit. « *Quae cum comedisset, reversus est spiritus eius, et refocillatus est ; non enim*

comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus et tribus noctibus.» v. 13 « *Dixit itaque ei David : Cuius es tu, vel unde, et quo pergis ? Qui ait : Puer Aegyptius ego sum, servus viri Amalecitae ; dereliquit autem me dominus meus, quia aegrotare coepi nudiustertius* ». v. 14 « *Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, et contra Iudam, et ad meridiem Caleb, et Siceleg succendimus igni.* »

Hebr. Nos irrupimus in Negeb Cerithi, in illud (*Negeb*), *quod pertinet ad Iudam, et in Negeb Caleb.* De nomine regionis Negeb diximus v. 1. Iam ille tractus meridionalis a variis obtinebatur gentibus, quae h. l. ab oriente ad occidentem enumerantur. Cerethi tribus quaedam Philisthaeorum erant, quibuscum Ez. 25, 16 ; Soph. 2, 5 identificantur, incolebantque litus oceani. Inter Cerethi et Caleb plures minores familiae tribus Iuda habitabant. Caleb praepotens erat familia eiusdem tribus, quae videtur usque ad Mare Mortuum (cf. 25, 3) sedes obtinuisse.

v. 15 « *Dixitque ei David : Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait : Iura mihi per Deum, quod non occidas me, et non tradas me in manus domini mei, et ego ducam te ad cuneum istum. (Et iuravit ei David)* ». Ultima verba videntur esse expungenda *(Verc.)*. Occisionem sibi metuebat, quod pertinuisset ad agmen hostile, et Siceleg esset praedatus. Quaeres, qui potuerit Aegyptius nosse, quo loco, triduo intermisso, versarentur Amalecitae : « latrones certa solent designare loca, in quae conferant, quae furto sustulerunt » *(Sanct.)*. v. 16 « *Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universae terrae, comedentes et bibentes, et quasi festum celebrantes diem pro cuncta praeda et spoliis, quae ceperant de terra Philisthiim et de terra Iuda* ». Philisthiim sane h. l. intelliguntur Cerethi. v. 17 « *Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, et non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos et fugerant* ». Cum *LXX* verte *viri servi*, ex Aegypto vel aliunde collecti. Amalecitis pro vita et possessionibus dimicantibus, servi conscensis camelis diffugerunt, illisque fugae opportunitatem ademerunt.

A vespere : potius verte cum *LXXSyr. ab aurora* (*Ios.* « ab hora prima »), nam נשף h. l. certe aliud est ab ערב immediate sequenti : hostes, qui magnam noctis partem in crapula transegissent, prima luce somno oppressi impetebantur, cf. 11, 11. — *Usque ad vesperam alterius diei,* ערב לממחרתם. Suffixum certe est mendosum, cum sensu careat et a *Vulg. LXX Chald.* ignoretur ; nec placet *Ges.* explicatio, non esse suffixum, sed terminationem adverbialem, uti in יומם, cum sic iam abundaret praefixum ל. *Syr.* legebat מאחריהם, *a tergo eorum* ; fortasse genuina lectio erat לאחרת, ergo *usque ad vesperam sequentem*, non tamen alterius diei.

v. 18 « *Eruit ergo David omnia, quae tulerant Amalecitae, et duas uxores suas eruit* ». v. 19 « *Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, et de spoliis ; et quaecunque*

rapuerant, omnia reduxit David ». *Hebr. a parvo usque ad magnum, et usque ad filios et filias,* qui utique magnis annumerabantur, *a praeda* generatim sumpta *usque ad singula, quae rapuerant.* Sic habetur ratio enumerationis, neque est necesse cum *LXX* invertere. v. 20 « *Et tulit universos greges et armenta, et minavit ante faciem suam, dixeruntque : Haec est praeda David* ». *Hebr. ante faciem possessionis huius.* Tulit sc. David greges ab iis, de quibus v. 19, diversos, ergo greges Amalecitarum proprios, non de Siceleg abactos, et minari curavit ante faciem omnium eorum, quae recuperaverant quaeque ad varios pertinebant ; et dixerunt : Haec est praeda David ; quam utique David exspectabatur omnibus esse distributurus, cf. v. 22.

v. 21 « *Venit autem David ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, et residere eos iusserat in torrente Besor ; qui egressi sunt obviam David et populo, qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice* ». Patet, populum altero loco intelligi ducentos viros. v. 22 « *Respondensque omnis vir pessimus et iniquus de viris, qui ierant cum David, dixit : Qui non venerunt nobiscum non dabimus eis quidquam de praeda, quam eruimus ; sed sufficiat unicuique uxor sua et filii, quos cum acceperint, recedant* ». *Respondebant* ad illorum occursum, bonorum omnium communionem praetendentem, ad comitatem et salutationem, a Davide illis exhibitam. *Hebr. Propterea, quod non venerunt mecum :* qui singularis עמי, ex mente uniuscuiusque individui loquentis (cf. 2 Reg. 21, 4), eundem sensum offert ; ceterum codices plures legunt עמנו. *Quos cum acceperint : Hebr.* valde acerbe *hos minent*, quasi de grege pecora, cf. v. 20. — v. 23 « *Dixit autem David : Non sic facietis, fratres mei, de his, quae tradidit nobis Dominus, et custodivit nos, et dedit latrunculos, qui eruperant adversum nos, in manus nostras* ». Concilians appellatio *fratres mei* (cf. 25, 8) h. l. valde apta est : « Demulcere vult, non uti autoritate » (*Clair*). Pro אחי את אשר *LXX* legunt אחרי אשר, sensu haud mutato. Apodosin incipe ab Athnach : Non sic facietis, fratres mei, quandoquidem tradidit etc. Deus, non nostra fortitudo, praedam nobis dedit (*Sanct.*). v. 24 « *Nec audiet vos quisquam super sermone hoc* », non est ferendus hic sermo : « *aequa enim pars erit descendentibus ad proelium, et remanentibus ad sarcinas, et similiter dividentur* ». Vide, quanta fuerit Davidis auctoritas in socios, libere ei adhaerentes (*Clair*). v. 25 « *Et factum est hoc, ex die illa et deinceps, constitutum et praefinitum et quasi lex in Israel usque in diem hanc* ». *Hebr. Et factum est, ut constitutum hoc in iustitiam et iudicium Israeli,* cf. Num. 31, 26 sq. Non est necesse cum *Syr.* supplere *ut constituerit David*, sed verbum sume impersonaliter, ut alias saepe.

Pulchre *Sanct.* : « Eodem tempore, quo Saul, postquam a pythonico spiritu oraculum rogarat, cum tota familia, et sua et Palaestinorum manibus, occubuit subiitque cum ignominiosa morte alia plurima a triumphante atque illudente populo ludibria, consulto Domino David et illo responsa reddente per ephod, victoriam reportabat de hoste Amalecita, redibatque cum populo iam libero atque hilari et triumphali voce personante. Vide, quam consilium dissimile, quam dispar exitus ».

v. 26 « *Venit ergo David in Siceleg, et misit dona de praeda senioribus Iuda, proximis suis, dicens : Accipite benedictionem* (cf. 25, 27) *de praeda hostium Domini* ». Putat *Sanct.*, haec dona missa esse post acceptum nuntium mortis Saul : et merito quidem. Davidis exercitus, tot gregibus impeditus, certe multo lentius in Siceleg reversus est, quam inde fuerat contra Amalecitas profectus. Dein certe unus alterve dies requiei concessus est, antequam dona, quae praecipue gregibus constitisse videntur, dimitterentur. Sed iam tertia post reditum in Siceleg die nuntius allatus est de caede Saul, 2 Reg. 1, 2. Iam ratio, cur David dona miserit senioribus, *amicis suis*, facile perspicitur : volebat suis rebus faventes in sui gratia confirmare ; eos, qui se antehac aversati fuerant, spe favoris conciliare ; omnium oculos in victoriam convertere, a se partam, quo ipso tempore Saul cum victoria vitam amiserat. v. 27 « *His, qui erant in Bethel, et qui in Ramoth ad meridiem, et qui in Iether* », v. 28 « *et qui in Aroer, et qui in Sephamoth, et qui in Esthamo* », v. 29 « *et qui in Rachal, et qui in urbibus Ierameel, et qui in urbibus Ceni* », v. 30 « *et qui in Arama, et qui in lacu Asan, et qui in Athach* », v. 31 « *et qui in Hebron, et reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David, ipse et viri eius* ».

Bethel commode intelligitur sanctuarium celebre tribus Ephraim *(Menoch.)* : illuc misit David dona titulo religionis, simul ut septentrionales tribus sibi devinciret. Non misit in sanctuaria Beniaminitica, Galgalam et Maspham, neque Ramam Samuelis, fortasse quod ibi nimium valeret auctoritate domus Saul, hic filii Samuelis, ab omni ambitione regni nequaquam immunes : summopere autem curandum erat Davidi, ne dona ad eos mitteret, qui ea detrectarent accipere ; id enim eius auctoritatem non auxisset, sed minuisset. Obiicitur, dona missa esse ad seniores Iuda, non Ephraim. Sed verba v. 26 non sunt exclusiva, quasi dona solis senioribus Iuda missa fuerint, et Bethel ideo videtur primo loco posita esse, quod ceteras urbes nobilitate antecelleret. Ceterum neque omnino respuenda est sententia *Keil*, Bethel idem esse h. l., quod Bethul (Ios. 19, 4) vel Bathuel (1 Par. 4, 30), urbs tribus Simeon, haud procul, uti videtur, a Siceleg sita. — *Ramoth Negeb* (cf. 27, 10) illa sane erat ex pluribus Ramoth, quae erat in provincia Negeb ; fortasse eadem quae Ios. 19, 8. — *Iether*, urbs in montanis Iuda Ios. 15, 48, sacerdotibus tributa 21, 14 ; 1 Par. 6, 57 sq. — *Aroer* : haec est Adada Ios. 15, 22 ; *LXX* h. l. Ἀμμαδί. *Sephamoth* et *Esthamo*, cf. Ios. 15, 50 ; 21, 14, urbes ceteroquin ignotae. — *Rachal* : legendum cum *LXX* Carmel, quae urbs inde a nuptiis Abigail utiquecerat Davidi amica. — *Ierameel* et *Ceni* habes 27, 10. — *Arama*

seu Harma Ios. 15, 30 pertinebat ad Negeb. — *Lacus Asan* : pro כור lege בור cum omnibus versionibus et codicibus hebr. compluribus ; ergo Bor Asan vel Ber Asan. Videtur esse idem locus, qui alias Asan appellatur, et cum Athach vel Ether copulatur ; cf. etiam 1 Par. 6, 59 (44). — *Athach.* Cum praecedente Asan coniunctum legitur : h. l., ubi *Hebr. Chald.* עתך, *Syr.* תענך ; Ios. 15, 42 עתר, *LXX* עתך ; 19, 7 עתר ; 1 Par. 4, 32 תכן, *LXX* תכע (?), *Syr.* אתכן. Hinc probabilius genuina nominis forma est Ether עתר. Forma תכן, mediantibus formis אתכן, תענך, videtur posse reduci ad עתך vel עתר. — Fecit igitur David, quod 25, 5 sqq. ipse a Nabal expetierat, simulque sibi eas civitates amicitia magis magisque devinciebat.

4) Saul a Philisthaeis vincitur et opprimitur 1 Reg. 31, 1-13.

Cap. XXXI. Iam redit s. scriptor ad narrationem eorum, quae Saulem inter et Philisthaeos gesta sunt ; quam eandem narrationem habes 1 Par. 10. v. 1 « *Philisthiim autem pugnabant adversum Israel, et fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, et ceciderunt interfecti in monte Gelboe* ». Videntur Iudaei ex Iezrahel fuisse repulsi in Gelboe *(Then.)* ; vel fortasse Gelboe ideo nominatur, quod robur exercitus Hebraeorum montana occupaverit ; vel ipse fons 29, 1 simul erat prope Iezrahel, et ad radices montis Gelboe. v. 2 « *Irrueruntque Philisthiim in Saul et in filios eius, et percusserunt Ionatham et Abinadab et Melchisua, filios Saul* ». cf. 14, 49. v. 3 « *Totumque pondus proelii versum est in Saul ; et consecuti sunt eum viri sagittarii, et vulneratus est vehementer a sagittariis* ». *Vulg. LXX* punctabant וַיָּחֶל *et vulneratus est ; Masor. Chald. Syr.* וַיָּחֶל *et timuit,* idque praeferendum ob sequens *valde,* quod verbis timendi saepe iungitur. המורים אנשים בקשת *sagittarii, viri arcus* (?), cum grammatica vix conciliari potest. *Chald. LXX* videntur legisse statum constructum אנשי ; ergo *sagittarii potentes arcu ;* vel אנשים omnino cum 1. Par. omittendum. v. 4 » *Dixitque Saul ad armigerum suum : Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi* » (cf. v. 9). Eousque ambo arcubus videntur contra sagittarios dimicasse. Summum opprobrium regi Israel, ab incircumcisis occidi. « *Et noluit armiger eius, fuerat enim nimio terrore perterritus ; arripuit itaque Saul gladium, et irruit super eum* ». Noluit armiger, non tam quod ratio ipsi reddenda esset creditae sibi vitae regis *(Then.),* sed, uti textus dicit, quod terrore exanimatus esset, sagittariis eum undique petentibus.

v. 5 « *Quod cum vidisset armiger eius, videlicet quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladium suum, et mortuus est cum eo* ». v. 6 « *Mortuus est ergo Saul et tres filii eius, et armiger illius, et universi viri eius in die illa pariter* ». Idem nonnihil succinctius 1 Par. 10, 6. Certe superstes fuit Abner, et alii quidam sine dubio ; at eiusmodi gene-

rales expressiones non sunt premendae. Aliud exemplum habes versu immediate sequenti : nonne 28,4 congregaverat Saul « universum Israel » ? sed en apparet, plurimos Israelitas ex utraque parte fluminis pugnae non interfuisse. v. 7 « *Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem et trans Iordanem, quod fugissent viri Israelitae, et quod mortuus esset Saul et filii eius, reliquerunt civitates suas et fugerunt ; veneruntque Philisthiim et habitaverunt ibi* ». Auctor, sistens in monte Gelboe, dividit regionem in partem occidentalem, quae ab eo monte ad et trans vallem Iezrahel protenditur, et partem orientalem, quae a monte extenditur ad flumen, cf. *Menoch.* Philisthiim Iordanem non traiecerunt.

v. 8 « *Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, ut spoliarent interfectos, et invenerunt Saul et tres filios eius iacentes in monte Gelboe* ». Interfecto Saul, Philisthaei ad multam noctem insecuti erant fugientes (*Sanct.*). Saul, ornamentis regis iam exutus 2 Reg. 1,10 ex vultu vel statura agnitus est. v. 9 « *Et praeciderunt caput Saul, et spoliaverunt eum armis, et miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum et in populis* ».

LXX miserunt ea ; sed melius absolute, intelligendo nuntios (*Ios.*), propter sequens *ad annuntiandum.* Pro בית *templo LXX* legunt את, idem habent *Hebr. LXX* 1 Par. 10, 9 ; sed *Vulg. Chald.* ibi, et reliqui omnes h. l. legunt בית. Quid tandem est : ut annuntiaretur idolis ?

v. 10 « *Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus vero eius suspenderunt in muro Bethsan* ». Templum Astaroth intelligitur celeberrimum in tota Philisthaea, fortasse illud, quod teste *Herod.* I. 105 antiquissimum omnium erat Ascalone. *Bethsan,* urbs tribus Manasse, sed intra fines tribus Issachar sita Ios. 17,11, postea Scythopolis nuncupata. Eousque videntur Philisthaei Iordanem versus processisse, et cadavera ad terrorem Iudaeorum exposuisse.

1 Par. 10,10 loco ultimi incisi legitur : « et caput eius affixerunt in templo Dagon ». Possibile utique est, aliquam textus corruptionem intercessisse ; sed pro certo id supponi nequaquam oportet. Licet enim auctor Par. nostrum utique textum prae oculis habuerit et satis accurate reddiderit, minime tamen constat, voluerit ne illum serviliter describere ; quin potius perspicuum est, eum sibi ius vindicasse, aliquas expressiones mutandi et aliqua adiuncta addendi. Aliquod trophaeum in nobilissimo fano Dagon (cf. 5,2) Azoti collocatum esse, de se satprobabile est ; aliunde corpus revera suspensum esse in muro Bethsan, patet ex itinere illuc a viris Iabes unica nocte instituto.

v. 11 « *Quod cum audissent habitatores Iabes Galaad, quaecunque fecerant Philisthiim Saul* », v. 12 « *surrexerunt omnes viri fortissimi,*

et ambulaverunt tota nocte, et tulerunt cadaver Saul et cadavera filiorum eius de muro Bethsan », ubi haec quoque affixa fuerant, « *venerunt-que Iabes Galaad, et combusserunt ea ibi* ». Vicem rependerunt Saul, quod se Ammonitarum obsidione (cap. 11) liberasset. Iudaei cadavera comburere non solebant. Id in Saule factum esse videtur non tam ideo, ut Philisthaeis omnis adimeretur facultas, illis cadaveribus ulterius illudendi (*Then.*), nam Iabes Galaad locus tutus erat et reputabatur, neque Philisthaei facile sepulcrum violassent; sed ideo potius, quod carnium putrefactio iam ulterius processerat, quam ut corpus more Iudaico condiri posset, unde etiam solae carnes combustae sunt, non ossa (*Vatabl.*). v. 13 « *Et tulerunt ossa eorum, et sepelierunt in nemore* », — *Hebr. sub terebintho* cf. 22, 6, — « *Iabes, et ieiunaverunt septem diebus* ». Pro magno infortunio habebatur, si pro defunctis luctus omitteretur : cf. Ps. 77 (78), 63 sq. Ad ritum huius luctus cf. Gen. 50.

Addit narrationi hanc clausulam 1 Par. 10, 13 sq. : « Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod praevaricatus sit mandatum Domini, quod praeceperat, et non custodierit illud, sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino; propter quod interfecit eum, et transtulit regnum eius ad David, filium Isai ».

LIBER SECUNDUS SAMUELIS

HISTORIA DAVID REGIS 2 Reg. 1-20.

Quae Historia cum, ex Intr. n. 8 dictis, partim ex fastis regni Davidici et partim aliunde sit petita, ad ordinem narrationis perspiciendum oportebit hanc duplicem documentorum classem secernere. Documenta quippe ex fastis transsumpta iam ibidem eodem, quo in nostro libro leguntur, ordine descripta fuisse in comperto est; unde eorum ordo a nostri libri ordine quadamtenus independens est. Hinc in tres partes haec Historia dispescitur: 1) regnum David in Hebron 1, 1-4, 12, cuius historia ex fastis non videtur fluxisse; 2) regnum Davidis in Ierusalem, ex fastis decerptum, 5, 1-11, 1 (cum 12, 29-31); 3) peccatum Davidis eiusque sequelae 11, 2-20, 26, quod rursum fasti ignorabant.

PARS I. REGNUM DAVIDIS IN HEBRON 2 Reg. 1-4.

Historicum ordinem sequitur narratio, in qua facili opera partes quasdam discernes. Duae sunt pericopae stili concisioris, quibus narrandorum veluti medulla exprimitur; quarum una 2, 1-4 *a* regnum Davidicum in Iudaea primum constitutum commemorat, altera 3, 1-5 idem, non obstante bello civili, firmius in dies roboratum ostendit. Altera omnino correspondet pericopae ex fastis 5, 13-16. Circa illas duas pericopas narrationes reliquae disponuntur. Habes igitur 1) regni Davidis in Hebron originem 1, 1-2, 7, quae origo summarie describitur 2, 1-4 *a*; praecedit 1, 1-27 Davidis luctus de interitu Saul, sequuntur 2, 4 *b*-7 gratiae a Davide Iabesitis redditae pro sepultura Saul. 2) habes regni Davidici in Hebron confirmationem 2, 8-4, 12; ubi primum narratur Isboseth regno contra Davidem potitus 2, 8-11; describitur 2, 12-32 proelium, in quo occidit

Asael, cuius mors causa fuit secutae necis Abner; 3, 6-39 refertur Abneri interitus, quem proxime secuta est 4, 1-12 ruina domus Saul.

1) Davidis luctus de Saul 2 Reg. 1,1-27.

Arg. — Nuntium mortis Saul accipit David in Siceleg ab Amalecita; quem, quod regem sua manu occidisse praetenderet, supplicio affecit; Saulis autem et Ionathae caedem lugubri cantico comploravit.

Cap. I v. 1 « *Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a caede Amalec, et maneret in Siceleg duos dies* ». v. 2 « *In die autem tertia apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa, et pulvere conspersus caput; et ut venit ad David, cecidit super faciem suam, et adoravit* ».

Vulg. negligit, quod reliqui omnes habent, alterum ויהי initio v. 2. Prodosis igitur sententiae est *factum est autem*, apodosis est v. 2. Adduntur prodosi verba *postquam mortuus est Saul*, ut generalis quaedam introductio narrationis rerum post Saulis obitum gestarum. Verba *et David reversus est a caede Amalec, et mansit in Siceleg duos dies* cum *LXX* interpretare parenthesin : dicturus quippe v. 2 de *tertia die* s. auctor, recolere debuit v. 1, unde ea tertia dies computanda esset, atque ita ad 1 Reg. 30 narrata reverti. Ergo vertes fere ita : Factum est autem post mortem Saul (David autem reversus a caede Amalec duos iam dies substiterat in Siceleg), ut tertia die appareret homo etc. — Praegnanter *Hebr. Chald. Syr. de castris, de cum Saul.* Ubi *LXX*, mutata punctatione, *de populo Saul* : at certe falso, cum v. 6 vir ille affirmet « Casu veni in montem Gelboe ».

v. 3 « *Dixitque ad eum David : Unde venis? Qui ait ad eum : De castris Israel fugi* ». v. 4 « *Et dixit ad eum David : Quod est verbum, quod factum est? Qui ait : Fugit populus ex proelio, et multi corruentes e populo mortui sunt, sed et Saul et Ionathas, filius eius, interierunt* ». Solus e filiis Ionathas nominatur, quod Davidi esset amicissimus, vel quod fere simul cum patre, ultima spes regni, occubuerit. Recte secundum sensum addit *Vulg. quod factum est;* nam aliquod verbum seu aliquid rei locum habuisse, vel ipse docebat nuntii aspectus. Eadem expressio recurrit 1 Reg. 4,16, quare perperam *Then.* emendat textum. v. 5 « *Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei : Unde scis, quia mortuus est Saul et Ionathas, filius eius?* » Factum nequaquam illico admittit David, sed auctoritatem examinat nuntiantis : sed facile admitti consuevere, quae exoptantur. v. 6 « *Et ait adolescens, qui nuntiabat ei : Casu veni in montem Gelboe, et Saul incumbebat super hastam suam; porro currus et equites appropinquabant ei* ». Saul, pugnando exhaustus, substiterat nixus lancea. *Hebr. occurrens occurri in monte Gelboe.* Amalecites fingit se nullius partis fuisse, et casu occurrisse : assertio

parum probabilis, ut homo neutrius partis in eum praecise locum se ingesserit, circa quem utraque pars acerrime dimicaret. v. 7 « *Et conversus post tergum suum vidensque me, vocavit. Cui cum respondissem : Adsum* », v. 8 « *dixit mihi : Quisnam es tu? Et aio ad eum : Amalecites ego sum* ». Utquid ea interrogatio? an ut intelligeret Saul, hostisne accederet, an amicus aut saltem innoxius advena? an, ut certior factus hominem non esse Hebraeum, alienigenam ad sui necem invitaret, quod Hebraeo nimis foedum fuisset, intulisse manus christo Domini? Ceterum audi *Sanct.* : « Ego hunc virum, sive Amalecita sit, sive Idumaeus, aut etiam Palaestinus (quis enim homini de patria credat, quem in aliis deprehenderit esse mendacem!), in tota hac narratione nihil dixisse puto, nisi ad suam utilitatem artificiose confictum. Qui fortasse in Palaestinorum castris militabat, et se Hebraeorum simulabat adhaesisse partibus, ut evangelia à Davide extorqueret splendida, de cuius gloria sese credebat esse egregie meritum ». Ergo nihil eius assertis contra inspiratam 1 Reg. 31 narrationem efficitur. v. 9 « *Et locutus est mihi : Sta super me et interfice me, quoniam tenent me angustiae, et adhuc tota anima mea in me est* ». Inerat corpori vitae plenitudo, sed spasmo ad tempus obstricta, unde ignominiosa immineret captivitas.

Sta super me, i. e. « consurge adversum me », uti *Vulg.* vertit 1 Par. 21,1 ; Dan. 8,25 ; 11,14 ; cf. etiam Lev. 19,16. — Radix שבץ parum est explorata, videtur habere significationem texendi, commiscendi. *LXX Syr. caligo*, *Chald. tremor,* quae omnia, sicut etiam *angustiae*, ad vertiginem videntur posse revocari : sed minus huic aptatur, quod sequitur, *et adhuc tota anima mea in me est*. Unde fortasse cum *Aq.* et *Rabbinis* praeferendus erit *spasmus*, *gall.* « crampe », qui facile pugna diutius protracta inducitur ; et optime quadrant sequentia.

v. 10 « *Stansque super eum* », consurgens adversus eum, « *occidi eum : sciebam enim, quod vivere non poterat post ruinam* ».

Hebr. post casum suum. Saul nondum conciderat in terram, antequam eum Amalecita adoriretur, hasta nixus v. 6 constiterat. Ergo recte *Vulg. post ruinam*. Cur non poterat vivere? quod desperatione, pudore consumendus esset; vel planius quod, rebus suis et Hebraeorum misere perditis, Philisthaeorum manus effugere non posset. Ergo sensus est : occidi eum, quod occidendum tandem scirem ; ita se excusat Amalecita de illata christo Domini nece. — In sequentibus versiones omnes legebant articulum, ergo הצעדה pro אצעדה, *armillam*.

« *Et tuli diadema, quod erat in capite eius, et armillam de brachio illius, et attuli ad te dominum meum huc* ». Diadema sane et armilla irrefragabile erant argumentum mortis Saul, ostendebant etiam nuntium in monte Gelboe praesentem adfuisse ; reliqua vero narratio, vel ex integro vel utique magna ex parte, erat conficta. Amalecitarum certe aliqua pars (cf. 1 Reg. 27,8 sqq.) Philisthaeis societate devincta erat; gens erat ob

latrocinia famosa; ille fortasse Amalecita nihil praestiterat, quam ut, ipsa proelii nocte (cf. 1 Reg. 31,8), Saulis cadaver diademate atque armilla spoliaret. Festinatio, qua ipse, Amalecita cum esset, ad Davidem convolavit, ostendit, eum sola spe praemii instigatum fuisse. Praeter fausti autem nuntii primatum, vindicabat sibi Amalecites ille meritum occisi propria manu Saulis, velabat hostilem, quem in proelio contra Hebraeos gesserat, animum improbabili illa assertione « casu veni », Davidemque alloquio « dominus meus » demulcere studebat.

v. 11 « *Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo* » — *Hebr. et etiam omnes*, i. e. et pariter omnes —, v. 12 « *et planxerunt, et fleverunt, et ieiunaverunt usque ad vesperam super Saul, et super Ionathan filium eius, et super populum Domini, et super domum Israel, eo quod corruissent gladio* ». Planctus funebris verbis constabat et exclamationibus. Id patet quum ex more Orientalium universali, tum ex textibus : Mich. 1,8 (dracones et struthiones non utique lacrymis, sed sonis inconditis planctum edebant) ; Ier. 22,18 ; 34, 5; 2 Reg. 3,31 sqq. ; 3 Reg. 13,30. Imprimis הוי seu « Vae » inclamabatur. Iam versus videtur, oratione indirecta, praecipuas efferre exclamationes, quas tunc usurpavit David virique eius, hoc fere modo : Vae, Saul! Vae, Ionathan! Vae, populo Domini! Vae, domus Israel! In eiusmodi planctu exclamationes, vel eaedem vel synonymae, frequentius iterabantur, cf. Ier. 22,18 ; 2 Reg. 18,33. Perperam ergo *Wellh.* exinde, quod *populus Domini* idem sit atque *domus Israel*, conatur efficere, *LXX* primitus, uti nunc, legisse עם יהודה pro עם יהוה, *populus Iuda* pro *populus Domini*. Eam praeter LXX nullus textus sequitur lectionem. Alii negant, expressiones esse plane synonymas, sed exprimi luctum de clade, primum domus regiae, dein populi a Deo specialiter electi, tandem populi qui naturali consanguinitate lugentibus esset copulatus. Nota tamen, ipsum nomen Israel esse divinae electionis, non merae consanguinitatis.

v. 13 « *Dixitque David ad iuvenem, qui nuntiaverat ei : Unde es tu* »? Didicerat David v. 8, cuius gentis nuntius esset ; nunc cupiebat discere, ad quam partem gentis pertineret, utrum ad eam, quae, extra fines Iudaeae habitans, Philisthaeis se foedere iunxerat et iusto proelio Saulem fuerat aggressa, an ad eam, quae ut *advena* terram Israel incolebat regemque Israel revereri tenebatur. Advenae David crimini vertit actum, quem in hoste fortasse non ita vituperasset. « *Qui respondit : Filius hominis advenae Amalecitae ego sum* ». v. 14 « *Et ait ad eum David : Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres christum Domini?* » Ergo David intelligebat malitiam suicidii. Quodsi enim, eius opinione, licuisset Sauli adimere sibi ipsi vitam, licuisset utique alteri Sau-

lem iubentem interficere. v. 15 « *Vocansque David unum de pueris suis, ait : Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, et mortuus est.* » Hebraeo cuivis ius erat, imo obligatio, ulciscendae necis christi Domini. v. 16 « *Et ait ad eum David : Sanguis tuus super caput tuum : os enim tuum locutum est adversum te, dicens : Ego interfeci christum Domini* ». David non examinavit accuratius, verane essent, quae Amalecita praetenderat (*Clair*). Quodsi is revera hostis erat, non advena, uti ipse affirmabat, ementito praetextu Davidis urbem ingressus, iustas temeritatis poenas morte luebat. Si advena erat neque tamen Saulis interfector, iuste sui ipsius utvis falsus accusator interimebatur, maxime tempore belli et publicae commotionis. Si advena erat et interfector, regicidii poenas luebat. Utut rem concipias, eius sanguis erat super caput eius. « Accedit, quod fuerit Amalecita, in quem universorum Dominus tulerat sententiam mortis » (*Theodoret.*).

Sanguis tuus posset intelligi obiective, sc. a te effusus *(Vatabl.)*. Melius intelligitur subiective : tuus proprius sanguis meo iussu fundendus (*Mar.*). Quem sensum suadent Lev. 20, 9 ; Ios. 2, 19 ; 3 Reg. 2, 37 ; neque inepte appellat *Calm.* Matth. 27, 25 « Sanguis eius super nos », et exponit *Lap.* : « Sanguinis tui effusionem tibi tuoque capiti imputa, quia fassus es, te occidisse Saulem regem ». Porro sanguinem intelligi responsabilitatem effusi sanguinis, recte perspexit *Chald.* vertens *culpa occisionis tuae.*

v. 17 « *Planxit autem David planctum huiuscemodi super Saul et super Ionathan, filium eius* ». Hinc et ex 2 Reg. 3, 33 et 2 Par. 35, 25 videtur effici, קינה non esse quemlibet planctum, sed canticum funebre. Quod sane pars fuit planctus, de quo v. 12, quique duravit usque ad vesperam ; subiicitur hic per modum appendicis ad prius narrata. Quando vero Amalecita fuerit interemptus, num ante incoeptum planctum, aut eo durante aut absoluto, non liquet. — *Rup.* : « Quis planxit ? Rex unctus, electionis suae non inscius, qui non ignoraret per mortem Saul vacuefactum sibi esse thronum regium, ut, qui profugerat, iam repatriaret. Mira ergo innocentia, mira adversus ambitionem temperantia ». Cf. etiam *Clair.* v. 18 « *Et praecepit, ut docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in Libro Iustorum, et ait : Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati* ». *Scriptum est* refertur vel ad *planctum* vel ad *arcum*, vel ad utrumque. *Liber Iustorum* citatur etiam Ios. 10, 13, qualis fuerit ignoratur. Aliqui supponunt fuisse collectionem quamdam narrationum vel hymnorum, quae decursu temporum fuerit conscripta (cf. Sanct.). Apposite advertit *Theodoret.* : « Hinc est perspicuum, quod liber Regum sit conscriptus ex multis libris propheticis ». Cur vero noster auctor, qui secus, et quidem pro factis longe maioris momenti, citationibus non indulget, pro hoc cantico librum iusto-

rum appellat? Probabilissima ratio ea est, eum textum cantici in iis fontibus, quos in reliqua narratione sequebatur, non reperisse, ideoque ex libro iustorum, adiecta citatione, transsumpsisse. Cur autem liber iustorum posteriori tempore non iam citetur, ratio haec esse videtur, quod in eius locum varia prophetarum scripta et libri dierum regum, qui passim citantur, successerint.

Altera v. 18 pars spuria est, orta ex duplici eiusdem incisi apud *LXX* translatione, per Italam in *Vulgatam* transvecta (*Verc.*). Verba v. 19 *Quomodo ceciderunt fortes* omnes pariter textus habent. Quod voces *et ait* initio *Vulg.* suppleverit (et codices graeci non pauci), admirationem non habet, cum saepe neque immerito eiusmodi Vulg. inserat, ut sensus fiat magis perspicuus. Sed ante *Quomodo ceciderunt fortes Hebr.* pro cantici initio solum habet הצבי ישראל על במותיך חלל ; ubi *LXX*: Στήλωσον Ἰσραὴλ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη σου τραυματίων ; *Vulg.* : *Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt.* Iam *LXX* exhibent erroneam versionem eius, quem modo descripsimus, hebr. textus. הצבי derivabant non a צבי, sed cum *Chald.* a נצב vel יצב *stare* : στήλωσον. ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων et ἐπὶ τὰ ὕψη σου τραυματίων non sunt nisi duae versiones eiusdem vocis על במותיך. Quae erronea versio post Hier. irrepsit in Vulg. v. 18 ideoque eliminanda est. Genuinam textus hebr. versionem *Hier.* v. 19 tradit, a quo canticum exordiaris.

Superest vox *arcum*, crux interpretum. Quae cum desit apud *LXX*, commodissima expositio est, vocem aliunde in textum irrepsisse. Sed omnes versiones habent. Hinc *Chald.* videtur intellexisse de arte iaciendi sagittas, et *Petr. Comestor* (198. 1324) explicat, « eo quod audierit populum a sagittariis interfectum » ; quod tamen omnino est praeter contextum. Nam a v. 17, quem etiam hebraei distinguunt parascha, novus contextus orditur. Traditur canticum, cuius tamen initium nonnisi v. 19 habetur. v. 17 sq. sunt quaedam ad canticum introductio; v. 17 canticum annuntiat ; verba « sicut scriptum est etc. », ubi illud reperiatur, declarant ; ergo etiam verba « ut docerent etc. » ad canticum referri debent, non ad artem mittendi sagittas. *Serar. Mar.*, et alii *arcum* contendunt esse titulum cantici, inde desumptum, quod vox *arcus* v. 22 recurrat. Suggerit *Sanct.* hebraeorum morem, librum a prima voce appellandi, v. g. Bereschith ; et *Gesen.* comparat Coranum, Suras designantem una aliqua voce, in illis recurrente.

PLANCTUS DAVID.

Scribebat *Petr. Comestor* : « Et est continentia huius carminis tripartita. — Primo agit de loco, ubi facta est strages, et imprecatur ei ; secundo commendat Saul et Ionathan ; tertio specialiter commendat Ionathan, ostendens quantum dilexerit eum ». Tres utique partes repetitis vocibus « Quomodo ceciderunt

fortes » distinguuntur. Magis ad rem cum *Keil* defendes, verba « Inclyti, Israel, super montes tuos occisi sunt » exprimere totius carminis veluti tesseram, quae sequentibus ita evolvatur, ut v. 20-24 Saulis et Ionathae sors coniunctim, v. 25 sq. sors Ionathae sola defleatur, repetitis constanter vocibus « Quomodo ceciderunt fortes », quorum tandem repetitione carmen claudatur v. 27, desinens in suspirium. Haec de carminis materia distinguenda intelligas esse dicta ; in quot strophas carmen distribuatur, videas apud auctores, qui de metrica Hebraeorum disputavere : *G. Gietmann* S. I., De re metrica Hebraeorum, p. 71 sq. ; *Bickell*, Carmina V. T. metrice p. 198. 233. Et hic quidem octo strophas distinguit, singulas singulis versibus respondentes, nisi quod v. 26 ultimae strophae reservetur, v. 25 et 27 in paenultimam strophan confundantur ; singulas strophas duo decasyllabi, interiecto uno octosyllabo, efficiunt. Alter quatuor binorum versuum strophas describit ; singulae strophae constant tribus enneasyllabis, uno hendecasyllabo, tribusque rursum enneasyllabis ; quarta tamen strophа duos heptasyllabos cum quatuor enneasyllabis complectitur ; clausulae instar est v. 27, duobus constans enneasyllabis.

v. 19 « *Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt* ». *Hebr.* הַצְבִי, graece verteretur ἡ δόξα : Gloria, Israel, super montes tuos occisa est. Non est vertendum *cervus* (*Syr.*), occisi enim lamentantur non unus, sed duo viri ; heroes cervis seu capreis comparantur (2 Reg. 2, 18 ; 1 Par. 12, 8 ; Cant. 2, 9 ; cf. etiam Eccli. 27, 22 ; Prov. 6, 5) ob solam celeritatem, sed non hac fuerat opus in monte Gelboe ; initio cantici tam animati non quilibet tropus exspectatur, sed vox totam iacturae magnitudinem exprimens, qualis est vox *gloria* seu *inclyti*. Cf. 1 Reg. 4, 21 sq., ubi arcae iactura *gloriae* translatio appellatur — : « *Quomodo ceciderunt fortes !* » *Sanct.* : « In planctu haec est inter Hebraeos familiaris exordiendi forma. Sic in Ieremiae Threnis cap. 1 : Quomodo sedet sola civitas, et cap. 2 : Quomodo obtexit caligine, et cap. 4 : Quomodo obscuratum est aurum. Sic Is. 14 : Quomodo cecidisti Lucifer, de rege Babylonis ».

v. 20 « *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte laetentur filiae Philisthiim, ne exultent filiae incircumcisorum* ». Duae pentapoleos civitates efferuntur ideo fortasse, quod ceteris Davidi essent proximiores. *Annuntietis*, recte *LXX* εὐαγγελίσησθε, faustum nuntium annuntiare. Mulieres domi relictae de exitu proeliorum erant perquam sollicitae (Iud. 5, 28 sqq.), victoriamque partam celebrabant (1 Reg. 18, 6 sq.). Laetitia Philisthaeorum confusio futura erat Israelitarum : hinc studet quasi s. vates acceptam ignominiam silentio premere. v. 21 « *Montes Gelboe, nec ros nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum* », i. e. agri producentes oblationes sacrificales, quae primitiis constabant. Cohibito rore et pluvia, omni genere

humoris, tanta sit ariditas, ut ne primitiae quidem progerminent. « *Quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo* ».

Obiicit *Wellh.*, montes Gelboe constare sterilibus rupibus, parum ergo illis adaptari imprecationem sterilitatis. Confer tamen serpentis imprecationem Gen. 3,14 : « super pectus tuum gradieris ». Num constat, eos montes aeque steriles tempore Saulis fuisse, atque nunc sunt (cf. Ios. 17, 15 sqq.) ? aut eos h. l. non accipi nonnihil latius, inclusa ea parte campi Iezrahel, ad quam se proelium porrexerat ? Concedatur tandem s. vati aliqua licentia poetica.

Praetendit *Keil*, געל id solum edicere, *conspurcatum* esse clypeum sanguine eorum, quos debuerat defendere. Sed ex hac significatione derivari alteram *abhorrendi, abiiciendi* (*Vulg.*), patet ex Lev. 26,43 sq. — *Quasi* adiecit *Vulg.* — *Non unctus oleo* plures referunt ad clypeum, abiectum esse clypeum quasi rem inutilem et molestam. At quid unctioni cum clypeo ? *Rup.* : « Abiectus est clypeus Saul tam ignobiliter, ac si non esset unctus oleo, ac si nunquam efficax redisset a sanguine interfectorum, ab adipe fortium » ; num ergo oleum clypei idem est, quod adeps fortium ? *Vatabl.* supponit fuisse clypeum coriaceum seu corio opertum, qui identidem unctione olei indigeret, ne diffinderetur. *Munst.* audacter affirmat olim clypeos inungi solitos, « ut nitida clypei superficies non facile iacula et ictus armorum quosque susciperet » ; *Cler.*, « ut ne ferrugine corrumperetur, splendorque eius servaretur ». Verum eas explanationes *Calm.* ut ineptas respuit : « Mentem Davidis graviora plane occupant ». Estque « communis et vera sententia » (*Sanct.*), ut *unctus* cum *Chald.* referatur non ad clypeum, sed ad Saulem. Primum, quia מושיח (plures quidem codices legunt משוח) non est partic. pass., sed adiectivum verbale, de solis *personis* praedicari solitum ; quod si insuper in prioribus adverteris, quam constanter David Saulem colat tamquam « christum Domini », intelliges omnino vim expressionis *non christus oleo*. Simili quandoque ratione populus Israel a prophetis praenuntiatur futurus « non populus ».

v. 22 « *A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Ionathae nunquam rediit retrorsum, et gladius Saul non est reversus inanis* ». Ad sensum imaginis cf. Is. 34,6 : « Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum ». — Pro *sagitta, Hebr. arcus*, quod explicat *Then.*, ut arcus Ionathae semper progrederetur, neque a fundendo sanguine desisteret. Commode tamen etiam per *arcum* potest intelligi *sagitta*, quasi contentum pro continente : sagitta semel emissa non revertebatur, clypeo vel thorace repercussa atque a sanguine fundendo prohibita. Ita perfectior habetur parallelismus cum sequenti membro. v. 23 « *Saul et Ionathas, amabiles et decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi ; aquilis velociores, leonibus fortiores* ». Utrumque adiectivum *amabiles et decori* habet articulum, intelliguntur ergo ii viri, qui prae ceteris amabiles fuerant et decori. Fuerat eiusmodi Saul initio maxime regni : David, iniuriarum oblitus, eorum iam unice, quae ad laudem faciunt, meminit (*Keil*). — Ipsa voce *quoque* effertur, Saul et Ionatham in vita quoque fuisse inseparabiles, quod *LXX* diserte

exprimunt : *Indivisi in vita, etiam in morte non sunt divisi* ; ubi delendum εὐπρεπεῖς, quippe quod sit mera repetitio praecedentis ὡραῖοι. Laudandus imprimis Ionathas, qui a patre etiam reprobo, dum viveret, non recessit. — « Ab hoc experimento discant, quicunque pugnant, quod, etsi fortes sint et inclyti multum, etsi velocitatem aquilarum atque fortitudinem habeant leonum, nullatenus tamen victoriam aversante Deo perficere poterunt » (*Rup.*). v. 24 « *Filiae Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui praebebat ornamenta aurea cultui vestro* ». Tripudiis filiarum incircumcisorum (v. 20) opponitur luctus filiarum Israel, quae Sauli quondam 1 Reg. 18, 7 epinicium occinerant. Monet vates, ne propter vesaniae excessus collatorum a rege beneficiorum obliviscantur, pretiosarum maxime vestium et ornamentorum, quae animos mulierum vel maxime devincire consueverunt.

Quis color sit שני, clare describitur Is. 1, 18 : « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt ». Est ergo purpura. — *In deliciis* i. e. *delectabiliter*, ita recte *Hebr.* vertitur. *LXX* indeterminate μετὰ κόσμου ὑμῶν ; *Syr. super colores*, videtur cogitasse de veste coccineâ, sed cuius ora variis distinguebatur coloribus. *Chald. et qui afferebat vobis delicias* fere in Vulg. recidit, nam vox chald. non est necessario de esculentis intelligenda. Vulgatae versionem videtur etiam confirmare sequens עדי (*ornamenta*), quod et significatione et radice cum עדן connectitur. — *Cultum* intellige vestitum. Pro *praebebat, Hebr. ascendere faciebat*, expressio usitata, ubi agitur de reditu a finibus in interiorem partem terrae sanctae. Sermo igitur est de praeda (*Ps. Hier.*) expeditionibus bellicis parata, quam Saul inter bellatores suos distribuerat, ex qua illi, quae ad cultum muliebrem facerent, uxoribus et filiabus donabant.

Incipit iam altera carminis pars, quae in solius Ionathae laudibus versatur. v. 25 « *Quomodo ceciderunt fortes in proelio* », non in fuga ! *Hebr. in medio proelio*, non primo congressu a valentioribus prostrati, sed, quod utique honorificentius est, longo certamine exhausti et a plurimis hostibus undique circumventi. « *Ionathas in excelsis tuis occisus est* ». v. 26 « *Dolco super te, frater mi Ionatha, decore nimis et amabilis super amorem mulierum* ». *Hebr. Decorus* (*vel carus*) *mihi fuisti valde, et insignis fuit amor tuus mihi.* Iam *amor tuus* explicari potest (*Sanct.*) vel obiective : amor tuus in me ; vel subiective : amor meus in te ; quem alterum sensum *Vulg.* expressit. Extollit David eum amorem supra amorem coniugalem, qui nobilissimus et purissimus est ordinis naturalis : hinc rursum suadetur, eum amorem intelligi subiective. Nam David oppido norat, quantum amaret et proprias uxores et Ionatham ; quantus esset coniugalis Ionathae amor, sola coniectura assequi poterat. « Quemadmodum eos, qui sunt coniuncti lege matrimonii, coniunctio efficit unam carnem, ita etiam eorum, qui sincere amant animas, unit

affectio » (*Theodoret.*). « (*Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.*) » Haec in sola *Vulg.* habentur, ostendunt tamen, horum etiam verborum auctorem, quisquis ille tandem sit, amorem illum intellexisse subiectivum.

« Hunc v. expositorium in vulgatam latinam versionem antiquissimis temporibus insertum iam fuisse, evincunt plerique latini codices. At vero, cum nullus veterum interpretum nullusque hebr. codex eiusdem vestigium exhibeat ; cumque huiusmodi additamenta ab indole hieronymianae versionis abhorreant, haud dubitamus in sententiam concedere Abulensis, qui illum primo additum per modum expositionis in aliqua glossa, ac dein imperitia librariorum textui adiunctum fuisse, probabile affirmavit » (*Verc.*).

v. 27 «*Quomodo ceciderunt robusti, et perierunt arma bellica !* » *Vasa* seu *instrumenta bellica* (*Hebr.*) melius refertur ad Saulem et Ionatham, « qui erant vera vasa ac instrumenta bellica Israelis » (*Vatabl.*). Cf. Act. 9, 15 « Vas electionis est mihi iste ».

Brevi h. l. conspectu Saulis indolem describere iubet. Fuit is in punitionem Israelitis concessus rex, quod patet tum ex regno praevie tribui Iuda promisso, ex Saulis origine ex Gabaa urbe abominationis Iud. 19, ex verbis Dei 1 Reg. 8, 7. 22. Concedebatur, *quia* defecturus praesciebatur ; in qua tamen defectione nequaquam eius necessario aeterna reprobatio includebatur. Hinc una cum Dei in *regem* severitate, adverte eiusdem in *hominem* lenitatem. 13,13 sq. excluditur quidem Saulis posteritas successione, verum mox, qui successurus erat, David 17,25 ; 18,17. 20 Sauli in generum quodammodo obtruditur. Penes Saulem tum videtur fuisse, ut tota naturali vita regno pacifice frueretur, ac tandem illud Davidi genero eiusque ex filia Saulis posteris concederet, honorifico eius filiis in aula Davidis loco reservato. Quod probe intellexit Ionathas, 23,17 Davidi dicens : « Tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus ». Rursum, licet 15,26 Sauli dicatur : « Proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel », tamen de facto Saul, secundum textum Act. 13,21, regnavit quadraginta annis, ergo totidem quot ipse David. Severa sententia perquam leniter effectui mandata est. Verum Saul, Dei in se benignitatem nequaquam intelligens, regnum sibi et filiis servare, Davidem aemulum exterminare studebat. Quorsum in hoc aut suspicione et invidia, aut melancholiae morbo, aut diabolico instinctu ageretur, vix possumus definire, cf. dicta ad 16,14. At vel tunc furentem regem duplex veluti munitio ab interitu protegebat, hinc propheta Deum pro ipso interpellans 15,35, illinc David palladii instar invito concessus. Mortuo propheta sensit quodammodo Saul potissimum sui regni fulcrum esse sublatum : hinc solemnibus exsequiis defuncto parentare, magos et ariolos, imo vel ipsos Gabaonitas exterminare. Verum redintegrata eodem circiter tempore in Davidem persecutione, excedit hic Hebraeorum regione ; quo sublato intra paucos menses contra Saulem exercitum cogunt Philisthaei. Saul, imminentis interitus terrore perculsus, quem vivum

neglexerat, mortuum magicis evocare artibus attentat prophetam ; quo admisso scelere, secundum legem morte expiando, proelio cum filiis interimitur.

2) David Hebrone rex constitutus, eius in Iabesitas pietas 2, 1-7.

ARG. — Dei monito David cum suis Hebronem procedit, ibique a tribu Iuda rex agnoscitur. Iabesitas ob redditum corporibus Saulis et Ionathae honorem commendat.

Cap. II v. 1 « *Igitur post haec consuluit David Dominum, dicens : Num ascendam in unam de civitatibus Iuda ? Et ait Dominus ad eum : Ascende* ». Cur consulit ? Ut doceatur, possitne iam nunc ascendere, quin aut Philisthaeorum incurrat suspicionem, aut veterum inimicitiarum ab Hebraeis aliquos experiatur effectus. Et quidem *Philisthaeos* nihil tum esse suspicatos, ostendit 3, 17. Nomine tenus serviebat adhuc David Achis, regi Geth ; putabatur prius pro Philisthaeis contra Hebraeos dimicasse (1. Reg. 27, 10 sqq.) ; credebatur igitur Philisthaeorum causam suscipere, dum cum armata manu meridionalem regionis tractum ingrediebatur. Ipsa prior unctio, Hebrone a viris Iuda peracta, suspicione caruit, cum discordiam Hebraeorum augere videretur. Nonnisi cum Israelitae universi ad Davidem Hebronem convenissent, eumque « in regem super Israel » unxissent, Philisthaei, collecto exercitu, Saulis in regno successorem tandem adorti sunt. Ut vero David *Hebraeis,* et prae ceteris Iudaeis, esset acceptus, plures providente Deo efficiebant rationes : sanguinis communio, tantusque contribulium (1. Reg. 22, 1) et fortissimorum quorumque ex reliquis tribubus (1. Par. 12) in eius castris numerus ; pristina eius apud omnes gratia (1. Reg. 18, 5 sqq.) , rebus adversis iisque immeritis nequaquam imminuta ; auxilium identidem (1 Reg. 23, 15 sq. ; 27, 8 sq.) praestitum, maxime contra inimicos, et donaria novissime (1. Reg. 30, 26 sqq.) senioribus submissa ; favor Samuelis defuncti, societas Gad prophetae et Abiathar sacerdotis, ephod gestantis ; fortitudo et prudentia, difficultatibus quibuslibet par ; tot psalmorum, qui iam in plurimorum ore essent, non sine numinis inspiratione concinnatio. Quae omnia efficiebant, ut, licet Davidis a Samuele peracta unctio forte ignoraretur, in ipso tamen uno omnis reipublicae salus, omnis faustioris fortunae spes collocata appareret. Cf. *Weiss.*

« *Dixitque David : Quo ascendam ? Et respondit ei : In Hebron* ». Non in Bethlehem, finibus tribus Beniamin proxime adiacentem ; sed in Hebron, media in tribu Iuda sitam, dupliciter sacram, quod esset sacerdotibus attributa (Ios. 21, 13), et simul una sex civitatum refugii (Ios. 20, 7), sacriorem etiam sepulcris, quae ibidem exstabant Abrahae,

Sarae, Isaaci, Iacobi et Liae (Gen. 49, 29 sqq.). Addit *Theodoret.*, fuisse Hebron tribus Iuda eo tempore metropolin : utique inter maximi momenti civitates recensebatur et medium in regione situm obtinebat. Considera primordia regni Davidici non in Gabaa fuisse stabilita, civitate abominationis, sed in Hebron. Qui modo exul fuerat, in civitatem primum refugii secedit, cum pontifice et ephod in civitate sacerdotum sedem figit, sceptrum Iudae promissum prope patriarcharum sepulcra consecrat.

v. 2 « *Ascendit ergo David et duae uxores, Achinoam Iezrahelitis et Abigail uxor Nabal Carmeli* » ; v. 3 « *sed et viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua, et manserunt in oppidis Hebron* », in viculis ad eam civitatem pertinentibus, cf. Ios. 10, 37. Ceterum ad h.l. cf. 1. Reg. 27, 3. — v. 4 « *Venerunteque viri Iuda et unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Iuda* ».

Unctus est prima vice David 1 Reg. 16, sed secreto ; unctus est etiam tertio 2 Reg. 5, 3 in regem super universum Israel : unctio iusta de causa repetebatur, sicut etiamnum idem rex in variis suis regnis successive ungi potest. Etiam Saulem bis 1 Reg. 10, 1 et 11, 15 unctum esse, improbabile non est. « Tres istae unctiones ad diversa factae sunt. Prima erat velut declaratio voluntatis et electionis divinae, ut David suo tempore rex fieret. Itaque per eam accipiebat quidem ius ad regnum, sed nondum usum aut exercitium sui iuris. Secunda vero et tertia, quia fiebant consensu et auctoritate populi, tradebant seu dabant ei subditi, ut iurisperiti loquuntur, ius in regno ». Ita *Est.*, similiter *Calm.*

« *Et nuntiatum est David, quod viri Iabes Galaad sepelissent Saul* », 1 Reg. 31, 11 sqq. Non forte id didicit David, sed, qui tam sincere planxerat mortuos, mox ipse inquisivit, iustusne honor cadaveribus persolutus esset (*Clair*). v 5 « *Misit ergo David nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos : Benedicti vos Domino* », i. e. a Domino, « *qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum* ». Recte *Syr. ut sepeliretis eum.* « Illis gratias agit, perinde atque si ipsi tantum illud officium foret impensum » (*Sanct.*). Quo facto David et regiam Saulis dignitatem agnoscit simulque declarat, se defuncti regis amicis infensum nequaquam futurum. v. 6 « *Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem : sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud* ».

Misericordiam et fidelitatem, i. e. fidelem misericordiam, quae pie actis iusta mensura correspondeat. *Hebr. et ego reddo vobis* (*nunc*) *gratiam hanc*, (הזאת אשר), seu salutationem hanc : exigua regis liberalitas, et pro אעשה scribendum erat עשיתי (*Wellh.*). Planior est lectio *Vulg.* et *Arab.* אשר תחת, ubi הטובה significat gratiam condignam, quam rex opportuno tempore se persoluturum esse promittit. Salutatio

perquam honorifica utique tamquam eius gratiae anticipatio quaedam concipienda est. Sequentem versum *Hebr.* orditur voce *Et nunc* .

v. 7 « *Confortate manus vestras, et estote filii fortitudinis, licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Iuda in regem sibi* ». Manus terrore dissolvuntur, resumptis animis confortantur. Hinc *confortare manus* magis pertinet ad affectum ; *estote filii fortitudinis,* exhibete vos tales, potius effectum seu actum spectat. Deiectionis causa mors regis fuerat, spei motivum novi regis unctio proponitur. Iudaei quidem unxerant Davidem regem *sibi,* neque enim penes ipsos erat, eum ungere regem etiam pro aliis : hoc aliorum erat, cf. 5,3. Tamen factum, adesse legitimum aliquem in tribu Iuda regem, efficaciter sollicitabat reliquas tribus ad eundem regem acceptandum. Hinc illud Davidis ad Iabesitas nuntium erat, non solum pietatis, sed etiam insignis politicae prudentiae actus, quo Iabes Galaad, urbem trans Iordanem munitissimam, suis partibus adiungere conabatur, quo ipso tempore v. 9 Abner Galaaditidem ad Isbosethi partes pertrahere studebat.

3) Isboseth ad regnum accessio, interitus Asael 2 Reg. 2, 8-32.

ARG. — Interim Isboseth filius Saul rex in Mahanaim trans Iordanem declaratur. Unde egressus Abner cum armata manu obvium habet Ioabum cum cohorte ; qui primum amice collocuti mox arma conserunt. Quo certamine ab Abner occiditur Asael Ioabi frater, Ioab autem a persequendis Beniaminitis tandem desistere coactus fratrem sepulturae mandat.

v. 8 « *Abner autem, filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth, filium Saul, et circumduxit eum per castra* ». Versiones omnes, *Symm., Ios., Ps. Hier.* habent *traduxit eum in Mahanaim, LXX ascendere fecit de castris in Mahanaim.* Omnino intelligitur urbs Mahanaim transiordanica, ad septentrionem vadi fluminis Iaboc sita Gen. 32,2 (3). 22 ; 2 Reg. 17,24 ; 3 Reg. 2,8 ; ad tribum Gad pertinens, sed a tribu Manasse brevi intervallo seiuncta Ios. 13,26. 30 ; 21,37 (38) ; levitis attributa ib. ; urbs munita 2 Reg. 18,24. Abner et Isboseth videntur ambo interfuisse proelio in Gelboe : nisi malueris supponere, Isboseth in Gabaa substitisse, fuisseque obtusae vel etiam minus sanae mentis, ob quam causam 1 Reg. 14,49 inter filios Saul non fuerit recensitus. Certe fuit merum in manu Abner instrumentum.

Hebr. princeps exercitus, qui fuerat Saulis : sensus obvius est, non totum exercitum Saulis esse in Gelboe destructum, cf. expressionem 1 Reg. 31,6. — Isboseth ex

1 Par. 8,33 ; 9,39 vocabatur Esbaal, sicut Miphiboseth vocabatur Meribbaal (duplici diversa hebr. scriptione) 1 Par. 8, 34 ; 9, 40, sicut Gedeon seu Ierobaal (Iud. 6, 32) 2 Reg. 11, 21 in Hebr. vocatur Ieruboseth. Vocabulum בעל *dominus* primitus etiam de vero Deo praedicabatur, postea soli idolo reservabatur, eique ex nominibus propriis expuncto substituebatur בשת *ignominia*. Citant pro hac re etiam Ier. 11, 13 ; Os. 9, 10.

v. 9 « *Regemque constituit super Galaad, et super Gessuri, et super Iezrahel, et super Ephraim, et super Beniamin, et super Israel universum* ». Haec pedetentim effecta sunt, probabilius eo, quo recensentur ordine (*Tir.*). Primum obtinuit Abner regionem transiordanicam, cui, fausta opportunitate usus, annexuit regnum Gessur. Ubi dein victores Philisthaei, praeda onusti atque desides effecti, in propria se receperunt, facile occupavit Issachar, Ephraim et Beniamin, tandem *Israel universum*. Quae ultima expressio non designat eam tantum regionem, qua posthac constitit regnum Israel (*Then.*), cum ita Beniamin esset excludendus, sed totam terram sanctam, exclusa utique, cui David imperabat, Iudaea (*Keil*).

Gessuri nomen corruptum legitur apud *LXX Chald.* ; est regio Basan contermina Deut. 3,14 ; Ios. 12,5, inter Galaad Hermonemque sita Ios. 13,9 sqq., ab Israelitis subacta Ios. 13,13 ; 2 Reg. 15,8 appellatur Gessur Syriae, ut distinguatur a Gessur 1 Reg. 27,8. Ex enumeratione h. l. apparet, Gessur et Galaad eo certe tempore fuisse finitima. Ex eo, quod illico 3, 3 David narretur duxisse uxorem filiam regis Gessur (cf. 13,37), fortasse licet coniicere, regem Gessur a Saule (cf. 2 Reg. 21,2) vel Abner fuisse eiectum, a Davide exceptum et in regnum restitutum. — *Iezrahel* tribus est Issachar.

v. 10 « *Quadraginta annorum erat Isboseth, filius Saul, cum regnare coepisset super Israel, et duobus annis regnavit ; sola autem domus Iuda sequebatur David* ».

Huius versus maiorem partem putat *Wellh.* esse eliminandam, quod verba *sola autem domus Iuda etc.* evidenter sint continuatio v. 9, quod Isboseth non duobus sed septem annis regnaverit, quod fuerit quadragenario minor, quippe nondum fueri matrimonio iunctus, et puerilem potius quam virilem mentem exhibens. At eius in agendo imbecillitas potest etiam ex obtusa mente explicari. Licet biennio regnaverit, tamen non illico post eius mortem regnum ad Davidem devenisse, et multo minus universae tribus uno die ad Davidem in Hebron convenisse (5,1) putandae sunt ; potuerunt ea omnia commode septennium (5,5) occupare. *Est.* aliique putant, id nostro versu edici, regnasse Isboseth biennio ante expeditionem contra Davidem susceptam, eumque post hanc triennio fere superstitem regnasse : sed is non est sensus expressionis, quae alias totam regni durationem referre consuevit.

v. 11 « *Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Iuda, septem annorum et sex mensium* ».

v. 12 « *Egressusque est Abner, filius Ner, et pueri Isboseth, filii Saul,*

de castris in Gabaon ». Urbs celebris tribus Beniamin, Ios. 9. Sed reliqui textus, et quidem verius, habent *de Mahanaim in Gabaon* : indicandus erat terminus a quo. David non est adortus partem adversam, sed ab illa se defendit (*Clair*). v. 13 « *Porro Ioab, filius Saruiae, et pueri David egressi sunt, et occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon* », quae ex Ier. 41, 12 videtur fuisse satis spatiosa : « ad aquas multas, quae sunt in Gabaon ». *Hebr.* sententiam concludit voce *pariter*, cuius loco Vulg. v. 13 ita incipit : « *Et cum in unum convenissent, e regione sederunt, hi ex una parte piscinae, et illi ex altera* ». Utique egressus est Abner, ut tribum Iuda subigeret (*Sanct.*). Quomodo vero ausa est haec tribus contra tot alias tribus bellum suscipere? Id explicat *Sanct.* ex numero et bellica virtute contribulium, et ex magno numero eorum, qui ex aliis tribubus Davidi se iunxerant, cf. 1 Par. 12 ; Iud. 20 una tribus Beniamin contra ceteras omnes dimicaverat ; tandem, licet tribus tum plures adhaererent Abner, videntur tamen ex v. 15 soli tum Beniaminitae cum ipso militassse. v. 14 « *Dixitque Abner ad Ioab : Surgant pueri et ludant coram nobis. Et respondit Ioab : Surgant* ». Certamen, imprimis singulare, lusus quidam bellicus habetur. Certamine singulari volebat Abner rem dirimere, vel ut parceret multorum caedi vel, quod coniectat *Sanct.*, quia, cum numeris minus valeret, volebat diem illo certamine extrahere, ut noctu ab hoste valentiore se subduceret. v. 15 « *Surrexerunt ergo, et transierunt* in medium spatium interiectum, puta in tertium latus piscinae, « *numero duodecim de Beniamin, ex parte Isboseth filii Saul* », — *Hebr.* duplici ל *de Beniamin et de Isboseth* — « *et duodecim de pueris David* ». *Numero : Hebr.* h. l. habet Athnach, ergo intellige numero aequali. v. 16 « *Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, et ceciderunt simul* ». Pro *apprehendere Hebr.* habet *iungere* (*manum*), quod ex Gen. 21, 18 idem sonat atque *apprehendere*. In qua expressione vocem *manum* supprimi posse, noster locus docet, nisi defendere mavis, quam *LXX* vocem exprimunt, in *Hebr.* errore librariorum excidisse. Iam Hebr. ita verti potest : Et iunxerunt unusquisque manum suam capiti contrarii, et gladium suum lateri contrarii, et ceciderunt simul ; vel : Et iunxerunt unusquisque (manum) capiti contrarii, et gladius eius (fuit) in latere contrarii etc. Sensus idem manet. Modus pugnandi ostendit, gladios idoneos fuisse solum ad transfigendum, non vero ad secandum. At quot in eo certamine occubuere? Prima facie videtur dicendum, utrimque omnes. Tamen *Angelom.*, *Sanct.* (non vero *Ios.*, cui ea sententia perperam adscribitur) censent, posse verba intelligi, ut soli ex parte Abner ceciderint : atque revera hoc sensu minus truculento textus intelligi potest. Putaverim Davidis heroas victores exstitisse, quod non solum robore excellerent, sed

insuper artem pugnandi probe edocti essent, quae prehendendo manu capite adversarii constabat, dum altera manu gladius impingebatur. « *Vocatumque est nomen loci illius Ager Robustorum, in Gabaon* ». Pro הצרים videntur *LXX* legisse הצדים, τῶν ἐπιβούλων, quae radix sensum derivatum insidiandi, sed primarium apprehendendi habet : ergo Ager Apprehendentium, qui sensus valde est aptus et ostendit, quantopere homines perculsi fuerint nova illa pugnandi ratione, qua adversarii caput prehendebatur.

v. 17 « *Et ortum est bellum durum satis in die illa, fugatusque est Abner et viri Israel a pueris David* ». A certamine singulari ventum est, uti videtur, ad proelium generale. Iam ad 1 Reg. 11,8 disseruimus de origine appellationis « Iuda et Israel », ea rursum h. l. recurrit : unde ex ea non valet illatio, post Salomonem nostrum librum esse conscriptum. v. 18 « *Erant autem ibi tres filii Saruiae, Ioab et Abisai et Asael; porro Asael velocissimus fuit, quasi unus* », i. e. unuslibet, *angl.* « any », « *de capreis, quae morantur in silvis* », vel potius *in campo*. Ex toto eo bello factum unicum narratur mortis Asael, quod fuit causa subsecutae mortis Abner. Saruia, uti monuimus, soror erat David 1 Par. 2,16. v. 19 « *Persequebatur autem Asael Abner, et non declinavit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner* ». Non declinabat ad alios ullos, licet eos facilius et assequi et superare potuerit, cf. v. 21 ; omnino enim sibi proposuerat animo, ut interimeret Abner et ita belli finem faceret. v. 20 « *Respexit itaque Abner post tergum suum, et ait : Tune es Asael? Qui respondit : Ego sum* ». v. 21 « *Dixitque ei Abner : Vade ad dexteram sive ad sinistram, et apprehende unum de adolescentibus, et tolle tibi spolia eius. Noluit autem Asael omittere, quin urgeret eum* ».

Si ambitione instigaris, militum gregariorum aliquem tibi elige, non ducem robore longe praestantem, et illius spoliis contentus esto. Est modus, Asaelem ab ulteriore prosecutione sui dehortandi, non eum invitandi ad alium aliquem interimendum. In omnibus his (cf. v. 22. 23) Abner magnam ostendit moderationem : fortasse non ambitione ducebatur, sed solo studio iuris haereditarii tuendi ; aderat amicitia pridem in filios Saruiae concepta, aestimatio et desiderium eorum suis partibus adiungendorum ; nobilis animi commiseratio erga iuvenem generosum, in propriam ruinam properantem ; dubitatio quaedam, essetne Davidi ius regni divinitus collatum. Filii e contra Saruiae egregie in his omnibus eam manifestant « duritiem », ob quam 3,39 a Davide reprehenduntur.

v. 22 « *Rursumque locutus est Abner ad Asael : Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram; et levare non potero faciem meam ad Ioab, fratrem tuum* ». Erubescenda mihi erit facies Ioab, viri robore

mihi aequalis, si virum annis et robore inferiorem inaequali certamine interfecero. Maxime verebatur Abner, ne Ioabi in suum caput provocaret inimicitias, cuius implacabilem noverat animum (*Clair*).

Hebr. Quare percutiam te in terram ? quare vis, quare me cogis, ut etc. ?—*Quomodo levabo etc* ? *LXX* addunt : καὶ ποῦ ἔστι ταῦτα ; ἐπίστρεψε πρὸς Ἰωὰβ τὸν ἀδελφόν σου. Quae non sunt nisi altera eaque corrupta versio praecedentium. Pro ואיך videntur legisse ואיכה, pro אשא forte זאת, פני imperativum interpretabantur verbi בנה.

v. 23 « *Qui audire contempsit, et noluit declinare ; percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et mortuus est in eodem loco* ». Percussit in renibus vel parte ventri inferiore, inferiori extremitate hastae. Non percussit « aversa facie, quin respiceret » (*Then.*), stulta enim esset eausui defensio, quae ab inimico averteret faciem, et iam ante locutus erat Abner conversa ad Asaelem facie (v. 20). Non, « uti fugiens tenebat lanceam, percutiens retrorsum feliciter, illico interfecit » (*Ios.*) : num ea ratione potuit ictus tam violenter et simul tam praecise adhiberi ? Sed percussit inferiori extremitate hastae (*Theodoret.*), quae acumen habebat probabiliter ex metallo, et qua hasta in terram figebatur (1 Reg. 26, 7). Sed cur aversa hasta percussit? Fortasse, ut minus letale vulnus infligeret : verum obstat ictus vehementia, imperfecto instrumento corpus penitus transverberans. Vel ut ostenderet, se iuniorem adversarium non dignum reputare, quem ipso lanceae ferro percuteret, ergo quasi in poenam neglectae monitionis. Vel ut rem casu magis quam consilio factam esse posset excusare. — In fine reliqui textus omnes habent : *et exiit hasta a tergo eius, et mortuus est in ipso loco.* — « *Omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael et mortuus erat, subsistebant* », non ad luctum edendum, nam proelium usque ad vesperam continuatum est, sed « ad videndum eum » (cf. 20, 12), neque putandi sunt singuli diu substitisse. v. 24 « *Persequentibus autem Ioab et Abisai fugientem Abner, sol occubuit, et venerunt usque ad collem aquaeductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon* ».

In aevo pastorali, ubi nullus collis, nulla paene dixerim arbor, nomine proprio carebat, hic collis certissime nomine proprio appellabatur, et hoc nomen proprium certe h. l. legebatur. Id reliquae omnes sensere versiones, *Syr.* vertens *Gabaath maris*, *LXX Chald. Ios.* utique rectius *collis Ammah*. — גיא cum *Vulg.* legebant *LXX*, *Symm.*, *Theod.*, et recte *Vulg.*, *Symm.*, *Theod.* id vertunt *vallis*, cuius vallis situs illico accuratius describitur. *LXX* intellexit nomen proprium ; item *Chald.*, *Syr.*, cum *Hebr.* legentes גיח. Sed non placet h. l. admittere nomen proprium Gia vel Giach, quod secus nullibi recurrit. *Fürst* גיח vertit *deiectus aquae* et *Ges. fons*, a radicis significatione *prorumpere*. — « *Itineris deserti in Gabaon* » : *in* reliqui omittunt. Verba accuratius describunt *vallem*. Non dicitur collem esse in via *ad* desertum, sed in via deserti : si Gabaone exiens sumas viam, quae dirigitur versus desertum Gabaon, tum

secus hanc viam offendes illum collem ; utrum vero ante vel post desertum vel intra illud, non exprimitur. Videtur utique Abner medium inter septentrionem et orientem iter tenuisse, erat enim fugiens versus Mahanaim (cf. v. 29).

v. 25 « *Congregatique sunt filii Beniamin* », cf. dicta ad v. 13, « *ad Abner* », *Hebr. post Abner,* ipso in prima acie prostante, « *et, conglobati in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius* ». Perperam censet *Then., cuneum* esse idem atque *gall.* « carré » ; hoc enim armatam ex omni parte frontem exhibet, dum Beniaminitae videntur hostes solum ex adverso, e superiori tamen loco exspectasse. *Tumulus unus* ille certe idem est, qui v. 24 *collis Ammah* vocabatur ; et ita videtur corrigendum, loco *collis Echath* ; cf. *Wellh.* Iam Abner e loco superiore loquitur ad Ioab, qui in radice collis suos in cuneum colligebat. v. 26 « *Et exclamavit Abner ad Ioab, et ait : Num usque ad internecionem tuus mucro desaeviet ? An ignoras, quod periculosa sit desperatio ? Usquequo non dicis populo, ut omittat persequi fratres suos* », « eodem prognatos parente, et eisdem sacris ac religione coniunctos » (*Sanct.*) ?

Hebr. Num in perpetuum comedet gladius ? et consentiunt versiones. נצח significare *in perpetuum* disce ex Amos 1, 11, ubi aequiparatur לעד (Iob. 34, 36 ; Ps. 15 [16], 11). *LXX* primam vocis significationem praetulerunt, *usque ad victoriam. Vulg.* aut hanc ipsam secuta est, aut vertit secundum sensum. — *Hebr. An ignoras, quod desperatio venit in fine ?* מר, *amarus*, desperationis significationem induit 17, 8 et Iud. 18, 25.

v. 27 « *Et ait Ioab : Vivit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum* ».

Locus est vexatus. Facile explicatur *Vulg. Ascendisset* (*Hebr.*), ex mente viri de tribu Iuda, cogitantis de reditu a Gabaon in Hebron, recte S. Hier. reddidit *recessisset* : ascenditur quippe domum. Sensus igitur est : Si vel verbulum supplicationis (*ut omittat persequi fratres suos*) hodie mane dixisses, iam tum reduxissem populum ; faciam autem, te rogante, nunc. — Contra Vulg. hoc unum est, quod textus reliqui omnes pro *si* legunt *nisi*. Quo posito, aliqui *nisi locutus esses*, referunt ad provocationem mane factam ab Abnero ad certamen singulare ; ergo : Nisi hodie mane nos provocasses, iam inde ab *hodie* mane recessisset unusquisque a fratre suo (*Luc. Brug.*). Ast, nonne uterque exercitus mane egressus fuerat animo dimicandi, et etiam absque provocatione dimicasset ? nonne provocationis scopus is fuerat, praecavere copiosiori sanguinis effusioni ? Sentiens itaque explicationis deficientiam *Keil* affirmat, Ioab haec tantum dicere ad Abnerum inculpandum sequeexculpandum. *Then.* e contra *nisi locutus esses* refert ad modo dicta ab Abnero v. 26 ; ergo : Nisi nunc pacis verba locutus esses, nonnisi *cras* mane reduxissem populum, post pugnam per totam noctem ad internecionem usque protractam. — Res critice componi nondum potest. Ad explicationem quod attinet, certe sua se simplicitate commendat Vulg. « Romani

correctores prudentissime se gesserunt, dum, perpensis hinc inde rationibus, nil immutandum esse existimarunt » (Verc.).

v. 28 « *Insonuit ergo Ioab buccina, et stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen* ». v. 29 « *Abner autem et viri eius abierunt per campestria* » — per depressionem Iordanis, quae saepe numero ערבה appellatur. Abierunt autem concitato gressu, prae metu — « *tota nocte illa, et transierunt Iordanem, et lustrata omni Bethhoron venerunt ad castra* », seu verius in Mahanaim. Quoad Bethhoron, *Vulg.* et *Aq.* videntur cogitasse de eadem urbe, ac 1 Reg. 13, 18, sed haec prorsus est extra quaestionem. Recte notat *Keil*, addita voce *omni* denotari, non urbem, sed pagum aliquem, Bithron, trans Iordanem et eis Mahanaim situm. v. 30 « *Porro Ioab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum : et defuerunt de pueris David decem et novem viri, excepto Asaele* ». *Syr.*, *duodecim* : videtur respexisse ad v. 15 sq. v. 31 « *Servi autem David percusserunt de Beniamin, et de viris, qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui et mortui sunt* ». Merum מתו, quod etiam *LXX* et *Chald.* legebant, explicari vix potest. *Vulg.* videtur aliquam praeterea particulam legisse : « qui et mortui sunt ». *Syr.* nihil legebat. v. 32 « *Tuleruntque Asael, et sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem ; et ambulaverunt tota nocte Ioab et viri, qui erant cum eo, et in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron* ». Potest intelligi, eos die *post* proelium in Bethlehem exsequias celebrasse (*Ios.*), et inde sequenti nocte Hebron perrexisse ; vel ipsa nocte proelii ea omnia confecisse (*Keil*), quod quidem arduum erat, non tamen impossibile. Admittendum tum erit, exsequias in Bethlehem non fuisse solemnes, sed furtivas, fortasse non a Ioab, sed ab aliis consanguineis ibidem degentibus peractas. Ioab videtur et ipse sibi a Beniaminitis timuisse ; vix norat, quam festine Abner discesserat ; agebatur superstitione quadam loci, in quo tot viri Israelitae modo tam insolito (cf. v. 16) occubuissent ; sentiebat, omnem pacis spem esse praecisam (cf. 3, 1), et festinabat Davidem, quo loco res essent, certiorem facere.

Sed iam narratione huius proelii absoluta, rem accuratius nonnihil discutiamus. Supposuimus v. 12, quod plerique supponunt, « egressum » esse Abner ea intentione, ut Davidem armis subigeret : res tamen non ita evidens est. Tam hoc quam aliis locis Ioabum noscimus violentum, ambitiosum, crudelem ; norat sane pugnandi arte suos excellere (cf. dicta ad v. 16), felicem belli eventum anticipabat, certissime rem amice componi nolebat. Ex alia parte Abner hic et sequenti capite cernitur quieti animi vir, a sanguine inutiliter fundendo abhorrens, pacis studiosus (cf. 3, 12 sqq.). Ex quibus omnibus id fere efficitur, Abnero

pacificam compositionem, Ioabo concertationem in animo fuisse. Iam vox « egressus » v. 12 hostili sensu facile carere potest; item vox « sedendi » v. 13, considunt quippe exercitus pugnam exspectantes, sed considunt etiam, dum duces res amice componere conantur; vox « ludendi » v. 14 (שחק), quocumque sensu accipiatur, de certamine sive singulari sive fictitio, ἅπαξ λεγόμενον est. Unde ea quoque explicatio improbabilis non est, conatum esse Abner res pacifice componere, ideoque exercitus consedisse; ob eandem causam Abnerum suggessisse lusum militarem, quo ad speciem milites inter se certarent, armorum usum secluso periculo ostenderent, et ipsa lusus societate conciliarentur invicem. Acquievit Abneri suggestioni Ioab dolose, suos ad hoc selectos rem serio agere praemonuit, itaque tandem omnem pacis spem pro tempore praescidit. Dicimus, nihil in textu hanc explicationem excludere, qua admissa facile perspicitur, cur soli ex parte Abner, iique universi occubuerint, supposita sc. ea v. 16, quam Angelom. et Sanct. tradunt, interpretatione.

4) Davidis regnum Hebrone confirmatum 2 Reg. 3,1-5.

Confirmatum est duplici ratione, felici sc. belli eventu v. 1, et familia v. 2-5 numeris aucta. *Cap. III* v. 1 « *Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul et inter domum David; David proficiens et semper se ipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie* ». *Hebr. David vadens et invalescens, domus autem Saul vadens et titubans.* Iam, inquit *Gord.*, « crescente sensim imperio Davidis, crescit simul res domestica » ; hinc v. 2 « *Natique sunt filii David in Hebron; fuitque primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezrahelitide* » ; v. 3 « *et post eum Cheleab de Abigail, uxore Nabal Carmeli; porro tertius Absalom, filius Maacha, filiae Tholmai regis Gessur* » ; v. 4 « *quartus autem Adonias, filius Haggith*; *et quintus Saphatia, filius Abital* » ; v. 5 « *sextus quoque Iethraam, de Egla uxore David. Hi nati sunt David in Hebron.* ».

כלאב utique idem nomen est atque Caleb (*Syr.*), cum Nabal fuerit de genere Caleb 1 Reg. 25,3. Formae Δαλουΐα (*LXX*) et 1 Par. 3,1 דניאל, Daniel, Δαμνιήλ, *Ios.* Δανίηλος, vix tamquam corruptiones nominis Caleb explicantur. Fuitne vir ille binomius? — Tholmai 13,37 dicitur filius Ammiud, regis Gessur. Ex hoc loco cum 2,9 comparato videtur effici, Gessur brevi a societate Isboseth esse abstractum; quae sane aliqua fuit ratio, cur regnum David v. 1 confirmatum asseratur. Aliae, praeter bellicos eventus, fuere Davidis in gubernando prudentia, et continua virorum fortium ex aliis tribubus ad Davidem accessio. — Ὀρνία (*LXX*) corruptione ortum est ex Adonia. Cum Adonias 3 Reg. 1 narretur regnum ambiisse, probabile fit matrem eius Haggith oriundam fuisse ex familia opibus et auctoritate praestante; idem de reliquis duabus uxoribus videtur, haec enim connubia ideo h. l. recensentur, quod ad regnum Davidicum con-

firmandum contulerint. — *Uxoris* titulus Eglae ultimo adiicitur, uti etiam 1 Par. 3,3, ut affirmetur, omnes illas, a prima usque ad ultimam, uxores fuisse, non concubinas.

5) Abneri interfectio 2 Reg. 3, 6-39.

ARG.—Abner ab Isboseth offensus nuntios mittit ad Davidem et, restituta eidem uxore Michol, seniores Israel, ut Davidis se partibus iungerent, cohortatus, ipse Davidem adit, a quo amice excipitur. Inde vero redeuntem, inscio rege, dolo interimit Ioab. Quod facinus David exsecratus solemnes Abnero exsequias instituit.

v. 6 « *Cum ergo esset proelium inter domum Saul et domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul* ». Item *LXX Chald. ; Syr.*, accuratius secundum etymon, *fortiter agebat in domo Saul*; utrumque fere coincidit. In Abnere consistebat robur causae Isboseth. Porro v. 6 est prodosis, cuius apodosis sunt verba v. 7 *Dixitque etc.* ; prior pars v. 7 est parenthesis (*Then.*). v. 7 « *Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aia* ». Plura de Respha 21, 8 sqq. Nomen Aia varie legitur. « *Dixitque Isboseth ad Abner* » : v. 8 « *Quare ingressus es ad concubinam patris mei ? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait : Numquid caput canis ego sum adversum Iuda hodie?* » Numquid, qui hucusque in supremo honore habebar, factus sum subito nullius notae vir, qui impune despectui possim haberi ?

LXX Chald. minus apte *hodie* ad sequentem versum trahunt. *Vulg.* ita explicat *Ps. Hier.* : « Propter te et propter domum patris tui dicor caput canis esse contra Iudam, eo quod non reducam domum Israel ad David, quem scio unctum esse regem et regnaturum super universum Israel ». Difficultatem facit textus *Hebr.*, ubi אשר ליהודה propter interpositum אנכי cum prioribus iungi nequit ; quod fecit *Syr. caput canum Iuda* ; dum *LXX* verba omittunt. Solutionem praebet *Chald.* : *Numquid caput canis ego sum? Nunc sum vir idiota de reliquiis domus Iuda.* היתי כיכלן גבר הדיוט לשארא דבית יהודה . Iam haec ultima sententia non est nisi iterata versio prioris, sed quae indicat, quomodo ea primitus legeretur. כיכלן est hebr. היום *hodie* ; גבר הדיוט est hebr. ראש כלב, omisso tropo ; vox שארא eadem est atque hebr. שְׁאָר *reliquiae* vel שְׁאֵרָה *cognatio* (Lev. 18, 17 ; cf. 1 Par. 7, 24). Haec vox hebr. deformata est in אשר, vel propter subsequens אשר e textu excidisse dicenda est, ut textus primitus fuerit hic אשר : הראש כלב אנכי (אשר) לשארת יהודה היום : Numquid caput canis ego sum, de cognatione Iuda, hodie, qui etc. Ubi : « se mutuo canes vocant hostes », advertit *Mar.* Numquid nunc, quaeritur Abner, aequiparor uni ex illis canibus tribus Iuda, qui ante fideliter servierim domui Saul ? Cum ita sententia *qui fecerim etc.* primitus ab אשר inceperit, explicatur tempus verbi אעשה. — Ceterum facile defenditur textus hebr. receptus, si ante אעשה suppleas copulam, quam fortasse legebant *Vulg. Syr.* : Numquid caput canis ego, qui hodie pro Iuda sentiam, Iudae partes sustineam, dum pridem faverim domui Saul ?

« *Qui fecerim misericordiam super domum Saul, patris tui, et super fratres et proximos eius, et non tradidi te in manus David* ». Commemorat Abner, quam bene meritus sit de Isboseth. « *Et tu requisisti in me, quod argueres pro muliere hodie!* » Et tu visitas super me, punis vel reprehendis in me, iniquitatem mulieris (cum articulo, huius mulieris) hodie, post obsequium tibi tam diu et tam fideliter praestitum. Iniquitas mulieris intelligitur non a, sed in muliere commissa, res quae nequeat venire in comparationem cum tantis in rempublicam meritis. v. 9 « *Haec faciat Deus Abner, et haec addat ei, nisi, quomodo iuravit Dominus David, sic faciam cum eo* », v. 10 « *ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel et super Iudam, a Dan usque Bersabee* ». Cf. 1 Reg. 3, 20. Haud est dubitandum, quin David regno in Hebron potitus, promissionem a Deo acceptam promulgaverit; eandem forte iteravit Gad aliusve propheta. v. 11 « *Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum* ». *Hebr. Non potuit iterum*: rependerat pro praesumptis cum vidua regia nuptiis satis timidam v. 8 recriminationem; ad minas ne verbulo quidem respondit.

v. 12 « *Misit ergo Abner nuntios ad David pro se, dicentes: Cuius est terra? et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel* ». Feri mecum foedus. Verba *Cuius est terra*? brevissima formula complectuntur, et ipso exordio orationis quasi in medio collocant quaestionem, ob quam tanto tempore fervuerat pugna, et respectu cuius Abner pactionem proponit, ratus eius fore terram, cui ipse eam concesserit (*Tir.*). Primo לא generalis illa quaestio exprimitur, altero eiusdem discussio suscipitur.

תחתו לאבור לבי ארץ לאבור. Ipsa lectio *LXX*, licet ex textu hebr. valde manco profecta, contra recentiores criticos evincit, duplex לאבור esse genuinum. Cum aliqua sc. inversione duobusque mendis ipsi legebant ארץ תחתו לאבור לתי לאבור, quod ita ipsi partim verterunt et partim transcripserunt (cf. Cod. Alex.) : εἰς Θαιλαμου γ' ἦν παραχρῆμα λέγων. Recte ipsi cum *Chald. Aq. Kimchi* תחתו non vertunt *pro se*, i. e. *loco sui* (*Symm.*), legatum enim loco mittentis mitti evidens est, sed *in ipso loco* seu *illico, gall.* « sur le champ ». Ceterum adverte, ex *Eusebii* Locis Hebr., ubi dicitur Θαιλαμουγην ab Aq. verti παραχρῆμα, a Symm. ἀνθ' ἑαυτοῦ videri effici, Eusebium in suo codice LXX παραχρῆμα (תחתו) non legisse; tamen habet editio LXX Sixtina, deest apud *Syr.* — Cf. *Verc.*

v. 13 « *Qui ait: Optime, ego faciam tecum amicitias; sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol, filiam Saul; et sic venies et videbis me* ». Nonnisi hac conditione impleta, de rebus componendis cum Abner conferre vult. Repetiit Micho-

lem David, quod esset uxor sua sibique iniuste ablata, quod ob insignem exhibitum amorem (1 Reg. 18, 28; 19, 11 sqq.) sibi cara esset, quod ita ipse se domui Saul affinem, ideoque eius asseclis minime infensum actu profiteretur (cf. *Lap.*). « Quoddam ad regnum suffragium videbatur, si Saulis, qui regnaverat, filiam haberet in matrimonio » (*Menoch.*). — לפני post כי אם abundat, a *LXX Chald.* ignoratur et, cum פני praecedat et sequatur, probabilius mendose irrepsit (*Then.*).

v. 14 « *Misit autem David nuntios ad Isboseth, filium Saul, dicens : Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum praeputiis Philisthiim* ». Centum requisiverat Saul 1 Reg. 18, 25, allatis centum ius in uxorem acquisiverat David, centum igitur h. l. exprimit, licet de facto ducenta solverit. Ab Isboseth petit, quod caput is esset domus Saul; quod is certissime sciretur cessurus esse, maxime si Abner instaret, et ita reparatio evasura esset longe solemnior, cum a Saule ablata a Saulis filio, soror a fratre, restitueretur. Transferebatur insuper ea ratione Phaltielis indignatio a Davide in Isbosethum, dum intelligeret Davidem non vi, sed iure, quod suum erat recuperasse. v. 15 « *Misit ergo Isboseth, et tulit eam a viro suo Phaltiel, filio Lais* ». Cf. 1 Reg. 25, 44. « Non repugnavit Isboseth, sentiens David irritandum non esse eo tempore, quo Abner alienato erat animo » (*Menoch.*). Tam David quam Abner agnoscunt invaliditatem secundi matrimonii, vivente primo marito, a quo fuerit uxor vi, nulla intercedente divortii causa, ablata. Ceterum Phaltielem bona fide egisse et cum recentioribus quibusdam putasse, auctoritati civili in re matrimonii plenam competere auctoritatem, ostendit v. 16 « *Sequebaturque eam vir suus plorans usque Bahurim. Et dixit ad eum Abner : Vade et revertere. Qui reversus est* ». *Ibat pergens et plorans post eam* (*Hebr.*) inde a Gallim. Abner eam iussu Isboseth de Gallim tulerat, vel iusserat Phaltielem, ut eam sibi in Bahurim adduceret; inde eum reverti iussit, sane quod sibi soli, non illi, iter intra Davidis fines tutum reputaret.

Bahurim civitas Beniaminitica 19, 16; ex h. l. probabilius tribui Iuda conterminа; et ex 15, 23. 30; 17, 22. 24 in via, quae a Ierusalem ducit ad Iordanem. Merito *Calm.* ad 16, 5 (cf. *Münst.*, *Vatabl.*) suggerit, eum locum etiam habuisse nomen Almath, quod ei *Chald.* utroque loco tribuit, quodque Ios. 21, 18; 1 Par. 6, 60; 7, 8 tribuitur loco ab Anathoth parum distanti. Utrumque nomen significat « iuventutem ».

v. 17 « *Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens : Tam heri quam nudiustertius quaerebatis David, ut regnaret super vos* ». Dixerat s. auctor v. 14 sqq., quomodo Abner expleverit conditionem v. 13 a Davide statutam; v. 17-19 narrantur, quae Abner eodem tempore fecerit ad reducendum Israel ad David; hinc « sermonem in-

tulerat ». (*Malv.*). Quae formula solemnior est communi illa « locutus est » suggeritque, sermonem habuisse Abner in publico conventu. Plures fortasse inde ab initio nonnisi metu et suasionibus fuerant inducti, ut adhaererent Isboseth. Certe postea plures ad Davidem transfugerant, alii transitum iam parabant, idque maxime efficiebant oracula prophetarum (cf. v. 18) late iam divulgata, quibus Davidi regnum promittebatur. Quod sane argumenti genus ad movendos *seniorum* animos non parum habebat efficaciae. v. 18 « *Nunc ergo facite* », desiderata exsecutioni mandate (*Then.*), « *quoniam Dominus locutus est ad David* » — haec ratio praescindendae omnis moae, exspectandique fausti eventus, Domini quippe consilium exsecuturi estis—« *dicens : In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philisthiim, et omnium inimicorum eius* ». Nullibi haec verba leguntur : sed num omnia prophetarum oracula libris conscripta sunt atque ad nos devenerunt? num Gad aliique prophetae nullas unquam prophetias ediderunt? In rebus extremis solitus erat Deus novis editis oraculis populum suum consolari; haud igitur mirum est, si post stragem etiam in monte Gelboe effectam oracula quaedam prodierint. Placet nostrae prophetiae originem ei tempori adscribere, cum in ea Philisthaeorum habeatur mentio. v. 19 « *Locutus est autem Abner etiam ad Beniamin* ». *Loqui in auribus* modum aliquem magis familiarem colloquendi insinuat. Non poterat Beniaminitas Abner auctoritate terrere, ipsi enim fortissimi erant et robur exercitus Isboseth. Ex his verbis iudicaverim, Abner singulas tribus seorsim adiisse. « *Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron omnia, quae placuerant Israeli, et universo Beniamin* ». Non solum consilium adhaerendi Davidi exposuit (*Then.*), sed insuper conditiones adhaesionis. Sane imprimis Beniaminitae prospexerunt, ne qua anteactorum vindicta de ipsis sumeretur, ne bonorum iacturam paterentur, ne Iudaeis inferiores haberentur. Illudne licet ex voce *universo* coniicere, Beniaminitas unanimiter in Abneri partes abiisse? v. 20 « *Venitque ad David in Hebron cum viginti viris ; et fecit David Abner et viris eius, qui venerant cum eo, convivium* ». Non utique ipso adventus die, sed negotio absoluto, quod quidem, Abnero aequa petente et Davide liberaliter petita concedente, brevi expeditum esse videtur. Convivii splendor fuit signum externum internae animorum unionis. *Then.* putat viginti viros adhibitos esse, qui deducerent Micholem, *Keil*, qui nomine tribuum dictis Abneri auctoritatem adderent : certe virum, qualis Abner erat, non decebat absque comitatu tale iter suscipere. Haec ratio sufficit, aliam textus non enuntiat. v. 21 « *Et dixit Abner ad David : Surgam* », — *et ibo* addunt *Hebr. LXX Chald. Syr.* : consilium prius cum Davide initum nunc exsequi aggreditur — « *ut congregem ad te dominum meum regem omnem*

Israel, et ineam tecum foedus et imperes omnibus, prout desiderat anima tua ».

Reliqui *imperes super omne, quod etc.* : sensus idem est, nam neutrum illud *omne* obiective significat personas *omnes*. Pro *ineam Hebr. Chald. Syr. ineant* (cf. 5, 3), fortasse melius : non ad Abner, qui iam Davidem salutat regem, pertinet, cum eo foedus ferire.

« *Cum ergo deduxisset David Abner, et ille isset in pace* »,—melius haec absolute ponuntur, concludunt enim narrationem eorum, quae inter David et Abner gesta sunt : Deduxit ergo David Abner, et ille ivit in pace. Sequens sententia incipit ab *Et ecce. Ire in pace* frequens scripturis locutio, non solum significat non molestatum abire (*Then.*), sed abire perfecte reconciliatum.

v. 22 « *Statim pueri David et Ioab venerunt caesis latronibus, cum praeda magna nimis ; Abner autem non erat cum David in Hebron, quia iam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace* ». v. 23 « *Et Ioab et omnis exercitus, qui erat cum eo, postea venerunt ; nuntiatum itaque est Ioab a narrantibus : Venit Abner, filius Ner, ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace* ». Videntur ad illud usque tempus negotiationes inter David et Abner habitae esse secretissimae, ita ut ne ipse quidem Ioab, quo loco illae essent, accurate sciret. Verum, quod Abner ad Davidem venerit, ab eo convivio exceptus et amice dimissus fuerit, haec utique latere non poterant. Nota, quanto studio s. auctor inculcet, adveniente Ioab Abner iam non fuisse in Hebron : ergo Ioab non fuerat a rege accersitus ad interimendum Abner, rex innocens erat caedis eius.

Hebr. Et ecce pueri David et Ioab veniebant de latronibus. גדוד, (cf. 1 Reg. 30, 8) secundum etymon *acies*, saepius significat *latrones* ; recte quoad sensum etiam vertunt *LXX expeditio. Postea*, recte quoad sensum a Vulg. suppletur, *Hebr.* solum repetit verbum *veniebat*.—v. 24 *Hebr. Vulg. Chald.* legunt וילך הלוך, *et abiit et recessit* quod *Ew.* (§. 280 b) et *Keil* interpretantur *omnino abiit*, nulla sc. re mulctatus. *LXX Syr.* pro הלוך legebant particulam interrogativam הלוא, quam ad v. 25 trahebant : sane vix potuit Ioab v. 25 ordiri ab affirmatione *nosti*, bene vero ab expostulatione *Nonne nosti ?* Tamen expostulatio potuit vocis modulatione exprimi, omissa particula interrogatoria ; quod suggerit nostra Vulg., v. 25 adscripto interrogationis signo.

v. 24 « *Et ingressus est Ioab ad regem et ait : Quid fecisti ? Ecce venit Abner ad te : quare dimisisti eum, et abiit et recessit ?* » Ex modo, quo Ioab Davidem alloquitur et quo David v. 39 de Ioab conqueritur, inferas Ioab non multo iuniorem fuisse Davide, ergo Saruiam sororem fuisse longe maiorem natu Davide. Aliunde videtur Ioab aliquantum iunior fuisse Davide, nam Davide moriente decrepita aetate (cf. 3 Reg. 1) Ioab nondum videtur destitutus fuisse robore et audacia ad res magnas

adoriendas. v. 25 « *Ignoras Abner, filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, et sciret exitum tuum, et introitum tuum et nosset omnia, quae agis ?* » פְּתֵה, verbis decipere. Ultimae duae expressiones sunt synonymae, priorem vide 1 Reg. 18, 13. 16. Num haec Ioab ipse credebat? Eius utique non erat eximia sinceritas ; ceterum, qui malo sunt animo, frequenter etiam aliorum mentem sinistre interpretantur. David Ioabi dictis nequaquam est assentitus (cf. v. 28 sqq.), fortasse tamen illa non satis explicite repudiavit, ut Ioab coniiceret necem Abneri sibi, si non tacite permitti, at certe impunitam esse discessuram ; praeterea oppido norat, quam necessarius (cf. v. 39) ipse regi esset. v. 26 « *Egressus itaque Ioab a David, misit nuntios post Abner, et reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David* ». Misit, inquit *Ios.*, « qui eum Davidis nomine revocarent ». Locus est ignotus, probabilius situs in via, quae ab Hebron ducit Beniamin versus, secundum *Ios.* viginti stadiis distans ab Hebron. v. 27 « *Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab ad medium portae, ut loqueretur ei in dolo, et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael, fratris eius* ».

Obiicit *Then.*, medium portae non fuisse locum idoneum ad secrete colloquendum : quam difficultatem iam praeoccupavere *Chald. Syr.* vertentes אלתוך *intra.* — שלי *Vulg. LXX* derivavere a שלה, *errare, peccare*, ergo *dolo* ; *Chald. Syr.* a שלה, *quietum esse*, ergo *quiete*. Ioab eo concessit praetextu maioris quietis, revera ne a quoquam prohiberetur, et ut actio prehendentis mucronem in loco obscuriore ignoraretur.

v. 28 « *Quod cum audisset David rem iam gestam, ait : Mundus ego sum et regnum meum apud Dominum usque in sempiternum a sanguine Abner, filii Ner* ». *Hebr. de cum Domino* : id ideam suggerit rei a tribunali divino dimissi et a crimine absoluti (*Then.*). — *Regnum* adiicitur, quandoque enim regis progenies ferre debet sequelas peccati parentis, cf. 1 Reg. 13, 13 sq. — « Illud, in sempiternum, ex Hebraeorum usu nihil habet praeter epitasim non vulgarem, sed quae maiorem in modum rem negatam aut affirmatam exaggerat » (*Sanct.*). v. 29 « *Et veniat* » — *Hebr. advolvatur*, sc. sanguis — « *super caput Ioab et super omnem domum patris eius, nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fusum, et cadens gladio, et indigens pane* ». Dira imprecatio, quam inspiraverat Davidi quum horror sceleris, tum desiderium omnis a se suspicionis efficaciter removendae.

« Fluxu seminis laborans inutilis est ad generandum, quia semen profundit ; punitur ergo Ioab hic sterilitate et ἀτεκνίᾳ » (*Lap.*).—פלך utique etiam significat *fusum*; hic tamen *baculum*, *LXX* σκυτάλη, illum sc. cui illi innituntur infirmi, « qui sunt mutilato corpore » (*Theodoret.*), qui ambulare erecti nequeunt « prae dolore morbi

pedum, qui vocatur podagra » (*Rabbi Isaias* apud Amam.). Ita *Chald.* quoque vertebat, sed corrige אגר in אגד.

v. 30 « *Igitur Ioab et Abisai, frater eius, interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael, fratrem eorum, in Gabaon in proelio* ». Ergo Abisai consenserat neci ; fortasse ne quis eam impediret, providerat. Ubi advertit *Malv.* : « Notant, rationem reddi imprecationis Davidis in totam paternam familiam eius (Ioab), quia ambo fratres, qui superfuerant, in necem Abneri turpiter conspiraverant ».

Abner Asaelem iusto in proelio occiderat, et quidem bis de periculo admonitum : ergo iniuste a Ioab interemptus est, qui invidia moveretur viri, brevi futuri acceptissimi Davidi *(Ios.)*, cf. 20, 10. Hunc versum expungi iubet *Wellh.*, quod sit velut supplementum quoddam serius adiectum, quo ostendatur, cur David v. 29 et 39 non soli Ioab maledicat, sed toti domui patris eius. At detur versus esse eiusmodi supplementum : num ideo serius illud adiici oportuit ? num non saepe auctores, dum libros suos conscribunt, eiusmodi ipsi adiiciunt ? aut non potuit Nathan ipse serius illud adiecisse, quod illam maledictionem reapse aliqua explicatione indigere sentiret ? Praeterea, licet versus id etiam explicet, cur David una cum Ioab toti domui patris eius maledixerit, tamen neque ad hoc unice neque ad hoc potissimum explicandum adiectus fuit versus : ratio primaria fuit, ut ostenderetur Davidis innocentia in caede Abner. Quam auctor summo studio inculcat. Sic v. 26 monuerat, revocatum esse Abner « ignorante David » ; v. 28 sq. David se ab omni culpa defendit, et totam maledictionem in Ioabum coniicit ; v. 32 sqq. David Abnerum solemnibus exsequiis honorat ; v. 37 asseritur totus populus innocentiam David perspexisse ; v. 38 sq. David rursum de filiis Saruiae conqueritur. Medii inter haec omnia inseruntur v. 30 sq. : « Igitur Ioab et Abisai interfecerunt Abner . . . Dixit *autem* David etc. ». Nonne haec uno calamo conscripta sunt ? — Adverte, totam hanc partem de Davide Hebrone regnante *apologiae* cuiusdam rationem habere, ostendentis Davidis in ruina domus Saul innocentiam. Hinc primum eius in Saulem mortuum pietas describitur ; ipse nonnisi Deo bis consulto Hebrone sedem fixisse, non ipse sed Ioab belli auctor fuisse ostenditur. Verum duo supererant facta, in quibus David non ab omni suspicione erat immunis, interfectio Abner et Isboseth : utrumque ita narratur, ut clarissime pateat, facta illa inscio et nequaquam consentiente David occurrisse.

v. 31 « *Dixit autem David ad Ioab et ad omnem populum, qui erat cum eo* », i. e. aut probabilius exercitum, qui erat cum Ioab, aut incolas Hebron, qui erant cum David : « *Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exsequias Abner* ». *Hbr. ante Abner* ; sed intelliguntur exsequiae ; imo ex verbis fortasse inferre licet cum *Ios.*, Ioab et reliquos ante feretrum, David post illud in funebri processione incessisse. שק « saccus », *aethiop.* vestimentum ex crinibus.

« *Porro rex David sequebatur feretrum* ». v. 32 « *Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner; flevit autem et omnis populus* ». v. 33 « *Plangensque rex et lugens Abner, ait : Nequaquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner* ». v. 34 « *Manus tuae ligatae non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati : sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti* ». Non manibus et pedibus ligatus ductus es ad mortem, quia malefactor non eras ; occidisti inique occisus. Quo carmine Abneri innocentia et Ioabi scelus modo maxime solemni enuntiabantur ; simul etiam Davidis innocentia indubie patefiebat : ecqui enim occisor in exsequiis occisi taliter aget ?

נבל, *Chald. impius* : sic v. 34 amplificat id, quod v. 33 edixerat, non sicut malefactorem corruisse Abner, sed malefactorum manu insontem ipsum. *Vulg.* derivat significationem *ignavus*, ut affirmetur Abner non ignobilem mortem obiisse, qualis sit ignavi militis aut malefactoris, sed etc. — *Sunt aggravati* : recte *Vulg.* in הגשו legit שׂ pro שׁ *(accesserunt)*, quod legunt *Masor. LXX Chald. Syr.* Praeterea *LXX* legebant et iungebant הֻגַּשְׁתָּ כִּנְבָל, *adductus es sicut impius ; Syr.* הֻגַּשְׁתָּ כְּנָפֵל, *adductus es sicut cadens*. Sed in his sequendi sunt *Hebr. Vulg. Chald.*

« *Congeminansque omnis populus flevit super eum* ». *Hebr. Et populus etiam magis flevit super eum,* commotus verbis David. v. 35 « *Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die, iuravit David dicens : Haec faciat mihi Deus, et haec addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam* ». Quibus sane auditis populus etiam ipse abstinuit, sicque luctus eadem solemnitate habitus est pro Abner, qua habitus fuerat 1, 12 pro Saul et Ionatha. « Haec ei (Davidi) gratiam apud populum conciliarunt. Nam, qui Abnerum vel maxime dilexerant, vehementer hunc defuncto praestitum ab eo honorem servatamque fidem probaverunt : quod eum, ut cognatum et amicum, omnibus exsequiarum iustis dignatus fuerit, et non ut inimicum turpis et tunc neglectae sepulturae ignominia affecerit » *(Ios.)*.

Cibum capere cum David : videtur fuisse quoddam epulum funebre. Sed *Hebr. LXX Chald. Syr.* legebant להברות, *manducare facere;* cf. 13, 5 ; unde autumat *Then.*, adhibuisse populum Davidi genus consolationis vel maxime sensuale. At difficile intelligitur, qui venerit universus populus ad cogendum David, ut cibum sumeret. Qua difficultate perspecta, *Ios.* pro universo populo posuit familiares regis tantum. Lectio plurium codicum est להכרות, *ad deducendum ad convivium,* sed sic abundat לחם. *Vulg. Symm.* legebant לברות, *ad manducandum cum David,* quae lectio est omnino plana.

v. 36 « *Omnisque populus audivit* », — *Hebr. intellexit,* sc. genuinum esse Davidis dolorem, « caedem Abneri non fuisse patratam rege conscio »

(Malv.) — « *et placuerunt eis cuncta, quae fecit rex in conspectu totius populi* ». *Hebr. Chald. et placuit in oculis eorum, sicut cuncta, quae fecit rex in conspectu totius populi, bona erant.* Similiter *Syr.* v. 37 « *Et cognovit omne vulgus et universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege, ut occideretur Abner, filius Ner* ». Primum cognovit omnis populus sc. Iuda, cf. v. 23. 31 sqq., mediate didicit populus Israel.

v. 38 « *Dixit quoque rex ad servos suos : Num ignoratis, quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel ?* » Est ἓν διὰ δυοῖν ; *LXX Syr. dux magnus.* v. 39 « *Ego autem adhuc delicatus et unctus rex, porro viri isti filii Saruiae duri sunt mihi : retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam* ». Sensus verborum omnino is est, ut David se excuset, quod non ipse retribuat Ioabo, eum puniat et imperio privet. Ratio, cur eam punitionem Domino relinquat, proxime est, quia *viri isti duri sunt mihi*, i. e. fortiores me sunt. Ad quae verba *Ego autem delicatus etc.* evidenter antithesin quamdam exprimunt, enuntiant regis debilitatem ut oppositam Ioabi robori, aliquando utique tollendam, sed *adhuc* (*Hebr. hodie*) perdurantem. Sensum accurate expressit *Malv.* : « Occisores tanti viri agnoscitis maximo supplicio dignos ; sed infirmus rerum mearum status non patitur, ut nunc supplicium sumam de his, qui plus quam ego apud populum possunt ». Cecidit hodie dux magnus, cuius ego ad regnum recenter advectus opera utique fueram usurus, cuius igitur necis certissime auctor non fui ; quam tamen ulcisci in praesens non valeo, infirmior quippe sum, quam ut inter Iudaeos et in bello contra Israel carere Ioabi fortitudine queam. Quod excusationis genus simul undecim tribubus invitatio est ad se Davidi adiungendum et ita eius potentiam augendam.

Difficultatem verba faciunt. *Delicatus et unctus rex* habent *Hebr. Vulg. Chald.* Quod explicat *Amama* : « Unctus tantummodo, necdum in possessionem immissus » ; at falso, nam unctus erat rex super Iuda, et in possessionem regni Iuda venerat. *Sa* : Ego utique sum debilis, et recens accepi unctionem regiam ; sed vox *recens* in textu non est. *Ew.* : Utique ego nunc in palatio vivo, et unctionem regiam nactus sum ; attamen etc. — *LXX* pro רך ושוח מולך legebat דך ושום מכולך, *propinquus et constitutus a rege* ; ubi, si literas evidenter corruptas restituas, exurgit sequens probabilis lectio רך ושוח מכולך, debilis et depressus, plus quam decet regem. Hunc fere sensum libere reddit *Ios.* : « Sciatis autem, me infirmiorem esse, quam ut in Ioab et Abisai, filios Saruiae, animadvertam ».

Liceat nobis h. l. de *Ioabi* indole pauca subiicere. Ioab vir durus : durum fecit ambitio ; fecit etiam crudelem et perfidum. Religio illi dura, rudis : obstitit 24, 3, ne populus numeraretur, quod provocandam Dei iram neque regi neque sibi usui futuram esse prospiceret. Davidi fidem constanter servavit ; licet plus illo quandoque valeret et robore et astu, nunquam de throno usurpando videtur

cogitasse ; eius praeprimis enituit fides in turbis ab Absalome excitatis. Domui quoque David sincere addictus erat Ioab, sed animo carnali et a fidei lumine alieno. Hinc 14,1 sq. Absalomem tum natu maximum patri reconciliare studuit ; postea Adoniae, qui proximus natu esset, partes sustinuit atque, ut a Salomone capitis damnaretur, promeruit. Post regis fidem nihil illi sacrius se ipso : illud alte animo fixerat, ut alium ferret post regem secundum nullum. Hinc Davidem inter et Isboseth res pacifice componi passus non est. Abnerum interemit, praetextu quidem ultionis, sed longe verius ideo, quod sibi ab eius apud regem et plebem gratia timeret. Neque anni multi viri indolem emendarunt, nam 20,10 sq. ex eadem ambitione Amasam confodit ; ubi dicebant, qui testes aderant : « Ecce qui esse voluit pro Ioab comes David ». Absalomem, quem sibi, a patre in gratiam receptum, infensum futurum pertimescebat, iaculo transfixit. Regis interim furorem, primum impotentem neglexit, postea rebus utiliter gestis compescuit. In expugnanda arce Sion eius enituit fortitudo, pecunias postea in munitionem urbis liberaliter impendit 1 Par. 11, 6. 8, regi gloriam devictorum Ammonitarum 2 Reg. 12,28 modeste concessit. Cuius vafritiem perspectam tandem habuit David atque, ut iustas ferret poenas, Salomoni commendatum reliquit 3 Reg. 2,5 sq.

6) Isbosethi interitus 2 Reg. 4,1-12.

Arg. — Abneri nece Isbosethi res misere collabuntur. Beniaminitae duo, rati se gratum Davidi facturum, Isbosethum trucidant, sed iusto a Davide supplicio afficiuntur. Davidis in hoc facto innocentia elucet tum ex eo, quod sicarii Beniaminitae essent et Isbosetho familiares, tum ex gravissimis, quas de illis sumpsit David, poenis.

Cap. IV v. 1 « *Audivit autem Isboseth, filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron, et dissolutae sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est* ». Describitur accepti nuntii effectus in Isboseth et in populo. Manus propendentes inertes exprimunt terrorem et consequentem ignorantiam, quid sit faciendum. « Tantum virium et auctoritatis habuit Isboseth, quantum illi tribuerat patronus et imperator Abner : quare, cum sublatum audivit, statim deiectus est animus, et totius corporis dissoluti nervi » (*Sanct.*). In populo autem desiderabatur iam, qui « regebat domum Saul » (3, 6). Negotiationes cum David ad tempus interruptae erant, interempto eo viro, qui earum auctor fuerat et promotor. Mors Abner primum utique Davidi imputabatur dubitaturque, acturusne esset ut hostis, an ut amicus.

v. 2 « *Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Rechab, filii Remmom Berothitae de filiis Beniamin, siquidem et Beroth reputata est in Beniamin* » ; v. 3 « *et fugerunt Berothitae in Gethaim, fueruntque ibi advenae usque ad tempus*

illud », vel potius, *hoc,* sc. scriptoris sacri. Illud inculcatur, occisores Isboseth fuisse Beniaminitas, ut ex una parte sceleris atrocitas illustretur, ex altera Davidis innocentia : vix enim David Beniaminitas sicarios conduxisset, et minime omnium eos viros, qui in exercitu Isboseth imperium aliquod obtinerent.

Erant duces *turmarum,* quorum utique belli gerendi ratio a latrocinio parum videtur fuisse remota ; ceterum notat *Verc.*, etiam latronum nomine quandoque veri nominis milites designari. — *Beroth* urbs erat Gabaonitarum Ios. 9, 17, tribui Beniamin attributa 18, 25 : nominatur etiam 1 Esdr. 2, 25 ; 2 Esdr. 7, 29. Quodsi autem urbs primitus fuerit attributa tribui Beniamin, quomodo nunc tandem narratur esse *reputata in Beniamin* seu *adnumerata Beniamin (Hebr.)*? Respondeas, non explicari h. l. fuisse eam urbem intra fines Beniamin, quod luce clarius patebat, sed illud explicari factum, quomodo urbs, quae fuerit a Iosue 9, 17 sqq. incolis Chananaeis perenniter concessa, nunc tandem eo devenerit, ut incolas haberet Beniamine prognatos. Hinc perspicere est, quo tempore Remmom ille de filiis Beniamin transmigraverit in Beroth. Quatuor erant civitates Gabaonitarum : Gabaon, Caphira, Beroth, Cariathiarim. Cariathiarim scimus tempore Samuelis incolas habuisse Chananaeos, Gabaonitas 2 Reg. 21, 1 Saul interfecerat. Vix ergo dubitari potest, uno eodemque tempore Saulem quatuor illis urbibus iniuriam intulisse, quo tempore cum aliis etiam Remmom in Beroth commigraverit, et agris Berothitarum ditatus sit. — *Gethaim* 2 Esdr. 11, 33 Beniaminitis tribuitur, quo quidem solo facto non probatur stricte, eam antiquitus etiam ad Beniaminitas pertinuisse. Sane, sicut Rama vocabatur Ramathaim, ita Gethaim potuit etiam nomen habere Geth *(Calm.)*. Unde rursum probabilis fit coniectura *Welth.*, hoc Geth seu Gethaim idem esse atque Geth Remmom, urbs sacerdotum Danitis primitus attributa, neque longe distans a finibus Beniamin, ut ex locis una enumeratis Ios. 19, 45 ; 21, 24 effici videtur.

v. 4 « *Erat autem Ionathae, filio Saul, filius debilis pedibus; quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul et Ionatha ex Iezrahel; tollens itaque eum nutrix sua fugit, cumque festinaret, ut fugeret, cecidit, et claudus effectus est; habuitque vocabulum Miphiboseth* ». 1 Par. 8, 34 ; 9, 40 vocatur Meribbaal : cf. dicta ad 2, 8. Puer cum nutrice videtur fuisse Gabaae Saulis, unde apparet etiam illinc populum trans Iordanem fugisse 1 Reg. 31, 7. Erat puer *percussus* pedibus, sc. paralysi.

Haec de Miphiboseth animadversio praeparat cap. 9 ; cur vero hoc praecise loco inseratur, non ita liquet. Attende parallelam constructionem v. 2, *duo viri principes erant filio Saul*, et v. 4 *erat Ionathae filius.* In eo videtur esse s. auctor, ut nobis ostendat, qui, sublato Abner, domui Saul superfuerint adiutores ; quos enumerat Isboseth terrore exanimem, populum omnino perturbatum, Miphiboseth infantem eundemque infirmum, tandem duces exercitus duos, ceteris

uti videtur praestantiores, sed qui ipsi Isboseth interemerint. « Cum latrones isti viderent, neminem fore designatae a se caedis aut regni vindicem, praeter Miphibosethum puerum adhuc et claudum, spe impunitatis in factum audacius proruperunt » (*Malv.*).

v. 5 « *Venientes igitur filii Remmon Berothitae, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth, qui dormiebat super stratum suum meridie* ». *Suum* reliqui non habent ; *Hebr. Chald. Syr.* intelligebant : super stratum meridianum ; cf. *germ.* « Mittagschlaefchen ». צהרים explicat *Fürst* lucem duplicem, medium inter lucem crescentem et decrescentem tempus ; verum, cum formae analogae ערבים Ex. 12, 6 et שחרים 1 Par. 8, 8 eandem illam explicationem minime patiantur, melius fortasse cum *Ges.* illas dualis formas explicabimus ut intensivas : plenissima lux i. e. meridies. — Sequens v. 5 pars ex *LXX* irrepsit in *Vulg.* cf. *Verc.* : « (*Et ostiaria domus purgans triticum obdormivit*) ». v. 6 « *Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana, frater eius, et fugerunt* ». v. 7 « *Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi* ». *Hebr. in cubiculo strati sui*, ubi sc. dormire consueverat, « *et percutientes interfecerunt eum ; sublatoque capite eius, abierunt per viam deserti tota nocte* ». Intelligitur via sequens depressionem Iordanis (cf. 2, 29), trans flumen, ducens per regionem non ita dense inhabitatam, ideoque ab observatione remotiorem, maxime nocturno tempore.

Ceterum locus est vexatus. Discordant textus, cum illud de ostiaria sola *Vulg.* et *LXX* habeant, spicas vero percussumque inguinem *LXX* ignoret. Intelligi nequit illud *assumentes spicas tritici*. Tandem offendit, narrari ter sicariorum adventum (v. 5 *ingressi sunt*, v. 6 *ingressi sunt*, v. 7 *cum autem ingressi fuissent*), bis interfectionem (v. 6 *percusserunt eum in inguine*, v. 7 *percutientes interfecerunt eum*), bis quoque profectionem (v. 6 *fugerunt*, v. 7 *abierunt*). Confusio videtur originem duxisse ex textu hebr. partim defigurato, partim false interpretato. *Hebr.* והנה באו עד תוך הבית לקחי חטים verbotenus reddit *Vulg.* : *ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici* ; ubi *latenter* cum *Verc.* revocamus ad עד תוך, *usque ad interiora*, licet illud etiam possit explicari ut repetitio sequentis נמלטו (*fugerunt*). Sed eadem verba ita legebat *LXX* : והנה שוערת הבית חלקת חטים, *et ecce ostiaria domus purgans triticum*, seu *et ecce ostiaria domus purgationis tritici* (חלק separare, secernere) ; quam LXX versionem reddit *Vulg.* : *et ostiaria domus purgans triticum*. Sane שוערת ex [ועדת[וך] ב facile oriri potuit, facilius etiam לקחי ex חלקת. Unde textus genuinus ita restituitur : והנה באו עד תוך הבית חלקת חטים, Et ipsi (vel : et ecce) ingressi sunt intra domum purgationis tritici. — In sequentibus ויכהו על החמש legebant *Hebr. Chald. Syr.*, quod reddidit *Vulg. et percusseruut eum in inguine* ; *LXX* legebant והוא להה וישן, ubi cum להה Gen. 47, 13 (v. *Ges.*) cf. לאה *languere* et radicis chald. significationem, ergo *et ipse defatigatus obdormiverat*, *Vulg. obdormivit*. Lectiones sunt valde affines, haec altera contextui longe melius favet, ut

statim patebit. — Vocem tandem ובמלטו *Vulg.* vertit *et fugerunt*, *LXX et latuerunt :* utraque significatio quadrat radici מלט *evadere*, potest enim quis aut ne apprehendatur evadere fuga, aut ne conspiciatur evadere latibulo. Alter sensus melius aptatur contextui. — Ergo totum textum sic restituimus : Et ipsi ingressi fuerant intra domum purgationis tritici ; ipse vero defatigatus obdormierat. Et Rechab et Baana, frater eius, latenter ingressi sunt domum ; ille vero dormiebat in cubiculo strati sui. — Vides iam, non eadem iterato narrari, sed, enuntiato v. 5 generaliori modo sicariorum adventu, eorum iam v. 6 sq. singillatim narrari gesta. Primum absconderunt se in aedificio quodam domui Isboseth contiguo, in *domo purgationis tritici* ; inde opportuno tempore procedentes, *latenter ingressi sunt* ipsam domum.

v. 8 «*Et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron, dixeruntque ad regem : Ecce caput Isboseth, filii Saul, inimici tui, qui quaerebat animam tuam ; et dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul et de semine eius*». Nullam caedis afferunt rationem, praeter utilitatem ex ea Davidi proventuram, ob quam se utique remunerandos exspectant ; imo quasi selecta divinae providentiae instrumenta gloriantur, quod haec eorum scelus ad suos fines permiserit. v. 9 « *Respondens autem David Rechab et Baana, fratri eius, filiis Remmon Berothitae, dixit ad eos : Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia* », v. 10 « *quoniam eum, qui annuntiaverat mihi et dixerat : Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui et occidi cum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio* » : v. 11 « *quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium, in domo sua super lectum suum, non quaeram sanguinem eius de manu vestra, et auferam vos de terra ?* » Dominus cum superstite Saul multoties, tum maxime per ruinam domus Saul, quam eo permittente Rechab et Baana scelerate perfecerant, eruerat animam David : unde novo gratitudinis titulo obligatur David ad regis officia religiose obeunda, et speciatim ad Rechab et Baanae scelus puniendum. Quorum scelus augetur inde, quod *virum innoxium* occiderint, *Hebr. iustum*, i. e. qui nemini nocuerit neque malum intulerit — adverte negativam hanc iustitiae descriptionem, — quodque occiderint in loco maxime suo, a quo inimicus iure perquam longissime excludatur, et in eo statu et situ, quo minime sibi potuerit cavere, quae omnia neci imprimunt notam violentiae et ignaviae.

Qui putabat se prospera nuntiare : Hebr. et ipse erat quasi bonum nuntium annuntians in oculis suis ; LXX Syr. in oculis meis, quod utique intelligi oportet ironice.

v. 12 « *Praecepit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos ; praecidentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron ; caput autem Isboseth tulerunt, et sepelierunt in sepul-*

cro Abner in Hebron». Praeciduntur manus, quibus necem operati erant, pedes, quibus pro mercede cucurrerant (*Keil*). Putabat iam *Ios.* ante mutilatos esse, et postea occisos : sed textus contrarium habet (*Sanct.*).—In Hebron sepelitur caput, quod eo tempore ex Iudaea nondum pateret accessus in terram Beniamin, ubi erat sepulcrum familiae Cis.

pars II. Regnum Davidis in Ierusalem 2 Reg. 5-20.

Ostendimus Intr. n. 3 et 8, huius narrationis partem magnam ex fastis esse decerptam, totiusque narrationis ideam principem hanc esse, quomodo Davidi, aedificaturo domum Deo, vicissim Deus aedificet domum. Circa hanc reapse ideam tota disponitur narratio.

Duas primum in partes narratio dispescitur, quarum prior cap. 5-11 excerpta ex fastis complectitur, paucis intersparsis, quae aliunde petuntur; altera peccatum David enarrat. De altera parte suo loco dicemus.

In priori parte cap. 5-7 praeparat magnam illam promissionem, cap. 7 eandem enarrat, cap. 8-11 concludit summario bellorum David, et accuratiore narratione belli Ammonitici, inter quae inseritur narratio de Miphiboseth ad aulam Davidis accito, quae requiritur ad 16, 1 sqq. intelligendum, neque poterat alio loco inseri ob eximiam sequentis narrationis unitatem. Praeparatur autem promissio domus aedificandae, narrato 1) 5, 1-5 quomodo David fuerit agnitus rex super universum Israel, 2) 5, 6-10 quomodo sedem regni Hierosolymis fixerit, 3) 5, 11-16 quomodo palatium aedificaverit, uxores duxerit, filios genuerit, 4) 5, 17-25 quomodo duobus bellis feliciter gestis Hebraeos a Philisthaeorum iugo exemerit, 5) 6, 1-23 quomodo arcam de Cariathiarim in Sion traduxerit. Quibus narratis iam efficitur, ut hinc habeas domum David firmiter stabilitam, illinc arcam Dei Hierosolymas quidem translatam, sed domo adhuc carentem : ita sane aptissime praeparatur illa de domo arcae a Davide, et domo Davidis a Deo aedificanda promissio. Bella Philisthaica h. l. ea tantum narrantur, quae ad regnum Davidicum primum stabiliendum contulerunt; dum ea, quae 21, 15 sqq. habentur, narrantur non tam ob utilitatem in totum regnum ex illis derivatam, quam potius ob quorumdam heroum egregia facta memoriae tradenda.

A. Excerpta ex Fastis 2 Reg. 5,1-11,1.

1) Praeparatur promissio Davidi facienda 2 Reg. 5,1-6,23.

a. David universi Israel rex agnoscitur 2 Reg. 5,1-5.

Cap. V v. 1 « *Et venerunt universae tribus Israel ad David in Hebron, dicentes : Ecce, nos os tuum et caro tua sumus* ». v. 2 « *Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel. Dixit autem* » — et dixit — « *Dominus ad te : Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel* ». Venerunt « ex omnibus tribubus aliqui, praesertim principes » (*Mar.*). Num simul venerunt? Nolim affirmare. Plus septennio regnavit David in Hebron, biennio tantum Isboseth (2,10 sq.), tamen Isboseth brevi post mortem Saul videtur esse creatus rex in Mahanaim : manet ergo quinquennium ab interfecto Isboseth, quo tribus septemtrionales sibi relictae paulatim ad partes Davidis transiisse videntur. — Cum *exitus et introitus* (3,25; 1 Reg. 18,13. 16) significet omnia, quae quis agit, expressio *educere et reducere Israel* significat totam administrare rempublicam vel rem militarem. — Verum quodnam est argumentum verborum? *Michaelis*, *Then.* : Nolumus amplius regem nobis ceteroquin acceptum ideo solum recusare, quod ex alia sit tribu. Simplicius ita : Eiusdem gentis es, cuius nos sumus; iam regnante Saul egregie de republica meritus es; insuper te Deus ad regnum selegit : quare te libentissime regem agnoscimus. Recteque *Menoch.* provocat ad Deut. 17,15 : « Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus ». — Dictum illud Domini verbotenus in prophetiis ad nos transmissis non habetur (cf. etiam 3,9. 18); sed nonne idipsum factis loquebatur Dominus, quando per Samuelem ungebat Davidem? Verbis praeterea enuntiasse videtur aut Samuel, aut propheta alius. — Argumentorum v. 1 sq. prolatorum legitima conclusio ea erat, ut David rex ab omnibus agnosceretur : quam conclusionem factis impletam ostendit v. 3 « *Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David foedus in Hebron coram Domino* ». Cf. 3,13. 21. Foedus illud *coram Domino* percussum est, Iehova sc. in testem invocato (*Sanct.*). « *Unxeruntque David in regem super Israel* ». Cf. dicta ad 2,4. — 1 Par. 11,3, quae narratio ceterum verbotenus cum nostra coincidit, addit (hebr.) : « secundum verbum Domini per manum

Samuelis »; quod verbum non habemus necesse supponere esse diversum ab eventu 1 Reg. 16, 12 sq. narrato. Duplici publica unctione (2, 4 atque h. l.) David duo regna, personali quam dicunt unione, obtinuit. Quae distinctio nunquam est obliterata (cf. v. 5; 12, 8; 19, 40 sqq.; 20, 2; 3 Reg. 1, 35; 4, 20 etc.), et mortuo Salomone separatione regnorum est completa. v. 4 « *Filius triginta annorum erat David, cum regnare coepisset, et quadraginta annis regnavit* ». v. 5 « *In Hebron regnavit super Iudam septem annis et sex mensibus; in Ierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Iudam* ». Haec repetuntur 3 Reg. 2, 11 et 1 Par. 29, 27, omissis tantum *sex mensibus*; unde videtur posse concludi, integrum Davidis regnum fuisse quadraginta annorum et sex mensium; nisi mavis defendere trigesimum tertium annum, Hierosolymis transactum, fuisse incompletum.

b. David regni sedem Hierosolymis figit 2 Reg. 5, 6-10.

Narratur David urbe Ierusalem potitus ibidem regni sedem fixisse. v. 6 « *Et abiit rex et omnes viri, qui erant cum eo, in Ierusalem ad Iebusaeum habitatorem terrae* », i. e. aborigenes terrae sanctae (*Tir.*).

Modo dicebatur David triginta annis in *Ierusalem* regnasse, unde concludit *Clair*, captam esse Ierusalem ipso eorum triginta annorum initio : conclusio probabilis, non tamen necessaria, nam expressio « regnavit in Ierusalem » potest etiam largiori aliquo sensu intelligi. Observa Davidis pietatem, ab ipso regni exordio adnitentis divinum implere mandatum, quo illae gentes proscribebantur; cum illa confer Saulis vafritiem, contra Iebusaeos arce firmissa protectos nihil toto regno molientis, sed innoxios Gabaonitas adorientis, quorum incolumitati Iosue lege providerat. — *Iebusaei* originem ducebant a Chanaan, filio Cham, Gen. 10, 16. Eorum terra fuerat Abrahamo Gen. 15, 21 promissa, et promissio identidem iterata. Quorum rex Adonisedec, cum quatuor aliis regibus, a Iosue cap. 10 devictus et interemptus est. Urbs Iebus seu Ierusalem Ios. 18, 28 et Iud. 1, 21 Beniaminitis, Ios. 15, 63 Iudaeis tribuitur; simul narrantur Hebraei non potuisse exstirpare Iebusaeos, sed illis permixti regionem incoluisse. Ea urbs, quod fere aequali proportione ad Iudaeos et ad Beniaminitas pertineret, aptissima erat, quo David sedem imperii ex Iuda et Israel coadunati conferret.

« *Dictumque est David ab eis : Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos et claudos, dicentes : Non ingredietur David huc* ». *Chald. LXX* ultima haec distinctius construunt ut dicta a caecis et claudis, i. e. ab idolis. Ita tollitur ea, quae secus adesse videretur, repetitio; nihil quippe abundat in sententia huiusmodi : Non intrabis huc, nam dii te abigent, ne intres. — כי אם *Vulg. Chald. Syr.* vertunt *nisi*, ubi הסירך explicandum est, ut sit infinitivus cum suffixo, constructione secus haud usi-

tata. Sed *LXX* vertunt *quia* vel *sed*, et similiter *Ios.* : « sed depellent te »; ubi formam verbalem explicat *Keil*, ut scribatur perfectum loco futuri tamquam pro re decreta, et singularis pro plurali, quod subiectum in plurali sequatur verbum. Sed *Wellh.* pro הֲסִירֻךָ punctat הֲסִירֻךָ, quo altera haec difficultas eliminatur. Sensus ceteroquin planus est. Ubi David cum exercitu affuit in conspectu arcis, Iebusaei loci natura freti deditionem recusarunt, asserentes urbem per *caecos et claudos* defensum iri. Iam, qui hoc nomine veniant, ambigitur.

Putabat *Ios.*, Iebusaeos reapse ludibrii causa homines caecos et claudos armatos in summis moenibus constituisse. « Fortassis etiam », inquit *Mar.*, « quod Athenis in Prytaneo factum scimus, in ea arce alebantur milites bello inutiles facti, quos ad resistendum satis fore aiunt propter arcis munitionem ». *Ephraem* (I. 401, apud *Verc.*) veros adfuisse caecos negat, figuram sermonis interpretatur : tam praealta esse moenia, ut, si qui requirerentur defensores, vel caeci et claudi ad id muneris sufficerent. Ita etiam *Sa* : « Irrisio est, quasi dicat : Vel caeci et claudi arcem defendent ». Sed obstat v. 8 utique supponens, illos caecos et claudos revera, et non solum hypothetice, in moenibus adfuisse. Hinc alia interpretatio per caecos et claudos designari affirmat idola (*Petr. Comestor* « imagines ») a Iebusaeis in muro collocata, quorum auxilio fisi deditionem illi recusaverint. Ubi rursum duplex se offert ratio explicandi, quomodo idola nomine caecorum et claudorum designari potuerint. *Burgensis* (apud Amam.), cui assentitur *Fürst*, idola sic metaphorice designari ait, quod oculos habentes non viderint, et pedes habentes non ambulaverint, cf. Ps. 113 (115), 5. 7. Verum, cum talis sane in historica nostra narratione metaphora durior appareat, licebit supponere, habuisse Iebusaeos quaedam idola suae civitati exclusive propria, quorum nomina cum hebr. vocibus Iffer et Piseach quandam habuerint similitudinem, unde Hebraei ea iisdem vocibus ignominiose corrupta reddiderint.

v. 7 « *Cepit autem David arcem Sion, haec est civitas David* ». Cepit arcem, non solum inferiorem civitatem (*Ios.*) : quae hic v. 8 et 1 Par. v. 6 narrantur, in ipsa arcis expugnatione, seu ante eam, acta sunt. Arx Sion probabilius sita erat in colle urbis orientali, et ad meridiem loci, ubi postea aedificatum est templum. Primum h. l. in s. scriptura nominatur; nomen videtur derivatum a צוּה, ergo *petra erecta, arx*; si tamen ex linguis semiticis derivandum sit, et non potius ex linguaa borigenum prae-chanaanitarum. Nomine *civitatis David* venit pars solum urbis Ierusalem. 1 Par. 15, 3. 29 arca transportatur de Ierusalem in civitatem David. Filia Pharaonis 2 Par. 8, 11 domum habuit in Ierusalem, sed non in civitate David. Uterque locus distinguitur 2 Par. 5, 2. Sepeliri in Ierusalem 2 Par. 28, 27 non est idem atque sepeliri in civitate David.

v. 8 « *Proposuerat enim David in die illa praemium, qui percussisset Iebusaeum, et tetigisset domatum fistulas, et abstulisset caecos et claudos, odientes animam David* ». *Hebr. Dixerat autem David in die illa*: agi vero de *praemio* proponendo patet tum ex ipso versu, tum ex 1 Par. 11, 6. Utrumque locum idem Davidis respicere effatum perspicuum est, sed in neutro integrum habetur. 1 Par. 11, 6 : « Dixitque : Omnis, qui percusserit Iebusaeum in primis, erit princeps et dux. Ascendit igitur primus Ioab, filius Saruiae, et factus est princeps ». His nobis ostenditur ratio, cur Ioab, qui tantopere in nece Abner iram Davidis provocaverat, non solum punitione caruerit, sed etiam universi exercitus ex Iuda et Israel coacti imperium obtinuerit : novo sc. praeclare facto de republica meritus erat. Et aliud extemplo v. 8 subiicitur egregie factum : « Ioab autem reliqua urbis exstruxit ». Qui potuit imperio exui vir, qui et in arcem munitissimam primus penetraverat, et magnam pecuniae summam publicis usibus impenderat ? Noster scriptor, qui aliquando 3 Reg. 2, 5. 31 Davidi et Salomoni auctor futurus esset interimendi Ioab, quae ad Ioabi laudem conferunt, reticet, quod ea ad integritatem narrationis minime requirantur. Vicissim conditionem propositi a Davide praemii enucleatius commemorat, et ex ea occasionem sumit citandi proverbii (cf. 1 Reg. 10, 12; 19, 24), quod ipsius eventus, e quo natum erat, perenne quoddam exstabat monumentum. Scribit autem sententiam truncatam, sola conditione expressa, non ipso praemio : illa enim vel sola ad explanandum proverbium sufficiebat. Nota, quantopere hac narratione illustretur veritas, arcem Sion speciali Dei providentia captam, atque idolis veluti ereptam esse. — *Abstulisset* sola *Vulg.* habet, fortasse supplevit; *Syr.* etiam copulam omittit, quae in *Vulg.* ante eam vocem, in *Hebr.* ante *caecos* legitur. — Obscura est vox צנור, cuius radix non improbabiliter significationem curvitatis praefert, cum ad res curvas, uti canalem, fuscinulam, hamum, significandas descendat. Deficientibus nos lexicis, eo pressius versionibus adhaerere nos oportet. Vertunt igitur *LXX* pugionem, *Syr.*, clypeum; *Symm.* pinnaculum; fere identice *Chald.* munitionem; *Vulg.* domatum fistulas, quod etiam re fere coincidit (*Mar.*), cum eae in summo muro et prope pinnacula reperiantur (*Aq.* κρουνισμός, aqua prorumpens? Cf. Ps. 42, 8). Ergo probabilissima versio manet pinnaculum seu summitas muri ; et concordat radicalis significatio curvitatis, cum in pinnaculis desinat murus ubique aequaliter prostare. — Porro quaeritur, quodnam sit obiectum verbi וְיִגַּע, quod tangendi vel feriendi sensum praebet. Illud communius construitur cum ב, ut h. l. esset vertendum *qui tetigerit pinnaculum*. Sed Is. 52, 11 idem verbum regit accus., et ita h. l. construxerunt *LXX* et *Aq.*, ut nobis (omissa cum *Syr.* copula) liceat vertere

qui tetigerit in pinnaculo caecos et claudos. Sensus igitur, secundum superius dicta, hic erit : Qui (primus) percusserit Iebusaeum, et ferierit in fastigio muri idola, ibidem superstitiose collocata, praemium obtinebit. Sensus hic utique sat facilis est. — Manent explicanda verba *odientes animam David.* Tres lectiones textus hebr. offert, et duae praeterea ex versionibus eruuntur. שְׂנֻאֵי hanc offert versionem : Quicunque etc., eum odio habet anima David ; seu : Quicunque, dum contra Iebusaeum dimicat, in fastigio muri percutit caecum vel claudum, eum David, caecorum tenerrime miseratus, odio habet. שַׂנְאֵי, si copulam a Syr. neglectam inseras : Quicunque percusserit Iebusaeum et attigerit fastigium muri, caeci et claudi odio habebunt animam David. Vel omissa copula : Qui percusserit Iebusaeum, et ferierit in fastigio caecos et claudos, qui oderunt animam David — sed durius suppletur שְׂנוּאֵי אֲשֶׁר, exosos animae David : haec expressio optime applicatur caecis illis, maxime si supponantur esse idola ; suffragantur autem huic lectioni puncta a masorethis קֵ֫ kethib שְׂנֻאֵי subscripta. *Vulg., LXX, Syr.* legebant שֹׂנְאֵי, odientes animam David, qui sensus etiam quadrat, licet non idem ei insit vigor ac praecedenti. *Chald.* tandem שָׂנְאָא : caecos et claudos odio habet anima David. Planissima, uti innuimus, ea versio est, qua *exosos animae David* de caecis et claudis praedicatur. Unde tota phrasis (cf. *Bochart,* Phaleg l. IV. c. 36) haec est : qui percusserit Iebusaeum (primus), et ferierit in pinnaculo caecos et claudos (i. e. idola), exosos animae David, ille — hoc cum *Ps. Hier. Vatabl.* supple ex 1 Par. 11, 6 — erit princeps et dux.

« *Idcirco dicitur in proverbio : Caecus et claudus non intrabunt in templum* ». *Domum Dei* etiam scribit *LXX*, sed *Hebr. Chald. Syr.* simpliciter *domum.* Proverbium hoc certe natum est captae Sion tempore, eo autem tempore templum non exstabat. Ergo sensus potius est : Non redibunt domum, veluti emortui neque ulli iam usui futuri, quod optime dicitur de idolis ex fastigio moenium ignominiose praecipitatis. Similiter nos ironice dicimus : Iste homo non iterum surget. Ceterum, si attendas idolorum quoque templa vocari eorum domus (cf. 1 Reg. 5, 2 ; 3 Reg. 16, 32 etc.), poteris etiam cum *Vulg.* vocem *templum* retinere.

Perperam *Then.*, volens ostendere caecos et claudos prohibitos fuisse ingressu templi Hierosolymitani, provocat ad Act. 3, 2 ; Io. 8, 59 ; 9, 1. Quod claudus ille quotidie poneretur ad Portam Speciosam, non ideo fiebat, quod claudi templo excluderentur, sed quod ibi copiosior fuerit eleemosyma ; et quod Iesus templo egressus offendit caecum natum, neque probat caecos templo fuisse exclusos. Imo Matth. 21, 14 explicite affirmatur : « Accesserunt ad eum caeci et claudi in templo ». — *Vatabl.* putat *domum* intelligi arcem Sion. Sed in arce postmodum erat domus David, quam 9, 7 ingrediebatur Miphiboseth claudus ; neque sufficit cum *Malv.* dicere :

« Exceptus fuit ab hac lege Miphiboseth, validiori alia lege pietatis et gratitudinis ». — Non improbabiliter suggerit idem *Malv.*, proverbium postea in omne genus exosarum personarum esse extensum.

v. 9 « *Habitavit autem David in arce, et vocavit eam civitatem David, et aedificavit per gyrum a Mello, et intrinsecus* ». Locus parallelus 1 Par. 11, 8 habet : « Aedificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum ». Etiam nostro loco pro ויבן legebant *LXX Syr.* ויבנה, *et aedificavit eam*, sc. civitatem iam existentem munitionibus cinxit *per gyrum* seu *in circuitu*. Id autem praestitit *a Mello usque ad gyrum*, quae voces factum quidem exprimunt idem atque vox *in circuitu*, simul tamen etiam ordinem exsecutionis : orsus est David munire arcem a Mello seu turri, quae unum erat peripheriae punctum, et inde perrexit per totam peripheriam. Iam vox ובירה *et intrinsecus* (*Vulg. Chald. Syr.*) ad eundem sensum potest revocari : aedificavit a Mello et intrinsecus, semper arcis peripheriam muniens, non vero ad exteriora procedens. Posset tamen vox etiam ita explicari, ut non sit idem atque *et usque ad gyrum* (1 Par.) : circummunivit sc. urbem, incipiens a Mello, et insuper etiam intra urbem aliqua aedificia construxit.

Mello non est nomen proprium, nam et in urbe Sichem erat Mello quoddam Iud. 9, 6. 20. Pars ea erat quaedam fortificationum, distincta tamen a palatio, et a muro exteriori et interiori 3 Reg. 9, 15. 24 ; 2 Par. 32, 5 ; non merus agger, cum Iud. 9, 6. 20 de eius incolis sermo sit. *Chald.* בילתא *collem* significat. Mello in Sichem ea videtur structura fuisse, quae Iud. 9,46. 49 מִגְדַּל *turris* appellatur. Certe non est forum, dictum Mello a « plenitudine populi confluentis » (*Mar.*), quam expositionem *Malv.* asserit esse quorumdam Hebraeorum.

v. 10 « *Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, et Dominus Deus exercituum erat cum eo* ». Cf. quae ad 1 Reg. 1,3 de hoc Dei titulo diximus, et adverte, quam apposite hoc titulo Deus tamquam amplificator regni Davidici designetur. *Hebr. Et proficiebat David proficiens et crescens*, cf. 3,1.

c. Davidis palatium, uxores, filii recensentur 2 Reg. 5,11-16.

v. 11 « *Misit quoque Hiram, rex Tyri, nuntios ad David, et ligna cedrina, et artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes ; et aedificaverunt domum David* ». Nomen Hiram variis antiquitatis documentis genuinum demonstratur ; gessit illud etiam rex aliquis Tyri tempore Teglathphalasar, cf. III. Rawlinson 9. 51. Hiram, coaevus David, idem quoque amicum se exhibuit Salomoni 3 Reg. 5,1 (15) ; 2 Par. 2, 3 (2) ; et adhuc superstes erat regni Salomonis anno vigesimo quarto,

cf. 3 Reg. 6,1 ; 2 Par. 3,2 cum 3 Reg. 9,10 sqq. ; 2 Par. 8, 1. Secundum *Menandrum* VIII. 5. 3 vixit Hiram quinquaginta tribus, regnavit triginta quatuor annis : ergo regnavit decem ultimis Davidis annis. Sed haec Menandri asserta accurata vix esse possunt ; nam nonnisi regnante Hiram aedificavit domum cedrinam David, nonnisi hac aedificata cogitavit de templo exstruendo, cum Bethsabee adulterium commisit, Salomonem genuit : ergo Salomo adhuc infans regnum esset exorsus, quod admitti nequit.

v. 12 « *Et cognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, et quoniam exaltasset regnum eius* » — *LXX Syr.* h. l., uti ad 1 Par. 14, 2 omnes, *quod exaltatum esset reguum eius* — « *super* (*Hebr. propter*) *populum suum Israel* ».

Quaeritur hic versus sitne conclusio praecedentium, an introductio sequentium. Alterum non videtur ; nam cum ea, quae v. 13 asseritur, uxorum multiplicatio non sit actus Deo specialiter placens, non perspicitur, quomodo ad illam David impulsus fuerit ipsa divinae electionis conscientia (v. 12). Nolim tamen cum *Keil* Davidem peccati contra legem Deut. 17,17 de uxoribus regiis non multiplicandis statutam incusare. Ea lex prohibebat multas simul haberi uxores ; sed ex iis, quas David per quadraginta annos duxit, certe plures maturius obierunt, aliae serius successerunt. Est ergo noster versus conclusio ex praecedentibus derivata, non ex sola Hirami amicitia, nam haec nimis sero obtinuit, sed ex omnibus successive divinis beneficiis, ex quibus in dies David de propria electione certior fiebat.

v. 13 « *Accepit ergo David adhuc concubinas et uxores de Ierusalem* ; *postquam venerat de Hebron* ». *De Ierusalem* legunt h. l. omnes, dum 1. Par. 14, 3 *Hebr. Vulg.* LXX legunt *in Ierusalem*. Sine dubio ea matrimonia in Ierusalem celebrata sunt. Sed nequaquam necesse est corrigere *in* pro *de*. Mulieres illae sumptae sunt *de* Ierusalem, et ita connubia illa effecerunt, ut rex pluribus urbis familiis affinitate coniungeretur, atque ita ipsa urbs ei tanto magis esset devota. Additur autem *postquam venerat de Hebron* : haec fieri coeperunt, non post aedificatam v. 11 domum cedrinam, sed inde ab eo tempore, quo Hierosolymam Hebrone translata est sedes regni. Ergo in nostra narratione ordo rerum magis quam temporum servari videtur. « *Natique sunt David et alii filii et filiae* » ; v. 14 « *et haec nomina eorum, qui nati sunt ei in Ierusalem : Samua et Sobab et Nathan et Salomon* » ; — hi quatuor, filii Bethsabee 1 Par. 3, 5, ponuntur primo loco, non ideo necessario quod natu maximi fuerint, sed quod eorum mater honore reliquas uxores praecesserit. Enumerantur non ordine dignitatis, nisi forte dixeris, Salomonem tamquam dignissimum ultimo loco poni ; sed, cum ipse reapse

iunior regno potitus sit (1 Par. 22, 5), valde probabile fit, eam enumerationem institui ordine aetatis. Nathan utique ille est, qui Luc. 3, 31 inter proavos Messiae recensetur (cf. Zach. 13, 12), — v. 15 « *et Iebahar et Elisua et Nepheg* », v. 16. « *et Iaphia et Elisama et Elioda et Eliphaleth* ».

Nomen Elioda primitus erat Baaliada 1 Par. 14, 7 ; postea Baal eliminatum est. Inter Elisua et Nepheg inseruntur 1 Par. 3, 7 et 14, 5 sq. alter Eliphaleth et Noga ; et, cum 1 Par. 3, 8 dicantur filii David in Ierusalem non ex Bethsabee nati fuisse novem, videntur illa duo nomina genuina esse. Tamen h. l. ne a *Ios.* quidem lecta esse, infero ex eius enumeratione, in qua, loco alicuius nominis deperditi, post Αμνους inseritur Εμνους, quae duo nomina uni Samua respondent, et ita *undenarius* textus hebr. numerus servatur. Cur vero illa duo nomina alterius Eliphaleth et Nogae h. l. non recensentur ? Fortasse viri illi iuvenes obiere (*Kimchi*) : unde coniicit *Keil,* defuncti Eliphaleth nomen alii postmodum fratri, qui ultimus recensetur, inditum esse. — Porro *LXX* h. l., post enumerata quae in Hebr. exstant nomina, totam seriem, sed nonnihil defiguratam, tredecim nominum ex integro subnectit, qualis 1 Par. 3 et 14 legitur, mendose utique. — Ex filiis David duo nomen idem habent, atque vir quidam « ex triginta fortissimis David », sc. uterque Eliphaleth, cf. 23, 34. Samua idem habet nomen, atque unus e fratribus David (שמעא 1 Par. 20, 7 et keri 2 Reg. 21, 21 contra kethib שבעי ; 1 Reg. 16, 9 et 17, 13 שמה), cuius filius Ionathan fortibus accensetur. Sed est etiam 23, 11 Semma (שמה), filius Age de Arari, heros David ; et item 23, 25 Semma de Harodi et 23, 33 Semma de Orori, qui 1 Par. 11, 27 Sammoth appellatur ; qui tres forte unus et idem sunt. Tandem Nathan nomen gerit inclyti prophetae ; vel conferri potest Nathan de Soba (23, 36 ; cf. 1 Par. 11, 38), pater Igaal herois. Ex quibus probabile efficitur, Davidem aliquibus filiis nomina heroum vel prophetae honoris causa indidisse. Ceterum, quod ad 1 Reg. 16 notavimus, Davidem suos fratres studiose in obscuritate cohibuisse, idem quoad suos fratres observavit Salomon.

d. Excutitur iugum Philisthaeorum 2 Reg. 5,17-25.

Narratio stabiliti regni Davidici exigit, ut doceamur, quomodo David Hebraeos a iugo Philisthaeorum liberaverit. Prius hi soli regno septemtrionali infensi fuerant, tamquam continuationi regni Saul ; quando vero David illud quoque regnum obtinuit, in ipsum conversum est eorum odium. v. 17 « *Audierunt ergo Philisthiim, quod unxissent David in regem super Israel, et ascenderunt universi, ut quaererent David ; quod cum audisset David, descendit in praesidium* » ; v. 18 « *Philisthiim autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim* ».

ירד אל מצודה secundum contextum v. 9 intelligendum esset de arce Sion (*Mar.*) ; item secundum v. 18, ubi Philisthaei narrantur consedisse in valle Rephaim, i. e. haud procul a Sion. Sed in arcem Sion, locum late eminentem, nunquam *descenditur*. *Vatabl.* putat intelligi speluncam Odollam 1 Reg. 22, 1 : sed tum המצודה mutandum esset in המערה, et insuper nomen proprium certissime scribendum erat. *Keil* recurrit

ad locum munitum deserti Ziph, qui 1 Reg. 23,14. 19 ; 24, 1. 23 מְזוּדָה vel מְצָדָה vocatur ; sed desideratur nomen proprium. Difficultatem sensit auctor 1 Par. 14,8, rem circumscribens לפניהם ויצא « egressus est obviam eis » ; sane ipse minime ita intelligebat locum, ut David in arce Sion hostes exspectasset. Cur genuinam lectionem non statuamus fuisse ירד מן המצודה, descendit *de* arce ? Aut dicamus ignotam nobis aliquam munitionem intelligi. — Hic et v. 22 pro *diffusi sunt* legitur וינטשו, 1 Par. 14,9. 13 in loco alioquin verbotenus identico legitur ויפשטו. Verba tam quoad sensum quam quoad consonnantes fere coincidunt. Alterutrum tantum legebatur in documento, ex quo uterque s. auctor hausit narrationem. Nihil vetat, hic aut illic librariorum mendum concedi : sed num s. auctoribus fontes ita serviliter exscribendi erant, ut non licuerit pro una voce alteram, et sensu et forma fere eandem substituere ? — *Vallis Raphaim* positio clare describitur Ios. 15,8 ; 18,16. Vallis Ben Hinnom cingebat urbem Ierusalem a meridie, et partim ab occidente. Iam in extremitate occidentali eius vallis erat mons, qui idem erat in extremitate septentrionali vallis Raphaim. Videtur haec igitur fuisse ea, quae nunc nomine Wady el Werd notatur, dirigiturque a Ierusalem versus Bittir. Raphaim nomen erat gentis perantiquae, quae principales sedes occupaverat trans Iordanem, cuius tamen etiam disiecta membra cis Iordanem reperiebantur, Gen. 15,20 ; Ios. 17,15 ; 2 Reg. 21,16 sqq., 1 Par. 20,4 sqq. Iam ex ea vallis positione confirmatur, מְצוּדָה v. 17 intelligi arcem Sion : sane in hac eum *quaesituri* erant Philisthaei, et ad hanc recta ducit vallis Raphaim profectos a Gaza vel a Geth.

v. 19 « *Et consuluit David Dominum, dicens : Si ascendam ad Philisthiim ? et si dabis eos in manu mea ? Et dixit Dominus ad David : Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua* ». v. 20 « *Venit ergo David in Baal Pharasim, et percussit eos ibi, et dixit : Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquae. Propterea vocatum est nomen loci illius Baal Pharasim* ». Locus nomen fortasse iam habuit ante, sed nova nunc nomini significatio indita est. Situs utique erat ille locus in valle Raphaim ; cuius meminit Is. 28,21 sub appellatione montis Pharasim, exosum eliminans vocabulum Baal. Perperam vero *Clair* ex eodem textu infert, fuisse Baal Pharasim prope Gabaon ; de duobus diversis locis et eventibus loquitur propheta.

Hebr. sicut diruptio aquarum. Quod minus commode explicat *Sanct.* : sicut diffunduntur, liquefiunt aquae ; nam פרץ violentam perruptionem sonat. Ergo verius *Mar.* : « sicut aquae rumpunt obiecta, sic ipse hostes rupit ». Non ita placet explicatio a *Malv.* citata, passive expressionem intelligens : tam facile, ac rumpuntur aquae. Quid enim est aquas rumpi, et num id tam facile fit ?

v. 21 « *Et reliquerunt ibi sculptilia sua, quae tulit David et viri eius* ».

Nota assonantiam inter עזב et עצב, qua suadetur, nequaquam עצביהם ex אלהיהם 1 Par. 14,12 corruptum esse, uti vult *Wellh.* ; sed neque ibi supponenda est corruptio. Ecquid non potuit alteruter auctor, dum in fontibus *idola* legebat, scribere *deos*, aut vice versa ? — 1 Par. 14,12 *et dixit David, ut comburerent igne ; Chald.* etiam

h. l. *et combussit eos David et viri eius.* Fontes certe narrabant destructionem idolorum, quae Deut. 7, 5. 25 praecipitur, eandemque certe uterque auctor exprimere voluit. Sed ea reapse, licet indeterminatius, exprimitur verbis *tulit ea David,* haec eadem fortasse in fontibus legebantur, auctor vero 1 Par. rem clarius expressit.

Hac prima clade nondum penitus fracta erat Philisthaeorum potentia. Utrum alteram expeditionem brevi post primam susceperint, utrum fortasse illae pugnae, quae 21, 15 sqq. et 23, 9 sqq. narrantur, intercesserint, ignoramus. v. 22 « *Et addiderunt adhuc Philisthiim, ut ascenderent, et diffusi sunt in valle Raphaim* ». v. 23 « *Consuluit autem David Dominum : Si ascendam contra Philisthaeos, et tradas eos in manus meas?* » Ad verba *Si ascendam etc.* notat *Verc. :* « Haec verba ex superiori v. 19 mutuata videntur » ; desunt enim apud reliquos omnes tam h. l. quam 1 Par. 14, 14. « *Qui respondit : Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso* » i. e. ab ante, e regione « *pyrorum* », quarum densae frondes adventantium copiarum aspectum hostibus facile poterant eripere (*De Muis*).

Contra eos : לקראתם legebant *Vulg. LXX*, quod excidit ex *Hebr.* ; advertit enim *Wellh.*, eam lectionem oppositione sequentis *post tergum eorum* (אל אחריהם) confirmari. Pro qua *LXX* h. l., uti 1 Par. 14, 14 omnes, videntur legisse מועליהם, *de super ipsis*, i. e. ex loco superiore : aliqui codices hebr. מאחריהם. — *Pyros* vertunt *Vulg.*, et *LXX* ad 1 Par. 14, 14, moros *Rabbini,* arbores *Chald.* ; *Syr.* retinet vocem hebr. בכאים ; *Ges., Winer* non improbabiliter censent intelligi arbustum, quod apud Arabes « baka » audit, simile balsamo.

v. 24 « *Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis proelium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim* ». *Tunc inibis proelium (Vulg. LXX)* potius correspondet textui 1 Par. 14, 15 *egredieris ad proelium. Hebr.* תחרץ, quod *Chald. Syr.* vertunt *confortaberis* ; melius fortasse *propera*, cf. *Ges.* et significationem radicis arabicae. — Sed quid est illa *vox gradationis* (*Vulg. Syr.*)? צעד motionem significat, cf. Gen. 49, 22 ; *Chald. sonitus, Syr.* 1 Par. 14, 15 *strepitus, LXX* συσσεισμός, συγκλεισμός. Videtur intelligi illa commotio et consequens sonitus, quem ventus in cacuminibus arborum excitat. Ita *Malv.*, subiiciens : « Prae quo (ramorum strepitu) Philisthaei non poterunt percipere strepitum exercitus Davidis adventantis ». Alluditur ad factum omnino naturale ; neque necesse est, illud h. l. accipere ut supernaturale signum adfuturi divini auxilii, sed simpliciter tamquam signum temporis, quo sit ad pugnam properandum : quo sc. tempore, sive matutino sive vespertino, aura pervadit arbores, eo prosiliendum ad certamen. Miraculum affinxit *Ios.* affirmans, « silvam nullo perflante vento motum iri ». v. 25 « *Fecit itaque David, sicut praeceperat ei Dominus, et percussit Philisthiim de Gabaa, usque*

dum venias Gezer ». Gezer, inter Bethhoron et mare sita Ios. 16, 3, usque ad Salomonis tempora 1 Par. 20, 4 a Philisthaeis retenta ; cuius reliquias *Ganneau* 1873 inter Ecron et el Kulab reperit, in loco cui nomen Tell el Djezer. Pro Gabaa *LXX* h. l., et ad 1 Par. 14, 16 omnes, legunt Gabaon. Si legas Gabaa, poteris intelligere Gabaam Saulis ; sed etiam, et rectius, cum *Sa* Gabaam Iudae (Ios. 15, 57), sitam, uti videtur, in loco qui nunc Ieba appellatur, medio fere itinere inter Bethlehem et Thamnam (nunc Tibnah), sed nonnihil versus meridiem. Thamnam iam Samsonis tempore (Iud. 14, 1. 5) Philisthaeorum erat. Versus noster enuntiare videtur, non directionem, qua Philisthaei ex valle Raphaim aufugerint, sed novos limites, quibus David Philisthaeorum imperium circumscripserit : inde ab illa victoria, Davidis regnum usque ad lineam a Gabaa ad Gezer ductam protendebatur.

e. David arcam in Sion traducit 2 Reg. 6, 1-23.

ARG. — Regno firmiter stabilito et ab hostium incursionibus defenso, nihil pius rex antiquius habuit, quam ut arcam, oblivioni quadamtenus in Cariathiarim mandatam, reduceret eique in regni sede Sione permanentem, quam Moses praedixerat, sedem assignaret. Sed Oza, quod arcam in itinere irreverenter attigisset, percusso, arcam primum in domo Obededom collocavit, aliquanto post inde solemniter Sionem transferendam. Davidem ante arcam saltantem despicit Michol, sed iustas superbiae poenas dat. Pulchre *Rhab.* : « In historia beati regis et prophetae David, qui arcam Dei adduxisse narratur, humilitas approbata, superbia damnata, et temeritas vindicata monstratur ». Volebat autem David arcam Hierosolymam transferre, « ut civitatem illam, quam Israelitici imperii caput esse volebat, illo pretioso nobilitaret ornamento, et stabili propugnaculo muniret » (*Sanct.*).

Cap. VI v. 1 « *Congregavit autem rursum David omnes electos ex Israel triginta millia* ».

LXX 70,000, cf. 1 Reg. 11, 8. — בָּחוּר certe significat *electus*, unde secundario derivatur significatio *iuvenis* (cf. Deut. 32, 25 etc.), ad quam tamen h. l. cum *LXX* non est necesse recurrere. — *Rursum* videtur referri ad 5, 6 ; cf. 1 Par. 11, 6, ubi narratur Ioab in expugnatione Sionis factus esse dux, utique super Israel, nam dux Iuda iam erat ; ergo congregatus ib. aderat Israel. *Movers* refert ad 5, 1. 3, obiiciente *Then.*, ibi non Davidem populum, sed ipsum se populum congregasse, ut Davidem regem salutaret ; quae tamen Thenii exceptio non est omnino peremptoria. Fortasse, ex mente s. scriptoris, vox *rursum* cum ad 5, 6, tum ad 5, 1. 3 refertur. — Dubitat *Then.*, Davidem cum 30,000 arcam accersisse ; sed factum confirmat 1 Par. 13, 5, et viri illi tam honoris quam protectionis causa adhibebantur. Thenii versio : « Et

augmentavit David electorum numerum, ut essent 30 000 », et textui repugnat (quomodo enim potest numerus *omnium* electorum augmentari ?), et versionibus, et Iudaeorum traditioni, a v. 1 et non a v. 2 novam haphtaram incipientium : illa enim aucti exercitus mentio potius ad priorem expeditionum bellicarum narrationem pertinebat.

v. 2 «*Surrexitque David et abiit et universus populus, qui erat cum eo de viris Iuda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam* ».

Ut adducerent : omnes textus, excepta Vulg., addunt *inde* ; id igitur pro genuino recipiendum. Verum hoc adverbium locale supponit praecedentem aliquam loci indicationem, quae in textu iam non exstat. Adsunt tamen vestigia. Nam LXX habent *de principibus Iuda, in ascensione*, i. e. בעלה ; Syr. *de viris Iuda in Gabaa* seu in colle, quod item in בעלה resolvitur. Aliunde Ios. 15, 9 docemur, Cariathiarim, ubi arca reapse servabatur, nomen fuisse בעל, Baala ; et in loco secus verbotenus identico 1 Par. 13, 6 habetur : « Et ascendit David et omnis vir Israel *Baalam* בעלתה, i. e. Cariathiarim, quae pertinet ad Iuda ». Hinc vix dubitare licet pro מבעלי יהודה primitus lectum esse בעל יהודה, fortasse praefixo ב vel ל vel אל. Imo, quod paucis post verbis habetur et omnino abundat secundo repetitum שם, fortasse vestigium est pronominis אשר (cf. 1 Par. 13, 6), ut lectio fuerit בעלה אשר ליהודה. Hanc restitutionem, quoad substantiam, iam habent *Houb.*, *Vatabl.*, *Calm.* — *Super quam invocatum est etc* ; eundem in fontibus textum legebat 1 Par., quem ita reddidit : « arcam Domini Dei sedentis super Cherubim, ubi invocatum est nomen eius ». Nostrum *super eam* utique idem est atque *super quam*. Nomen Domini super arcam, intuitu arcae invocatur, vel potius vocatur, quatenus arca ab eius nomine nomen ipsa nanciscitur « arca Domini » ; hunc esse sensum expressionis ostendit Gen. 48, 16 ; 2 Par. 7, 14 collatum cum Num. 6, 27 ; Is. 4, 1 etc.

«*Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum* », uti fecerant Philisthaei 1 Reg. 6, 7, «*tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa*»—verte *in colle*, uti 1 Reg. 7, 1 — ; « *Oza autem et Ahio, filii Abinadab, minabant plaustrum novum* ». *Qui erat in Gabaa* : verius *quae*, quod quidem pauci codices habent (*Verc.*), describitur enim domus situs, cf. 1 Reg. 7, 1 ; de Abinadab ipso nihil tota haec narratio refert, ita ut coniiciat *Serar.*, eum et Eleazarum filium tum mortuum fuisse.

Ozae nomen, עזא vel עזה, non est infrequens : tres eius nominis viros novimus 1 Par. 6, 29 (14) ; 8, 7 ; 1 Esdr. 2, 49, et ab eius nominis viro fortasse appellatus est hortus 4 Reg. 21, 18. Alios quoque Ahio novimus duos, 1 Par. 8, 14 unum, et 8, 31 et 9, 37 alterum. Vertunt quidem Ahio *LXX* h. l. et 1 Par. 13, et *Syr.* 1 Par. 13 *fratres eius* : et verbum hebr. v. 4 est in singulari, *Ahio praecedebat*. *Vulg.* 1 Par. 13, 7 vertit *frater eius*, sed melius nomen proprium retinetur, cum illud etiam alias recurrat.

v. 4 « *Cumque tulissent eam de domo Abinadab, qui* » (quae) « *erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio praecedebat arcam* ». Pro *custodiens Hebr. Chald* habent *cum* עם, quod a contextu abhorret. Quam enim

Verc. suggerit explicationem : « qui erat in Gabaa cum arca Dei », primum ponenda erant haec verba v. 3 ; dein superflua sunt, cum non potuerit Abinadab non esse cum arca, quamdiu illa in domo eius erat ; tandem potius arca dicenda erat esse cum Abinadab, ipsius enim in domo servabatur. *LXX* sola verba habent *Ahio praecedebat arcam,* reliqua parte versus omissa. Reapse videtur subesse alicuius librarii error, qui cum alterum *plaustrum* v. 3 scripsisset, ad primum inadvertenter resiliens, iteraverit voces חדשה וישאהו מבית אבינדב אשר בגבעה. Genuinus ergo textus sic erat : Minabant plaustrum cum arca Dei, et Ahio praecedebat arcam. Imo, cum ita quoque עם a communi usu abhorreat, suggerit *Houb.* excidisse vocem ועזא, ut textus fuerit : Minabant plaustrum, et Oza (ibat) cum arca Dei, Ahio vero praecedebat arcam. Quae quidem textus restitutio nulla lectione firmatur.—v. 5 « *David autem et omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, et citharis, et lyris, et tympanis, et sistris, et cymbalis* ». *Ludebant*, cf. 2, 14 ; 1 Reg. 18, 7 ; *Chald. laudabant* ; unica voce totum sacrum iubilum exprimitur.

In omnibus lignis fabrefactis : עצי ברושים, *in lignis cypressinis*, quod omnes h. l. versiones legebant ; unde *Ges.* putat intelligi instrumenta musica ex eiusmodi ligno confecta. Sed cum 1 Par. 13, 8 iidem fere consonantes legantur, sensu tamen longe aptiori, cumque evidens sit, voluisse h. l. nostrum auctorem eundem ipsum textum reproducere, quem auctor 1 Par. reproduxit, hinc uti ibi legatur עז ובשירים, *omnibus viribus, et in canticis (Lud. Capell.).* Ita primitus lectum esse confirmat lectio *LXX* ἐν ἰσχύι καὶ ἐν ᾠδαῖς. — *Et citharis :* כנרות cf. 1 Reg. 10, 5 ; 16, 16. — *Et lyris :* נבלים, cf. 1 Reg. 10, 5, quod instrumentum *Vulg.* modo vertit *nablum* (1 Par. 15, 16. 20. 28 ; 1 Mach. 13, 51), modo *psalterium* (1 Par. 13, 8 ; 16, 5 ; 25, 1. 6 ; 1 Reg. 10, 5 etc.), modo *lyram* (3 Reg. 10, 12 ; Is. 5, 12 ; Am. 5, 23). Sed *lyra* aliud quandoque instrumentum significat, cum 1 Par. 15, 16 cum *nablis*, 16, 5 cum *psalteriis* copuletur. — *Et tympanis :* תפים unde *hispan.* « adufe », cf. 1 Reg. 10, 5 ; 18, 6. — *Et sistris :* מנענעים, a נוע *quatere*, sicut σεῖστρον a σείω (*Ges.*, *Fürst*). *Chald.* רביעין (cf. *Syr.*) significat « instrumenta musica, e tenuibus quadratisque laminis conflata, quae una cum campanulis nominantur » (*Levy*, Chald. Woerterbuch). Vox *sistrum* in Vulg. secus solum usuvenit 1 Reg. 18, 6, ubi correspondet hebr. שלשים. Utraque vox hebr. est ἅπαξ λεγόμενον. 1 Par. 13, 8 pro מנענעים habetur חצוצרות, *tubae* (cf. Os. 5, 8 ; 4 Reg. 11, 14), sed id non probat voces esse synonymas. — *Et cymbalis :* צלצלים, quod Ps. 150, 5 cum תריע copulatur, quod penetrantem sonum exprimit et secus de tubis (Lev. 25, 9 ; Num. 31, 6) praedicatur. 1 Par. 13, 8 habetur מצלתים, cf. 2 Esdr. 12, 27 ; 1 Esdr. 3, 10, quod ultimo loco cum solis tubis psalmorum cantum comitatur. Ad haec instrumenta notat *Ios.* (Antiq. VII. 12. 3) : « *Cinyra*, decem intensa chordis, plectro percutitur ; *nablum*, duodecim sonos habens, digitis pulsatur ; *cymbala* erant aerea, lata et magna ».

v. 6 « *Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, et tenuit eam, quoniam calcitrabant boves et declinaverunt eam* ». Nachon non est adiectivum *firmam, stabilitam* (*Chald.*

Syr.), secus requireretur articulus ; sed est nomen proprium. 1 Par. 13, 9 כידן.—Verba *et declinaverunt eam* non videntur esse S. Hieronymi auctoris (*Verc.*). Ea tamen *Hebr.* כי שמטו הבקר felicius reddunt, quam verba *quoniam calcitrabant boves* : שמט enim habet significationem mittendi, ergo pellendi, declinandi, dum significatio calcitrandi demonstrari nequit. 1 Par. 13, 9 *Vulg.* vertit : « bos quippe lasciviens paululum inclinaverat eam ». v. 7 « *Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritate* ; *qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei* ».

על השל (*super temeritate*) est ἅπαξ λεγόμενον, cui *Vulg. Chald.* significationem tribuunt, quae in chald. et syr. idiomate voci competit, sed respectu erroris *inadvertenter* admissi, in Hebr. autem demonstrari nequit. *Syr.* inserit simpliciter verba, quae in loco parallelo 1 Par. 13, 10 habentur : על אשר שלח ידו על הארון, « eo quod tetigisset arcam ». Verum, quominus cum *Houb.* על השל accipiamus tamquam eius sententiae defiguratae residuum, prohibet supplendorum multitudo. Melius cum *Ew.* recurrimus ad chald. בן שוליא, *ex improviso*.

Cur Oza percussus fuerit, audi *Theodoret.* : « Non luit poenas propter temeritatem, inclinato enim plaustro manum applicare oportebat : sed alterius delicti luit poenas. Nam cum Deus iussisset, ut sacerdotes arcam humeris ferrent, praeter legem eam vexerunt plaustro. Hoc autem eos fefellit, quod ea sic emissa a Philisthaeis nemini nocuisset. Oportuerat autem attendere, neque legem novisse Philisthaeos, neque sacerdotes, qui eam secundum legem portarent, praesto fuisse ». Ubi recole, quod ad 1 Reg. 7, 1 monuimus, nulla ratione probari posse, Oza fuisse levitam, immo probabilius eum fuisse Chananaeum, utpote ex Cariathiarim oriundum. Quod autem obiicit *Sanct.*, ob crimen arcae non humeris sublatae sed plaustro vectae, non unum sed plurimos fuisse plectendos, Davidem sc. et sacerdotes, qui in eum modum vehendae arcae conspirassent, momenti non est. Num crimini vertemus divinae providentiae unius pro multis inflictam punitionem ? annon potuit Oza sacrilegi consilii auctor fuisse ? num corporis mors necessario simul aeternam damnationem significat ? Ceterum, cum dicatur 1 Par. 13, 10 interemptus esse Oza, « eo quod tetigisset arcam », poteris etiam cum *Duguet* affirmare, ipsum tactum nefas fuisse, non in se, nam ex adiuncto inclinatae arcae erat fere necessarius, sed in causa arcae humeris non sublatae. Quam irreverentiam tamdiu patienter tulit Deus, quoad ea irreverenti contactu, utut is in se necessarius esset, cumularetur.

v. 8 « *Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam ; et vocatum est nomen loci illius Percussio Ozae usque in diem hanc* ». Cf. appellationem 5, 20. — *Hebr.* eandem h. l., quam v. 7, vocem habet ; unde *LXX Chald. Syr.* verterunt *iratus est*. Notandum חרה a LXX

quandoque verti λυπεῖσθαι (cf. Gen. 4,5 ; Ion. 4,4), et etiam synonymum זעף significare cum *irasci* (2 Par. 26,19), tum *tristari* (Gen. 40,6). v. 9 « *Et extimuit David Dominum in die illa, dicens : Quomodo ingredietur ad me arca Domini?* » Praegnantius *Syr.* h.l., et ad 1 Par. 13,12 omnes : *Quomodo introducam?* Qui sat purus ero, ideoque illaesus potero prope ad arcam accedere? Vel cum *Malv.* : Quomodo introducam arcam in Sion, cum hoc portento Deus declaret, non esse id suae voluntatis? Sed num David non ante exquisierat Dei voluntatem per prophetas? v. 10 « *Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David, sed divertit eam in domum Obededom Gethaei* ». In eam prae aliis domum delata esse videtur arca ideo, quod omnium proxima esset ei loco, ubi percussus est Oza ; fortasse etiam ut, si quae praeterea ex arcae praesentia accideret calamitas, ea non Israelitam sed alienigenam affligeret, cf. v. 11.

Hic et 1 Par. *LXX* virum vocant Obed Adar : id aut errori tribuendum ; aut, si genuinum admittatur, dicendum, sic nomen idoli Adar ex nominibus propriis in s. scriptura eliminari, sicuti alias nomen Baal. *Ios.* eundem hunc Obededom videtur habere, atque levitam et cantorem, filium Iduthun, 1 Par. 15,18. 21. 24 ; 16,5. 38 ; 26,4. 8. 15 ; hincque *Vatabl.* fingit peregrinatum illum esse inter Gethaeos, ideoque dictum Gethaeum. Gratuita suppositio. Nomen Obededom haud infrequens erat : alter levita ita vocatur 1 Par. 16,38, thesaurarius regis Amasiae 2 Par. 25,24. — Ubi fuerit domus Obededom, definire certo nequimus. Si tamen advertas, semper agi de translatione arcae in civitatem David, i. e. arcem Sion (v. 10. 12. 16), et translationem inde factam esse, uti narratio suadet, unico die, non improbabiliter asseres, domum Obededom fuisse aut in ipsa urbe Ierusalem, aut certe haud procul ab ea. — Gethaeus dicebatur Obededom, sive ab urbe Philisthaica Geth, sive a Gethaim seu Geth Remmon (*Malv.*, cf. dicta ad 4,3).

v. 11 « *Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethaei tribus mensibus, et benedixit Dominus Obededom et omnem domum eius* » ; puta ea gregum multiplicatione et segetum ubertate, quae trimestri spatio concedi potuit. v. 12 « *Nuntiatumque est regi David, quod benedixisset Dominus Obededom et omnia eius propter arcam Dei. Abiit ergo David* » — 1 Par. 15,25 addit : « et omnes maiores natu Israel et tribuni » — « *et adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio* ». Quae sequuntur, ex *Itala* in *Vulg.* transiere (*Verc.*), neque sunt nisi altera v. 13 translatio : « *Et erant cum David septem chori et victima vituli* ». Ubi *LXX* aliquid plus habent : *Et erant cum eo portantes arcam septem chori et victima, vitulus et agni.* Iam si haec in hebr. retrovertas et cum hebr. v. 13 compares, patet identitas :

v. 13 ויהי כי צעדו נשאי ארון ששא צעדים ויזבח שור ו מרי א

v. 12 ויהי [עם דוד] נשאי ארון ש[בע] צעדים ו זבח שור ו[כ]רי[ם]

Ex מריא *vitulo saginato* facile factum est כרים *agni*. Ceterum, priorem vocem solum vitulum saginatum, et non etiam alia animalia pin-

guia, v. g. ovem, significare, extra controversiam non est; dubitavit *Tolet.*, et post ipsum *Ges.* (Thes. p. 816). — v. 13 « *Cumque transcendissent, qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabat bovem et arietem* ».

Versionem LXX iam explicavimus; reliquae omnes concordant cum Hebr. *Then.* autumat, Hebr. edicere post *senos* passus habitum esse sacrificium : « Quomodo », exclamat, « sacrificia in via immolari potuere? Nonne haec processio taedii plena esse debuit, prae omnibus quae unquam locum habuere? Nonne via in sanguinis torrentem mutari debuit? » Respondet *Keil*, iter certe duabus leucis minus fuisse, quibus distet Cariathiarim a Ierusalem; etiamsi igitur senis passibus sacrificia assignentur, suffecturas fuisse aliquas hecatombas; nec affirmari, ad singula sacrificia processionem substitisse. Sed, quod praecipuum est, textus non affirmat post *senos*, sed post *sex* passus habitum esse sacrificium; et intelligi sex primos passus tantum, patet ex tempore verborum (*Wellh.*). Utrum vero passus fuerint sex an septem, quem numerum LXX h. l. habent et omnes 1 Par. 15, 26, ambigitur; fortasse numerus septenarius tamquam sacrior praeferendus. David, uti ex 1 Par. 15 patet, in hac arcae translatione legis praescripta accuratius, quam pridem, observavit. Arcam non curru vexit more Philisthaeorum (cf. 1 Reg. 6, 7), neque in domum privatam divertit, sed prius tabernaculo arcae praeparato (v. 1), per levitas ad id electos (v. 2) et consecratos (v. 12) humeris portari iussit (v. 15). Ubi deinde arca, nemine laeso, se portari passa est, post septem primos gressus substitit processio et gratiarum actionis victimam immolavit.

1 Par. 15, 26 legitur : « Cumque adiuvisset Deus levitas, qui portabant arcam foederis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes ». Quibus verbis putat Keil exprimi sacrificium alterum in fine itineris oblatum. Sed, cum ea verba reperiantur in loco nostro versui omnino correspondente, cum narratio v. 14-16 parallela sit narrationi 1 Par. 15, 27-29, decursum itineris, non finem describens, cum illa expressio « cumque adiuvisset Deus levitas » sit obscurior, textus vero hebraei valde affines, non improbabiliter defenditur, textum 1 Par. 15, 26 esse depravationem eius textus, quem 2 Reg. 6, 13 correcte exhibet. Ubi nota, Par. consuevisse textui originali identidem aliqua verba explicationis gratia addere. Sic ad « qui portabant » addidit « levitas Dei », pro « arcam Domini » scripsit « arcam foederis Domini ». Iam voces « levitas Dei », transpositae in « Deus levitas », confusioni ansam praebuerunt, cum iam « Deus » videretur esse subiectum phraseos. Porro ויזבח aliquantulum suo loco migravit, et pro ברים, quod ipsum ex מרוא corruptum ostendimus, positum est synonymum אילים. Quibus attentis iam comparentur textus, et eorum substantialis identitas patefiet :

2 Reg. 6, 13	ויהי כיצעדי נשאי ארון יהוה ויזבח
1 Par. 15, 26	ויהי [בעזר] האלהים את הלוים נשאי ארון ברית יהוה ויזבח [ו]
2 Reg. 6, 13	ששא צעדים שור ומריא
1 Par. 15, 26	שבעה פרים]ושבעה[אילים

v. 14 « *Et David saltabat totis viribus ante Dominum; porro David erat accinctus ephod lineo* ». De hac veste cf. dicta ad 1 Reg. 2, 18. Maiorem etiam in hoc reverentiam David ostendit, quod in priori processione v. 5 fortasse neglexerat. Ex quibus omnibus colligitur, caede Ozae non tam individui hominis, quam regis totiusque populi neglectum in sacris admissum esse punitum. Vestes sacrae nonnihil accuratius describuntur 1 Par. 15, 27.

כרר (*Vulg. saltabat*), ἅπαξ λεγόμενον. Ei 1 Par. 15, 29 correspondere רקד, falso astruunt *Ges. Fürst*, cum revera correspondeat שחק (cf. 2, 14), cuius significatio est *iocari*, *ludere* : ex nullo textu clare evinci potest saltandi significatio. *Chald.* שבח, uti v. 5, *laudabat* ; idem *Syr.* ; *LXX Et David pulsabat in organis modulatis coram Domino*, sc. pro בכל עד legentes בכל עץ, uti iam v. 5 ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις habent, quod ibi abundat tamquam textus versio corrupta et repetita. Iam saltandi significatio (*Vulg.*), licet ex etymo et versionibus erui nequeat, re tamen vera est, quia musicam sacram corporis motus harmonicus comitabatur ; corroboratur v. 16, ubi habetur ἅπαξ λεγόμενον מפזז (*Vulg. subsilientem*), cuius loco 1 Par. 15, 29 est רקד, cui voci ex Ps. 28 (29), 6 ; 113 (114), 4. 6 significatio exsultandi, saltandi certo competit, et concordant versiones.

v. 15 « *Et David et omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini in iubilo et in clangore buccinae* ». Alia instrumenta addit 1 Par. 15, 28. תרועה, *Chald.* יבבא, item *Syr.*, dicitur de iubilo fragore instrumentorum musicorum expresso. — v. 16 « *Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul, prospiciens* », *Hebr. protendens se*, « *per fenestram, vidit regem David subsilientem atque saltantem coram Domino, et despexit eum in corde suo* ». Michol filia erat regis, qui de arca tot annis in Cariathiarim relegata vix unquam videtur fuisse sollicitus. v. 17 « *Et introduxerunt arcam Domini, et imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David, et obtulit David holocausta et pacifica coram Domino* ». v. 18 « *Cumque complesset offerens holocausta et pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum* ». Talis benedictio fusius describitur 3 Reg. 8, 55. v. 19 « *Et partitus est universae multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulae carnis unam, et similam frixam oleo; et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam* ».

Collyridam הלה, 1 Par. 16, 3 ככר, rotundum quid, ergo torta, placenta. — *Assaturam bubulae carnis* אשפר, ἅπαξ λεγόμενον ; eodem modo vertunt *Chald. Syr.* Quodsi ea versio reapse orta sit ex discerpta voce in אש *ignis* et פר *bos*, ergo caro bovina assata, sane versio ridicula est : sed num non aliquam significationis vocis traditionem habuerunt fortasse ii, a quibus ea vertendi ratio profecta est ? Derivationis a שפר *metiri* (ergo portio) iam meminit *Malv.* ; sed quaeritur maxime, cuius rei portio intelligatur. *LXX* ἐσχαρίτην, aliquod genus polentae, quam tamen vocem *Then.* putat non

esse aliud, nisi diversam lectionem אשכר, terminatione graeca affixa ; 1 Par. 16, 3 ἀμορίτην, *Aq. Symm.* ἀμυρίτην, quae est mollis placenta. Ubi tandem adverte, facile potuisse ἐσχαρίτην ex ἀμυρίτην corruptione oriri, vel vice versa. Omnino designatur cibus aliquis solidus, nam potus vix medius inter duo ciborum genera poneretur. — *Similam frixam oleo.* Quid sit אששה ex Os. 3, 1 colligitur : est sc. aliquid pertinens ad uvam, ergo fortasse uva passa. Alii lagenam interpretati sunt, humanitatem magis quam lexicon secuti.

v. 20 « *Reversusque est David, ut benediceret domui suae* », sicut v. 18 benedixerat populo, « *et egressa Michol, filia Saul, in occursum David, ait : Quam gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris* ». Minime dubitandum est, Michol rem gestam grosse exaggerare. Tam ephod quam stola videntur breviora fuisse ordinariis vestibus regiis, unde iis indui, est nudari quadamtenus. Fortasse verba Michol simul manifestant contemptum status levitici, cuius eae vestes propriae erant. Aut dicas cum *Est.*, nudatione exprimi ipsam regii ornatus abdicationem. Produnt utique verba mulieris animum elatum et acerbum, quo se rege patre progenitam omnibus reputabat superiorem ; maiestatis exhibitioni plus aequo tribuebat. Qui animus procul dubio continuarum eam inter aliasque regias uxores rixarum ansam praebebat : inde non pie tantum, sed prudenter etiam egit David, eam hac occasione increpando et relegando.

Hebr. Quomodo nudando se nudat unus de vacuis. ריק vacuum significat, et quidem omne genus vacuitatis : esuriem, paupertatem, nuditatem, vanitatem. *LXX unus de saltatoribus.* Intelligitur infimae plebis homo, qui longissime absit a regia maiestate. — נגלות varie explicant grammatici, sive ut sit rarior forma infinitivi absoluti (*Ges.*), aut eiusdem (גגלה) transformatio ad instar praecedentis infinitivi constructi (*Ew.*), aut mendum librarii (*Olshausen*).

v. 21 « *Dixitque David ad Michol : Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, et quam omnem domum eius, et praecepit mihi, ut essem dux super populum Domini, in Israel* », v. 22 « *et ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis, et cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo* ». Accipe ultima haec eodem, quo praecedentia, sensu : Propter Dominum etiam plus quam antehac illius ironicae *gloriae* subire paratus sum, quam mihi v. 20 obiecisti. Quae expositio sua se simplicitate commendat. Aliter *Then.* : Bona ancillarum opinio mihi reparatio erit tuae despectionis ; ast vix decet regem tanti facere bonam ancillarum opinionem. *Keil* : Haec agens cum illis ancillis coram Domino glorificabor ; verum ancillarum glorificatio nullatenus est in quaestione. *Ew.*, *Wellh.*, quaestionem interpretantur indignationis plenam : Tune me vis ancillarum existimatio-

nem ambire! — Pulchre *Paterius*. : « Ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem : pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino semetipsum vicit ».

LXX v. 21 inserunt : *Ante Dominum lusi, benedictus Dominus!* quae verba utique constructionem planam reddunt, et facile potuerunt excidere, scriba ab uno יהוה ad alterum transiliente. Aliunde anacoluthum ושחקתי neque in se valde durum est, et ob longitudinem membri antecedentis facile excusatur. Ante Dominum, qui (vel : quia) etc, ideo lusi. — Pro ונקלתי, *et levis, vacuus, despectus ero* (*Vulg. vilior fiam*), *LXX* legebant וגגליתי, *et discooperiar*. Prior lectio respicit ad « scurros » seu « vacuos », altera ad « nudationem », cf. v. 20. Utraque sensum accurate reddit : Ante Dominum et propter Dominum illud, quod mihi obiicis, probrum subibo, etiam plus quam feci hucusque. — *Humilis* i. e. abiectus. David loquitur ex mente Michol, quae supposuerat, debuisse eum intelligere *in oculis suis*, ipsum se abiecisse ad instar scurrorum. Subintellige : Et ero abiectus etiam plus, quam fui. *LXX* legunt *in oculis tuis*, qui sensus in idem recidit, imo nonnihil est praegnantior : Nihil curo tuam de me opinionem, dummodo placeam Domino.

v. 23 « *Igitur Michol, filiae Saul, non est natus filius usque in diem mortis suae* ». Sensus copulae hebr. certe is est, effectu eorum, quae modo narrabantur, caruisse Michol filiis ; potestque intelligi, vel ut Deus ei sterilitatem inflixerit (*Malv.*), vel ut David in posterum eius coitu abstinuerit. Praestat fortasse utrumque coniungere, ut David ab uxore eousque sterili in posterum abstinuerit. Idque valde conveniens erat, postquam David v. 21 uxori publice exprobrasset, patrem eius totamque domum a Deo esse reiectam. Quare, quae occasione ingressae arcae locum habuere, causa fuere non quidem completa et unica, sed partialis et tempore ultima, cur Michol liberis orbata permanserit. Suos in eo facto sapientissimos fines Dei providentia consequebatur, « ut nullus regnaret ex eo semine ; erat enim verisimile, populum fore praelaturum eum, qui utrimque fulgeret claritate generis » (*Theodoret.*). — Hic versus merito illis obiicitur, qui ex Matth. 1, 25 impugnant B. V. post partum virginitatem, cf. *Sanct.*

Hos versus 20-23 auctor 1 Par. omisit, quod ad privatam Davidis historiam pertinerent, et ad ruinam domus Saul, quae duo ille sibi auctor describenda nequaquam proposuerat ; novit tamen factum, quod 1 Par. 15, 29 exinde elucet, quod Davidem a Michole despectum esse referat.

2) Domus Davidi aedificanda promittitur 2 Reg. 7,1-29.

ARG. — Duplici documento haec promissio enarratur : primum v. 1-17 ipse Nathan inducitur eam promissionem Davidi annuntians, secundo v. 18-29 promissionem sibi factam David oratione ad Deum directa celebrat. Pronuntiat igitur Deus per Nathan, nulli antehac demandatam fuis-

se domus divinae aedificationem ; recensentur favores Davidi collati ; promittitur domus eidem a Deo aeternum duratura aedificanda, atque domus Deo a Davidis semine vicissim exstruenda. David v. 18-24 primum gratias agit acceptae post tot beneficia tantae promissionis, quibus Israel prae omnibus nationibus honoretur ; v. 25-29 Deo, ut cito promissa exsecutioni mandet, supplicatur.

Cap. VII v. 1 « *Factum est autem, cum sedisset rex in domo sua, et Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis* », v. 2 « *dixit ad Nathan prophetam : Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium?* ». Nathan in munere prophetico censendus est iunior fuisse quam Gad, qui et prior commemoratur 1 Reg. 22, 5, et inter historiographos regni Salomonis 2 Par. 9, 29 non recensetur. Unicus prophetarum, qui Samuelem inter et Eliam vixere, Eccli. 47, 1 encomio honoratur.

Cum sedisset etc., cum sedem stabilem fixisset, expeditionibus bellicis iam minus interruptam, in domo cedrina ope Hirami 5, 11 aedificata. — Pro הניח לו *dedisset ei requiem*, legebant *LXX* הנחילו *haereditare fecisset eum ;* 1 Par. 17, 1 omittitur totum incisum : eo apte describitur tempus, quo Davidem idea parandae pro arca *sedis* et *requiei* primum perculerit. — *Pellium* : יריעה *cortina*, a ירע *agitare*, bene exprimit oppositionem inter solidum Davidis et provisorium arcae habitaculum.

v. 3 « *Dixitque Nathan ad regem : Omne, quod est in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum est* ». Propheta erat consiliarius regis, neque tamen continuo prophetico afflatu consilia edebat, cf. S. *Thom.* II. II. q. 171 a. 3. Deus, « dum prophetiae spiritum aliquando dat, et aliquando subtrahit, prophetantium mentes et elevat in celsitudine, et custodit in humilitate » (*Rhab.*). « *Homo*, quod humana primum ratio dictabat, exposuit ; idem *propheta*, divino afflatus spiritu, quod ante laudaverat, damnavit » (*Ephraem* I. 403, apud Verc.). Durius *Angelom.* aliique prophetam carpunt : « Erravit de sensu suo praesumens, prius enim Deum interrogare debuit ». Prudenter *Calm.* : « Forte etiam David », inquit, « virum consulebat, non prophetam ». v. 4 « *Factum est autem in illa nocte, et ecce sermo Domini ad Nathan, dicens* » : v. 5 « *Vade et loquere ad servum meum David : Haec dicit Dominus : Numquid tu aedificabis mihi domum ad habitandum?* » « Et primum quidem eum consolatus est appellatione servi, est autem summus honor nomen gerere servi Dei » (*Theodoret.*). *Syr.* h. l., et ad 1 Par. 17, 4 omnes, loco interrogationis legunt negationem : « Non tu aedificabis etc. ». Sensus idem est, nam factum in quaestionem vocare tantum est, atque animum ad illud negandum paratum manifestare.

Iam sequentia ordiuntur a particula causali כי *enim*, non quasi haec rationem reddat verborum immediate praecedentium : Non aedificabis

mihi domum, quia non assuevi ante incolere domum ; huiusmodi quippe argumentum vel ipsum Salomonem ab exstruenda domo prohiberet. Sed tota sequens oratio ea particula praeparatur. Cuius summa haec est : Non tu aedificabis mihi domum, sed Salomo filius tuus. Quod divinum decretum Davidi primum durius videri poterat, quod ipse aedificare domum in animo habuerit. Unde, quantum vel eo decreto Davidi conferatur, Deus exaggerat, ostendens primum v. 6 sq. nulli antiquiorum demandatam fuisse domus aedificationem, dein v. 8-11 recensens gratias ipsi David praevie collatas, v. 11-16 aperiens se Davidi vicissim, ob domum ab ipso (per Salomonem) aedificandam Deo, aedificaturum esse domum. — v. 6 « *Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Aegypti, usque in diem hanc ; sed ambulabam in tabernaculo et in tentorio* ».

Keil interpretatur ו explicativum : « in tabernaculo tamquam habitaculo ». Quae verba *LXX* cum priore parte v. 7 coniungunt : *sed ambulabam in tabernaculo et in tentorio per cuncta loca, quae transivi cum omnibus filiis Israel.* Lectio 1 Par. 17, 5 ואהיה באהל אל אהל וממשכן videtur ex nostra corrupta. Nam *LXX* ibi legebant uti h. l., omisso participio מתהלך ; *Syr.* legebat יאהיה בתהלך באהל ולמשכן ; *Vulg.* legebat participium aliquod incipiens a בו, dein אהל sine praepositione, tandem ובמשכן.

v. 7 « *Per cuncta loca, quae transivi cum omnibus filiis Israel, numquid loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui praecepi, ut pasceret populum meum Israel, dicens : Quare non aedificastis mihi domum cedrinam?* » Loco שבטי legebant 1 Par. 17, 6 *Hebr. Vulg. Syr.* שפטי, *ad unum de iudicibus Israel.* Literae facillime permutantur, et sequentia melius de iudicibus praedicantur (*Calm.*), quos reapse elegerat Deus pastores populi sui, dum nunquam unam aliquam tribum ad id officii delegerat. Possumus ergo de lectione שבטי merito affirmare cum *Houb.* : « mendum antiquissimum est ». Quodsi tamen mendum concedere vereamur, ipsae *tribus* cum *Theodoret.* de *iudicibus* interpretandae erunt : « Et adiecit, se nullum iudicum, qui erant ex diversis tribubus, iussisse aedificare templum ». Similiter *Ps. Hier.* — Sensum horum versuum ita definit *Sanct.* : « Rationes reddit Deus, cur in praesens non urgeat templi fabricam, neque ferat graviter, si in aliud tempus differatur ». Praeplacet idea a nobis superius enuntiata, ut Deus exaggeret, gratiam templi aedificandi esse tantam, quanta nulli iudicum concessa fuerit.

v. 8 « *Et nunc haec dices servo meo David : Haec dicit Dominus exercituum : Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel* ». Cf. Ps. 77 (78), 70 sq. Pulchre hanc suam electionem David 1 Par. 28, 4 pluribus explicat et cum vaticinio Gen. 49, 10 connectit . « De Iuda enim elegit principes, porro de domo Iuda

domum patris mei, et de filiis patris mei placuit ei, ut me eligeret regem super cunctum Israel ». Cf. h. l. v. 15, ubi idem לא יסור, quod Gen. 49, 10. — v. 9 « *Et fui tecum in omnibus, ubicunque ambulasti, et interfeci universos inimicos tuos a facie tua* ». Recenset gratias Davidi pridem collatas, gratuitam vocationem, constantem protectionem in omnibus tam locis quam expeditionibus. Inde, mutato in sequentibus tempore verbi, ad beneficia adhuc perdurantia enumeranda procedit, ubi verba in praesenti potius quam in futuro essent scribenda : facio, pono, planto. « *Fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra* ». v. 10 « *Et ponam locum populo meo Israel, et plantabo eum* ». Do ei regionem firmasque in illa sedes, « ut non facile evelli possit ; instar plantae radices aget » (*Malv.*). « *Et habitabit sub eo, et non turbabitur amplius, nec addent filii iniquitatis, ut affligant eum sicut prius* » v. 11 « *ex die, qua constitui iudices super populum meum Israel.* » *Sub eo*, תחתיו, quod *Chald. Syr.* explicant *in loco suo*, non peregre in regione aliena ; similiter *Symm.* ἐπὶ τοῦ τόπου αὐτοῦ ; *LXX* κα θ' ἑαυτόν, *seorsim*, separatus a reliquis tamquam sui iuris natio. — Verba construenda sunt uti praecedentia, aut potius sensu finali : ut habitet, ut non turbetur, neque ultra affligant. Prior vero v. 11 pars cum antecedentibus iungenda, ubi *Hebr.* legit : *ut affligant eum sicut prius*, puta in Aegypto, *et ex die, qua etc.;* item *Chald.* h. l., et ad 1 Par. 17, 10 *Hebr. LXX.* Lectio, quam *Vulg.* utrobique sequitur, id affirmat, perturbationes epochae iudicum iam finem esse accepturas. « *Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis* ». Hoc verbum aut finaliter rursum accipiatur, aut absolute de beneficio perdurante ; et id quidem melius, cum is *requiei* status non tam futurus intendatur, quam ex v. 1 iam existens atque perdurans intelligatur.

Iam a praeteritorum et perdurantium commemoratione ad futurorum promissionem fit gressus. Ubi nota orationis vigorem, quo Deus volenti sibi aedificare domum promittit, se domum exstructurum ipsi. « *Praedicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus* ». Dabit posteritatem et in ea perpetuabit regnum. Quamdiu conditio populi electi incerta fuerat et instabilis, arca in tentorio erat morata ; regno tandem in domo David permanenter stabilito, aedificanda erit arcae domus ; haec ratio dilatae adhuc aedificationis. Aliis verbis idem edicit 1 Par. 28, 3 : « Non aedificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fuderis ». Non ille, qui continuis pugnis fundamenta domus Davidicae iecit, aedificabit templum Domino, sed qui primus in domo bene stabilita nascetur. Conditio arcae sequitur conditionem nationis, unde haec primum perenniter stabilienda est, ut dein illa permanentem nanciscatur sedem.—Iam v. 12 distinctius enuntiat, illam domum Davidi aedifican-

dam intelligi regiam posteritatem : v. 12 « *Cumque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius* ».

Ad eliminandam prophetiam de futura Salomonis nativitate, *Then.* יצא mutat in יָצָא, *egressus est.* At illam punctationem confirmant versiones omnes, et 1 Par. 17,11 habetur futurum יִהְיֶה. Et quid tandem rationalistam iuvat secundarii de Salomone vaticinii eliminatio, relicto longiori et potiori vaticinio de domo David et de templo ! Ceterum seminis nomine, ut infra ostendemus, nequaquam unice Salomo designatur, sed posteritas David Messia incluso : unde ex futuro verbi non stricte sequitur, vaticinium ante natum Salomonem esse editum aut, quod voluit *Munst.*, Absalomem et Adoniam tum iam natos a successione excludi. Vaticinium hoc ante Salomonem natum esse editum, efficitur non tam ex nostro hoc textu, quam ex 1 Par. 22,8sqq., vaticinio prius consequente et explicante, ubi de Salomone tamquam nascituro sermo est.

v. 13 « *Ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum* ». v. 14 « *Ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium ; qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum* ». Verba *qui si inique etc.* desunt 1 Par. 17, 13 : *LXX* pro בהעותו videntur legisse בבא עונו, *si venerit iniustitia eius.* Haec per אשר praecedentibus intime copulata ostendunt agi de severitate *paterna*, idemque v. 15 evincit. Id dictum intelligas de punientis affectu, et non item de poenae mensura. Unde minus recte *Cler.* plectendos interpretatur « modicis poenis, quales parentes exigere solent ». Verius *Mar.* plectendos affirmat, uti plectuntur liberi a parentibus, qui id faciunt eo fine, « non ut perdant, sed ut castigent ». Porro *virga virorum* et *plagae filiorum hominum* aut eae intelligantur oportet, quae hominibus ab hominibus, imprimis filiis a parentibus infligi soleant, ergo maxime temporales prae aeternis (*Malv.*), aut eae, quae homines sunt : « Virga virorum gladius est inimicorum » (*Ps. Hier.*). Et hic sensus valde conformis est divinae V. T. oeconomiae. — Pulchre *Lap.* : « Castigabo Salomonem, si peccet, paterne ut pater, non severe et rigide ut iudex. Rursum, castigabo eum sicut castigare soleo homines, sc. humano more, poena humana, temporaria et clementi, puta morbo, fame, bello : non autem sicut castigavi angelos, quos coelesti regno privavi et gehennae in aeternum addixi ; nec sicut castigavi Saulem, quem abieci et regno spoliavi irremissibiliter et in aeternum ». v. 15 « *Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea* ». — Recte *Vulg. LXX Syr.* et pauci codices hebr. אסיר, pro אסור *recedet*, cf. 1 Par. 17, 13 ; *Hebr. Chald.* et plures codices Vulg. *a facie tua*, i. e. cuius in locum te substitui ; 1 Par. 17,13 breviter « ab eo, qui fuit ante te ».

v. 16 « *Et fidelis erit domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam* », — corrige *meam* cum *LXX Syr.* et paucis codicibus hebr. et Vulg. ; expressio sat frequens, cf. 1 Par. 17, 24 ; Ps. 60 (61), 8 ; 71 (72) 5. 17 — « *et thronus tuus erit firmus iugiter* ». Pro *fidelis* potius scribe vocis significationem primariam *permanens*. Modo dicebat, se misericordiam suam non esse ablaturum a semine David, statim dicit, thronum David fore firmum iugiter, ergo etiam verba interiecta de perennitate domus David intelligi oportet. Quorsum ea *fidelis* perseveratura esset, v. 14 in dubio relinquebatur. Regni aeterna duratio his quidem exprimitur, nondum tamen omnino cogenter (cf. etiam 3 Reg. 9, 5. 7 ; 11, 38 ; 1 Par. 22, 10) ; posterioribus vaticiniis clarius usque definitur (cf. Ps. 88 ; Dan. 2, 44 ; Luc. 1, 33).

Iam ad hoc vaticinium adverte sequentia.

1) Veteres auctores, imprimis apologetae, ita urgent Christum eo vaticinio designari, ut Salomonem excludere videantur et aliquando excludant : ita *Tert.* (2. 350), *Lactant.* (6. 486), *Iustin.* (6. 750), *Ambr.* (14. 895 ; 15. 1591), *Euseb.* (22. 430), *Cyr. Alex.* (76. 114) aliique. Verum *etiam Salomonem* designari patet quum ex sensu obvio, tum ex Salomone vaticinium hoc 3 Reg. 8, 15-21 ad se ipsum applicante, neque a quoquam interprete iam in dubium vocatur. Hinc voce « semen tuum, quod egredietur de utero tuo » (h. l. v: 12) *etiam* intelligitur « filius tuus, qui egredietur de renibus tuis » (ibi v. 9) ; voce « domus » etiam intelligitur templum.

2) Verum *non solum Salomonem* intelligi ex ipso vaticinio colligitur, sicut neque solum templum. Etenim v. 13 thronus *aedificatoris domus* asseritur stabiliendus in aeternum, sensusque obvius est, ipsum aedificatorem in illo aeternum esse sessurum, paternoque in illo Dei affectu fruiturum (v. 14). Latiori certe sensu intellexit Psalmista 88 (89), 31 sqq. ponens in plurali, quae h. l. v. 14 sq. in singulari leguntur (cf. 3 Reg. 2, 4). Audi *Aug.* (41. 540 : « Hanc tam grandem promissionem qui putat in Salomone fuisse completam, multum errat ».

3) Vaticinium *etiam Christum* respicere, patet ex citatione Hebr. 1, 5 : « Cui enim dixit aliquando angelorum : ...Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium ? » Neque opus est ad sensum typicum recurrere, cum vaticinium sensu literali sponte Christo adaptetur. Hinc Christum intelligi, praeter auctores supra laudatos, censuere *Basil.* (32. 882), *Theodoret.*, *Procop.*, *Walafrid.* (113. 568 sq.), *Angelom.*, *Eucher.*, et recentiores catholici ad unum omnes.

4) *Non solum Christum* intelligi, patet v. 14 : « qui si inique aliquid gesserit, etc. », qui Christo non convenit, cum nonnisi violenter de satisfactione vicaria posset exponi. Praeterea semen exaltandum videtur immediate post Davidis mortem v. 12.

5) Non solum Salomonem et Christum intelligi, sed *generationes etiam intermedias*, inde patet, quod eae vere sint « semen » David, quod eae in « domo »

David aeternum duratura (v. 16) necessario includantur, quod secus thronus seminis David non posset dici sempiternus inde a Salomone (v. 13). Tandem in illis generationibus, et plenius quidem quam in ipso Salomone, verificantur v. 14 sq. Quam sententiam pluribus elucidavit *L. Reinke*, Beitraege IV 429 sqq. Ergo «semen» complectitur omnes generationes Davidicas, a Salomone ad Christum. « Domus » intelligitur templum, quum Salomonis tum Zorobabelis ; synagoga, tamquam Ecclesiae anticipatio ; Christus, cuius humanitas templum est Io. 2,19, a virgine Davidica conceptione aedificatum (*Theodoret.*), qui in ea humanitate ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν tamquam in tabernaculo ampliori et perfectiori non manufacto Hebr. 9,11 ; tandem ecclesia, cuius singula membra templum sunt Dei 1 Cor. 6,19 ; Io. 14,23 ; 2 Cor. 6,16, quae tota structura est spiritualis 1 Petr. 2,5, in coelo consummanda Ap. 21,3 : « Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit (σκηνώσει) cum eis ». Paternus affectus v. 14 intelligitur quum Salomoni, tum etiam Christo et ecclesiae in gratia et gloria exhibitus. Castigationes v. 14 intelliguntur, quae toti utriusque testamenti ecclesiae fuere inflictae. Consulendus in his *Theodoret.* Praeter hunc et *Aug.* supra citatum, tam Christum quam Salomonem in vaticinio intelligi, defendunt *Rup.*, *Sanct.*, *Est.*, *Malv.*, *Menoch.*, *Tir.*, *Lap.*, *Calm.* etc. « Communis est sententia, quaedam ad literam de Salomone, quaedam de Christo esse intelligenda, et in regno Salomonis, licet non aeterno, regnum Christi adumbrari » (*Sanct.*). « Duo vitanda, ne sc. totum Iesu Christo, ne totum Salomoni tribuatur » (*Calm.*). Quidam utique auctores ambigere videntur, intelligaturne promissio de Christo sensu literali an mystico. Et mystico quidem intelligi sensu pluribus defendit F. X. Patritius S. I., De interpr. script. sacrarum II. 191 sqq., Romae 1844. Sed cur ad sensum mysticum recurramus, nulla ratio apparet : intelligitur totum semen per modum unius et unico sensu, a Salomone ad Christum. Non tamen singula in singulis eius seminis membris aeque sunt impleta, sed aliqua nonnisi in Christo plenam veritatem habent, ab aliquibus (v. 14) Christus excluditur. Similiter plura de uno homine enuntiare consuevimus, quorum tamen aliqua solam animam, alia solum corpus spectent. Indidem etiam efficitur, pleraque utique *absolute* promitti, quaecunque sc. templum et Christum respiciunt, aliqua vero *conditionate*, quae humanae infidelitatis poenas praemonstrant.

6) Sicut Messiae adventus, et similiter etiam Davidis ad regnum accessio (1 Reg. 16, 13 ; 2 Reg. 3, 10 ; 5, 2), iteratis vaticiniis fuere declarata, ita etiam domus Davidicae fata. Quaedam eiusmodi vaticinia (cf. Ps. 88, 27-38) explicari possunt ut merae nostri vaticinii repetitiones. Sed una aliqua certe diversa Davidi data est prophetia, qua prior haec quoad temporalem et politicam suam partem declarabatur. In ea causa enuntiabatur, ob quam ipse David a templi structura prohiberetur, regni sc. conditio tot bellis agitata (3 Reg. 5, 3 ; 1 Par. 22, 8 ; 28, 3) ; item, quis esset templum aedificaturus, sc. Salomon, a quiete temporum nomen nactus (3 Reg. 5, 4 sq. ; 1 Par. 22,9 sq. ; 28, 6 sq.) ; tandem conditionata permanentia throni temporalis domus Davidicae (3 Reg. 8, 25 ; 9, 5). De his cum in nostro vaticinio nulla fiat mentio, non est cur omnia ad unicum

cum *Sanct.* vaticinium revocemus : eadem promissio secundum varias suas partes successivis vaticiniis evoluta est.

v. 17 « *Secundum omnia verba haec et iuxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David* ».

Sequens *oratio David* duas habet partes : gratiarum actionem pro facta promissione v. 18-24, et petitionem impletionis v. 25-29. v. 18 «*Ingressus est autem rex David, et sedit*»—i. e. diutius commoratus est, orationem protraxit — «*coram Domino, et dixit : Quis ego sum, Domine Deus, et quae domus mea, quia adduxisti* » — pro הביאתני *LXX* h. l. et 1 Par. 17,16 legebat אהבתני *dilexisti* — «*me hucusque ?*» Cf. 1 Reg. 9, 21. *Sanct.* : « Audierat (v. 8) David a Nathan, unde fuerit ad regium solium et summum inter Israelitas ordinem sublatus : illa igitur secum coepit meditari primum optimus orator David, quae a Dei internuntio propheta primum audierat ». Voce *hucusque* designantur beneficia ipsi David ante collata, dum v. 19 celebrat beneficia posteris conferenda. Primum grati animi motivum desumitur ex beneficiorum gratuitate, viro obscurae stirpis collatorum, « ut ex pastore ovium faceres regem populorum » (*Lap.*). — v. 19 « *Sed et hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum* ». *Sanct.* : « Meditatur idem David, quod secundo loco audierat a propheta, nempe in domo sua aeternum fore solium ». Ad eminentiam ipsi David concessam accedit excellentia eius semini aeternum promissa. « *Ista est enim lex Adam, Domine Deus* ». Verte *lex hominis,* non est enim, cur nomen proprium Adae introducatur.

Textus obscurior. *Glossa* apud Verc. : « Lex hominis, ut tibi serviatur, et tu ei benefacias ». *Sa, Menoch.* : Agis mecum non tam ut Deus, quin potius ut homo cum homine, amicus cum amico. *Rabbini* apud Amam. : Itane agitur cum vili, qualis ego sum, homuncione ! *Tir.* : « Hic usus et mos hominum est, et rationali creaturae insita lex, ut, quantiscunque polleant opibus, honoribus, commodis, non tamen putent sibi plene satisfactum, nisi posteris quoque suis pari modo prospectum sit ». Quae omnia valde sunt vera, mire ad aedificationem conferunt, sed num tandem in simplicibus illis vocibus *Ista est lex hominis* inclusa et compressa latitant ? Dicas potius textum esse corruptum, eiusque magis correctam, licet necdum integram, formam haberi 1 Par. 17,17. Ubi pro וזאת תורת האדם legitur וראיתני כתור האדם המעלה. Quod vertit *Keil* : « Et vidisti, i. e. visitasti me, secundum modum humanum », omissa ultima voce. Sed *Hebr.* habet futurum, dum contextus suggerit praeteritum, quod profecto exhibent *Vulg.*, *LXX* ותראני, et vertunt *Bertheau*, *Fürst* : « fecisti me cernere quasi seriem hominum ascendentem », i. e. posteritatem meam ; id, praecedente *in longinquum,* flaccidum est. Nota, pro תירת 2 Reg. 7, 19 *Chaldaeum* explicationis gratia substituere חֲזוֹא *visionem,* itemque 1 Par. 17,17 *LXX* vertere *sicut visionem,* utique independenter ab invicem, et *Syrum* 1 Par. 17,17 in textu ceteroquin satis corrupto legisse videri vocem אור. Unde coniicimus, textum primitus hoc fere dixisse : Fecisti

me videri quasi luminare (כמאור ?) inter homines, et amplius ; seu, uti vertit *Vulg.* 1 Par. 17,17 « fecisti me spectabilem super omnes homines ». — Posse autem hoc nostro loco textum corrigi secundum 1 Par., inde patet, quod uterque s. auctor supponendus est id intendisse, ut Davidis verba quoad substantiam saltem redderet, et quod divergentia textus 1 Par. non inde orta esse supponi queat, ut auctor 1 Par. voluerit in locum expressionis 2 Reg. clariorem aliquam substituere ; nam neque eius textus, qualis nunc legitur, claritate excellit ; facilius ergo uterque textus ex eodem primitus textu corruptione ortus esse supponitur.

v. 20 « *Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? Tu enim scis servum tuum, Domine Deus* ». *Sanct.* : Quid ergo amplius poterit David postulare, tot acceptis beneficiis? Sed verbum hebr. est *loqui*, quod non est idem atque *postulare*. Melius ita : Quid adhuc loquatur David verba gratiarum actionis, cum tibi, Domine Deus, pateat cor eius? Experitur sc. David difficultatem in gratiarum actione dignis vocibus exprimenda ; simul inde solatium sûmit, quod Deus intueatur cor, et in illo internos sensus, utvis imperfecte verbis expressos. Pro לדבר 1 Par. 17, 18 legitur לכבוד, literis utique valde similibus. — v. 21 « *Propter verbum tuum* », i. e. priores promissiones messianicas universim sumptas, « *et secundum cor tuum* » fidele et misericors « *fecisti omnia magnalia haec, ita ut notum faceres servo tuo* ». *Sanct.* : « Nihil ex tot beneficiis David suis meritis adscriptum esse vult, sed totum benignitati divinae refert acceptum ». — Aliter 1 Par. 17, 19 : « propter servum tuum », עבדך pro דברך, literis utique perquam similibus ; ergo vel propter fidem servo ex promissione debitam, vel propter servi miseriam. *Magnalia haec* intelliguntur dignitas Davidi collata, et excellentia eius semini reservata, in Deo quippe idem est decernere quod facere. *Ita ut notum faceres* : *Vulg.* 1 Par. 17, 19 « et nota esse voluisti » ; is sane est sensus. Non solum decrevit Deus illas gratias, sed etiam revelavit antecedenter et promisit, utique « propter verbum suum et secundum cor suum ». v. 22 « *Idcirco magnificatus es* » (cf. v. 26 « magnificetur nomen tuum » ; *Chald. Syr. magnus es tu*, fortasse legentes גדל אתה), « *Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus* », iuxta omnia, « *quae audivimus auribus nostris* » ; quaecunque audivimus, confirmant tuam illam supereminentiam ; iamque illa audita breviter v. 23 resumit David. Pro ככל *Vulg.* hic et 1 Par. 17, 20, item h. l. *LXX Chald.* et plures codices hebr. legunt בכל. v. 23 « *Quae est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam sibi in populum, et poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia et horribilia super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Aegypto, gentem et deum eius* », vel *deos eius*? Quae est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit

(vel : quam adduxit) Deus, ut redimeret eam sibi in populum, et in ea manifestaret nomen suum, gloriam et laudem (cf. v. 9 « fecitque tibi nomen grande », et Ier. 13, 11), seu « faceret se celebrem » (*Sa*), patraretque in eorum favorem portenta, qualia in Aegypto et in terrae sanctae ingressu facta sunt, et eiiceret a facie eorum gentem Chananaeorum et deum (vel : deos) eius !

Hebr. Chald. Syr. gens una אחד, *LXX gens alia* אחר : utraque lectio vocationis singularitatem effert. — *Super terram* : *Hebr.* לארצך legebat, *LXX* לגרשך, *ad eiiciendum te*, et 1 Par. 17, 21 *Hebr. Vulg. LXX* לגרש, *et ad eiiciendum a facie populi tui etc.* Suffixum secundae personae habent h. l. omnes, et ad 1 Par. 17, 21 *Hebr. LXX* : non infrequens est Hebraeis, transitio a suffixo orationis indirectae ad directae ; et nota statim v. 24 Davidem directe Deum alloqui. Nulla igitur textus emendatione opus est. — *Gentem* : *Vulg. Syr.* גוי. Quem habent *Hebr. Chald. LXX* et, ad 1 Par. 17, 21, *Hebr. LXX* pluralem גוים, a sequenti suffixo numero discrepat.

v. 24 « *Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum : et tu, Domine Deus, factus es eis in Deum* ». Quo versu beneficiorum enarratio resumitur et absolvitur. Pro תכונן *firmasti*, *Hebr. Vulg. LXX* 1 Par. 17, 22 legebant תתן *posuisti, constituisti* ; *LXX Chald.* h. l., et *Syr.* ad 1 Par., fortasse legebant תקן *acquisivisti*.

Iam v. 25-29 David, ut promissa impleantur, humili oratione supplicatur. v. 25 « *Nunc ergo, Domine Deus, verbum, quod locutus es super servum tuum et super domum eius, suscita in sempiternum, et fac sicut locutus es* », v. 26 « *ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur : Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus servi tui David erit* » — melius optativo *sit* — « *stabilita coram Domino* ». Verba non sunt commate concludenda, sed puncto, uti habet *Vulg.* 1 Par. 17, 25. — v. 27 « *Quia tu, Domine exercituum, Deus Israel, revelasti aurem servi tui, dicens : Domum aedificabo tibi : propterea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac* ». Apparentem petitionis audaciam eo excusat, quod divina promissione ad petendum fuerit sollicitatus. v. 28 « *Nunc ergo, Domine Deus, tu es Deus, et verba tua erunt* » (melius *sunt* ; futurum pro perdurantibus usurpatur) « *vera : locutus es enim ad servum tuum bona haec* ». Pro *enim* melius verte *et*. Exaudiri postulat titulo divinitatis et consequentis ex ea fidelitatis : tu es Deus ; quidquid Deus loquitur, verum est ; huiusmodi promissiones mihi locutus es, ergo imple. v. 29 « *Incipe ergo, et benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te : quia tu, Domine Deus, locutus es, et benedictione tua benedicetur* » — melius *benedicatur* — « *domus servi tui in sempiternum* ». Verbis *quia tu locutus es* rursum appellat divinam fidelitatem ; sed non iam meram promissorum impletionem pos-

tulat, sed ut promissa illico impleri incipiant, haud praescius, quantopere impletio eius peccato procrastinanda sit.

3) Regnum Davidicum bellis firmatur et ampliatur 2 Reg. 8,1-10,19.

Haec narrationis pars complementum quoddam est promissionis Davidi factae. Ut enim semen eius regno perenniter potiretur, conveniens erat, ut de iustae molis regno eidem provideretur ; item ut templum Hierosolymis tam pretiosum aedificaretur, solae duodecim tribus efficere vix potuïssent, nisi aliarum praeterea nationum tributa praesto fuissent. Bellorum narratio bifariam dividitur, capite 8 summarium tradente bellorum, et capite 10 gravissimum Ammonitarum bellum fusius narrante. Interseritur cap. 9 historia Miphiboseth, ex fastis nequaquam hausta, quod eius viri mentio in narratione peccati David facienda sit, quae cum bello Ammonitico individue est contexta.

a. Summarium bellorum David 2 Reg. 8,1-18.

ARG.—Recensentur v. 1-10 bella contra Philisthaeos, Moabitas, Syros Soba et Damascum, quod ultimum ex cap. 10 novimus cum bello Ammonitico fuisse connexum ; v. 11 sq. de praeda horum bellorum agitur, ubi Ammonitarum nomen exprimitur ; sequitur 13 sq. bellum Idumaeum, et v. 15-18 narratio concludit elencho procerum aulae Davidicae.

De *chronologica bellorum successione* aliquae moveri possunt dubitationes. Et primum constat, omnia ea bella ante Absalomis insurrectionem esse gesta, post eam quippe 20, 23-26 ordo procerum ex parte est mutatus. Bellum Idumaeum est bello Ammonitico-Syriaco, ideoque Davidis peccato posterius, cf. v. 13 : «cum reverteretur capta Syria» ; nisi forte coniicere mavis, locum habuisse post primam 10, 8 sqq. et ante secundam 10, 15 sqq. Syrorum stragem. Ubi 8, 1 auctor Philisthaeos devictos commemorat, certe priora duo bella 5, 17-25, mox post captam Sion habita, minime excludit ; sed utrum iis duobus bellis et ante bellum Ammoniticum Philisthaei tandem subiugati fuerint, utrum idem sit, 5, 25 percussos esse Philisthaeos «de Gabaa usque dum venias Gezer», et 1 Par. 18, 1 sublatam esse «Geth et filias eius de manu Philisthiim», utrum pugnae 21, 15-22 narratae omnes et singulae ad illa duo bella pertineant, non liquet. Considerata Philisthaeorum indole, nobis aliunde comperta, satis probabile videtur, eos ad certamen identidem rediisse. Quis sit belli Moabitici 8, 2 in bellorum successione locus, etiam minus constat. Ordinis ratio, quo 8, 1-10 bella narrantur, potest esse aut ratio temporis seu

chronologica, aut ratio difficultatis, ut bellum Moabiticum Philisthaico fuerit difficilius, Ammoniticum omnium difficillimum, aut ratio geographica : enumeratio quippe ab extremo austro per Philisthaeos, Moabitas, (Ammonitas), Syros Soba, Damascenos, Emathitas ad extremum septemtrionem ascendit.

Cap. VIII v. 1 «*Factum est autem post haec, percussit David Philisthiim, et humiliavit eos, et tulit David frenum tributi de manu Philisthiim*».

Post haec consecutionem exprimit, non necessario eventuum, sed narrationis, ut sit idem atque *praeterea*. Cf. 10, 1, ubi eadem voce incipit narratio belli Ammonitici, de quo iam cap. 8 agebatur.—Pro *frenum tributi* legitur 1 Par. 18, 1 *Geth et filias eius*. Ex 3 Reg. 2, 39 sqq. intelligimus, proprios Gethaeis regulos esse permissos. Neque inviti admodum censendi sunt Gethaei paruisse Davidi (cf. 15, 18 ; 18, 2), qui pridem cum laude inter ipsos esset versatus. Vix tamen nostram lectionem et lectionem 1 Par. 18, 1 unam ex altera corruptione ortas esse defendi potest, sed utraque diversa edicit et vera. 1 Par. affirmat, urbem Geth cum urbibus ei subiectis in potestatem Hebraeorum cessisse : noster textus rem eandem generaliori expressione complectitur. מתג האמה *Vulg.* vertit *frenum tributi, Symm. potestatem tributi ;* et quidem pro מתג significatio *freni* Ps. 31 (32), 9 ; Prov. 26, 3 stabilitur. *Aq. frenum aquaeductus* (!). *Syr.* legebat nomen proprium cum aliqua literarum transpositione : sed, quae tandem est illa urbs Ramathgama ? *LXX* τὴν ἀφωρισμένην, quod fortasse secundum *Isocr.* 4. 36 licet vertere « regionem expugnatam ». *Malv.* אמה derivavit ab אם, mater, vertitque « metropolis », intelligens Geth. filiarum matrem. *Symm.* et *Vulg.* fortasse interpretati sunt scriptionem defectivam, אמה pro אימה, ergo *frenum terroris, servitutis, tributi.*

v. 2 «*Et percussit Moab, et mensus est eos funiculo coaequans terrae ; mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, et unum ad vivificandum ; factusque est Moab David serviens sub tributo*». Clarior *Hebr. : Et mensus est eos funiculo procumbere iubens humi, et mensus est duos funiculos ad occidendum, et funiculum plenum ad vivificandum.* Alia punctatione *Chald.* : *et impletus est funiculus ad vivificandum.* Plenus funiculus aut simpliciter unum dicit funiculum, unam tertiam partem, aut indicat, aliquam in eo funiculo dimetiendo latitudinem esse admissam, et ita plures numero servatos. Iussit igitur David Moabitas humi prosterni, unum iuxta alium, utique solos viros armatos (*Cler.*) ; dein non numeravit, sed simpliciter mensus est, et in tres partes distribuit, aequales aut saltem fere aequales ; quarum duas, sorte fortasse determinatas (*Chald.*), morti addixit, tertiam servavit (*Ios., Theodoret.*). Poena haec non ita atrox erat, qua aetate non raro armatus quisque necaretur. Quid Davidem tam infensum reddiderit Moabitis, pridem amicis 1 Reg. 22, 3 sq., ignoramus. Fortasse continuis indulserant praedationibus ; aut uti Philisthaei, quam primum David regno potitus est, facti sunt inimici. *Sanct.* : «Ut ergo nos terram funiculo metimur, non nume-

ramus glebas, quia longus ille esset et inutilis labor, sic etiam David quasi pulverem dimensus est Moabitas, aut iam caesos et exanimes (?), aut ita subiectos, ut, quasi mortui essent, mutire non auderent, aut se contra victoris nutum commovere».

v. 3 « *Et percussit David Adarezer, filium Rohob, regem Soba, quando profectus est, ut dominaretur super flumen Euphraten* ». Sobam iam debellaverat 1 Reg. 14,47 Saul. Aram Soba Ps. 59 (60),2 ; 2 Reg. 10,16 distinguitur ab Aram Naharaim, quod erat trans Euphraten, ad cuius tamen fines pertingebat; erat confine regno Emath seu Hamath, ut patet quum ex inimicitiis in illud exercitis v. 9 sq., tum inde quod Soba appelletur 1 Par. 18,3 Soba Emath, et Emath 2 Par. 8,3 Emath Soba ; erat etiam confine regno Damasci h. l. v. 5 ; 10,6 narratur se Ammonitis foedere iunxisse. Quibus omnibus docemur, Sobam sitam fuisse fere inter Euphraten et Damascum.

Adarezer legunt h. l. *Vulg. LXX Syr.*, et ad 1 Par. 18,3 omnes, contra *Hebr.* h. l. et *Chald.* legentes Adadezer. Cf. nomen Obedadar pro Obededom 6,10 ; Benhadad apud *LXX* et in inscriptionibus cuneiformibus audit Benhadar (*E. Schrader*, Keilinschriften u. Geschichtsforschung, Giessen 1878). Haud improbabile est, nomen idoli Adar in nominibus propriis de consilio esse adulteratum ; cf. dicta ad 6,10. — *Hebr.* verbotenus *ut verteret manum suam ad flumen E.*, השיב יד ; 1 Par. 18,3 *ut erigeret, firmaret manum suam super fl. E.*, הציב יד. Duae lectiones tam sunt affines, ut facile una ex altera natae esse possint, non tamen necessario ; utraque unum idemque factum historicum exprimere censenda est ; ergo utraque explicanda. Secundam utrobique sequitur *LXX*. Nostram lectionem quod attinet, recte contra *Then.* advertit *Wellh.*, השיב יד etiam construi cum אל 1 Reg. 14,27, consequenter h. l. etiam construi posse cum ב, e contra cum על constructum semper habere sensum hostilem. Iam verti potest manus ad alium vel auxilii praestandi vel petendi causa ; quod alterum h. l. intelligi, suadet 10,16 : « Misitque Adarezer, et eduxit Syros, qui erant trans fluvium ». *Ut erigeret manum suam super Euphraten*, significare potest *ut dominaretur super E.* (*Vulg.*), vel *ut firmaret terminum suum super E.* ; cum quippe sensum, cumque satis naturalem, voci יד tribuunt *Chald.* et ad 1 Par. 18,3 *Syr.* ; vel *ut erigeret sibi trophaeum super E.* (*Symm.*, cf. 1 Reg. 15,12.).

v. 4 « *Et captis David ex parte eius mille septingentis equitibus, et viginti millibus peditum, subnervavit omnes iugales curruum ; dereliquit autem ex eis centum currus* », vel potius iugales curruum. Obiicit *Then.*, summum sibi Davidem detrimentum fuisse inflicturum, tot equis petulanter mutilatis. Sed in *Hebr.* verba omnia coordinantur : cepit, subnervavit, dereliquit. Non dicuntur equi confecto proelio esse subnervati, sed durante proelio id factum est ab Hebraeis, vel ut se a curruum impetu defenderent, vel quia secus aut currus iam captos dimittere, aut prope illos subsistere debebant, nec fugientes hostes insequi poterant, cum essent ipsi curruum regendorum nequaquam gnari. Nota tandem

Theodoret. : « Lex divina reges vetat multis uti equis, ut non in eis, sed in virtute divina confidant. Quam legem implens, currus plurimos confregit ». Cf. *Sanct.*

Pro *mille septingentis equitibus* legunt *LXX*, et ad 1 Par. 18, 4 omnes, *mille curribus et septem mille equitibus* ; item *Ios.* Quos numeros cum *Thenio* et *Keil* praefert *Clair*, quod iustior sit proportio septem millium, quam mille septingentorum equitum ad peditum viginti millia. Verum, quot equites fuerint in exercitu Adarezer, ignoramus ; plerique sane in fugam se dederunt, equorum velocitate fisi, nec nisi admodum pauci ab Hebraeis peditibus capti sunt.

v. 5 « *Venit quoque Syria Damasci, ut praesidium ferret Adarezer, regi Soba ; et percussit David de Syria viginti duo millia virorum* ». Non est necesse supponere, haec facta esse expeditione diversa ab ea, quae modo narrabatur ; tamen sensus obvius est, id factum esse post primam cladem ab Adarezer acceptam, et ita Damascenos nonnisi una cum Syris Transeuphratensibus 10, 16 et post devictum primo proelio 10, 13 Adarezer praesto adfuisse. v. 6 « *Et posuit David praesidium in Syria Damasci, factaque est Syria David serviens sub tributo ; servavitque Dominus David in omnibus, ad quaecunque profectus est* ». Significatio praesidii pro נציב demonstrari nequit : non ex 1 Reg. 10, 5, ut ibidem ostendimus, non ex 13, 3, non ex 2 Par. 8, 10, ubi lectio est anceps ; 3 Reg. 4, 19 vox designat *praefectum*, qui sensus etiam nostro loco convenit. Praefectus utique praesidium secum habebat. v. 7 « *Et tulit David arma aurea, quae habebant servi Adarezer, et detulit ea in Ierusalem* ». v. 8 « *Et de Bete, et de Beroth, civitatibus Adarezer, tulit rex David aes multum nimis* ».

Quid fuerit שלטי iam videntur dubitasse versiones. *Vulg.* 1 Par. 18, 7 *pharetras*, itemque Ez. 27, 11 ; Ier. 51, 11 ; sed Cant. 4, 4 *armatura* ; 4 Reg. 11, 10 *arma* uti h. l. ; 2 Par. 23, 9 *peltas*. *LXX* singulis fere locis allatis aliter vertunt. *Chald. Syr.* religiose radicem שלט retinuerunt. 4 Reg. 11, 10 et 2 Par. 23, 9 omnino ostendunt, non fuisse merum aliquod ornamentum militare, sed armaturae partem quamdam principalem, probabilius clypeum ; quominus enim pharetram interpretemur, prohibet nulla arcuum facta mentio. Clypeos vero intellige *aureos*, non quasi totos ex auro conflatos, sed quia auro ornatos, aut ad summum auri lamina opertos. — Urbes illae regni Soba ceteroqui ignotae sunt, unde minime mirum est, nomina esse lectionis incertae. Pro *Hebr.* בטח legebant טבח *LXX*, (non tamen *Ios.*) et *Syr.* ; טבחת 1 Par. 18, 8 omnes. Hoc idem esse putat *Mariette* (Revue Archéol. 1861 IV p. 356) atque Fevexu, quae urbs in aliquo documento Pharaonis Thotmes III nominatur. Pro ברתי 1 Par. 18, 8 *Hebr. Vulg.* כון ; *Ios* מכון, nisi forte מ sit praepositionis residuum ; *LXX* videntur legisse בחרותי (*Verc.*), hinc vertunt *de electis civitatibus* ; satque mirum est, unum etiam codicem *Vulg.* habere Becheroth (*Verc.*). Ex eo, quod Soba non dicatur serviisse David sub tributo, et quod duae tantum civitates captae nominentur, secundum loquendi modum historiographorum orientalium merito concludes, potiorem partem regni Sobae intactam mansisse.

v. 9 « *Audivit autem Thou, rex Emath, quod percussisset David omne robur Adarezer* », v. 10 « *et misit Thou Ioram, filium suum, ad regem David, ut salutaret eum congratulans et gratias ageret, eo quod expugnasset Adarezer et percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer. Et in manu eius erant vasa aurea, et vasa argentea, et vasa aerea* ». Causa legationis fuit congratulatio ob victum communem hostem, victoris contra eundem procurandum futurum auxilium et concilianda in praesens gratia.

תעי, 1 Par. תעו. Pro יורם praeter *Syr.* ad 1 Par. 18, 10 omnes הדורם ; item *Ios.* — *Hebr. Vir enim proeliorum Thou erat Adarezer*, quae verba parenthesis quaedam sunt, sequentia rursus de Ioram intelligenda. Explicat *Chald. : Vir enim gerens bella cum Thou erat Adarezer* ; *Syr.* et h. l. *LXX* omittunt *Thou*, quo utique constructio fit planior, sed vix sufficiens auctoritas.

v. 11 « *Quae et ipsa sanctificavit rex David Domino cum argento et auro, quae sanctificaverat de universis gentibus, quas subegerat :* » v. 12 « *de Syria, et Moab, et filiis Ammon, et Philisthiim, et Amalec, et de manubiis* » i. e. spoliis « *Adarezer, filii Rohob, regis Soba* ». *De Syria : pro* ארם *LXX Syr.* h. l. et, ad 1 Par. 18, 11 omnes, legebant אדם, quae nomina facillime commutantur. Sed Edomitae statim recensentur v. 14, et Aram seu Syria non facile h. l. potuit praetermitti. Nota hanc omnem praedam Davidem sanctificasse, i. e. cultui divino consecrasse : quo clarius patet huius bellorum narrationis cum praecedente promissione templi aedificandi connexio. His sc. bellis opes accumulavit David, quibus postea tanto sumptu necessaria ad templi aedificationem comparavit.

v. 13 « *Fecit quoque sibi David nomen, cum reverteretur capta Syria, in Valle Salinarum, caesis decem et octo millibus* ». Haec contra Edomitas acta, in quorum regione erat Vallis Salidarum 4 Reg. 14, 7, fortasse in extremitate meridionali Maris Mortui. Vix dubium est, Idumaeos, Davide ad bellum Syriacum profecto, in Palaestinam praedandi causa incurrisse. Sex mensibus durasse bellum, et usque ad internecionem eorum omnium Idumaeorum, qui in Ioabi manus inciderent, esse continuatum, 3 Reg. 11, 15 sqq. docemur.

Sibi deest in textu, et tamen expressio *facere nomen* dativum commodi sibi vindicat : cf. 7, 23 ; 2 Esdr. 9, 10. *Hebr., LXX, Vulg.* legebant ויעש דוד שם ; *Syr.* ויעש שם דיד מלחמה, *fecit ibi* (שָׁם pro שֵׁם) *David pugnam*, sed *ibi* certe est spurium, cum locus nondum notus supponatur et illico nomine appelletur. *Chald.* ויעש דוד מלחמה, *fecit David pugnam*. Quae ultima lectio ad genuinam lectionem proxime accedit. Si sc., quod frequenter usu venit, nomen דוד decursu temporis supplctum esse supponas, invenies vocem שם componi ex ultima consonante praecedentis ויעש, et ex prima sequentis vocis מלחמה. Unde restituitur textus : ויעש מלחמה, *et instituit*

proelium (cf. Gen. 14, 2 ; Deut. 20, 12). — Quoad sequentia, textum restitutum statim subiicimus : Et, cum reverteretur post percussam Syriam, percussit Edom in Valle Salis, decem et octo millia. ובשבו מהכותו את ארם הכה את אדם וגו׳. Mira in textu confusio orta est ex similitudine inter את ארם et inter את אדם, unde alia alii omiserunt. Omnia tamen sententiae membra in variis textibus disiecta praeservata sunt. Et copulam quidem ו soli *LXX* servarunt. בשבו textus habent omnes, מהכותו soli ignorant *LXX*. את ארם legunt *keri*, *Vulg.*, *Chald.* ; הכה praeter *LXX* legebant *Vulg.*, *Syr.*, hi enim *duo* caedendi verba exprimunt(מהכותו־הכ ה). Tandem את אדם habent *kethib*, *LXX*, *Syr.* Quae restitutio textus (cf. *Houb.*) egregie confirmatur titulo Ps. 59 (60), 2, qui eum textum adhibita aliqua abbreviatione reproducit : « et reversus est Ioab (a caede Syriae), et percussit Edom in Valle Salis, duodecim millia ». Habet שְׁנֵים pro שְׁמוֹנָה. Locus parallelus 1 Par. 18, 12 sic est : «Abisai vero, filius Saruiae, percussit Edom etc. » ; priora verba certe non sunt corruptio nostri textus, sed alter textus omnino diversus.

v. 14 «*Et posuit in Idumaea custodes, statuitque praesidium, et facta est universa Idumaea serviens David*». Vocibus *custodes* et *praesidium* utrisque correspondet נצבים, cuius vocis sensum v. 6 monuimus potius esse *praefecti*. Ceterum incisum *statuitque praesidium* in *Hebr.* sic sonat : *statuitque praefectos in universa Idumaea*, quo sensu incisum non abundat, sed inculcat, quod praecedente inciso dicebatur (*Et posuit in Idumaea praefectos*), de universa valere Idumaea. Incisum a reliquis versionibus omittitur vel ex parte vel ex toto, 1 Par. 18, 13 non legitur.

Reliqua capitis pars, quod Intr. n. 4 monuimus, omnino affinis est 1 Reg. 14, 47-51. Ibi, compendio narratis bellis Saul, eius familia exercitusque princeps recensebatur : hic, post narrata bella David, primum brevi sententia eius regni indoles adumbratur, dein proceres aulae describuntur. Alter locus parallelus est 2 Reg. 20, 23-26. «*Et servavit Dominus David in omnibus, ad quaecunque profectus est*». v. 15 «*Et regnavit David super omnem Israel ; faciebat quoque David iudicium et iustitiam omni populo suo*». Incolumis ex bellicis expeditionibus universis servatus est, ab universo populo rex agnoscebatur, muneris officia religiose obibat, sine personarum aut munerum acceptione. Regnavit super omnem Israel, «non solum, quia duodecim illi tribus suberant, cum tantum prius uni praeesset tribui Iuda, sed quia quidquid ad Israelis possessionem pertinebat, obtinuit» (*Sanct.*). Adverte, quantopere sequens descriptio aulae Davidicae descriptionem aulae Saul 1 Reg. 14, 50 excellat, in qua omnia erant longe humiliora. v. 16 «*Ioab autem, filius Saruiae, erat super exercitum ; porro Iosaphat, filius Ahilud, erat a commentariis*».

Ita מזכיר vertunt *Vulg. LXX ; Chald. ille, qui super memorabilia ; Syr.* semel *commemorator*, 1 Par. 18, 15 *gubernator, administrator* ; *Aq.* ὁ ἀναμιμνήσκων. Videtur is utique regis acta scriptis mandasse, probabiliter regem de agendis monuisse, ergo

fere cancellarius ; « in Romano imperio recentiore vocatus magister memoriae » (*Malv.*). *Sanct.* illum putat ea redegisse documenta, quae « verba dierum » nuncupantur. Adverte, cum 4 Reg. 18,18. 26. 37 ; 2 Par. 34,8 tertio dignitatis loco, et tam iis locis quam 3 Reg. 4,2 post « scribam » recenseri. Hic Iosaphat etiam sub Salomone munere functus est 3 Reg. 4,3 ; videtur fuisse frater Banae, unius e regiis praefectis, ib. v. 12.

v. 17 «*Et Sadoc, filius Achitob, et Achimelech, filius Abiathar, erant sacerdotes, et Saraias scriba*». Non intelligitur *Achitob* abnepos Heli 1 Reg. 14,3 ; sed series pontificum de stirpe Eleazar, filii Aaron et fratris Ithamar, exhibet unum vel fortasse etiam duos Sadoc, filios Achitob : cf. 1 Par. 6,8. 12 ; 9,11 ; 1 Esdr. 7,2. Frequentia videntur ea nomina inter sacerdotes fuisse.— *Abiathar* : solus *Syr.* legit *Abiathar, filius Achimelech,* quod consonat cum 1 Reg. 22,20 sqq. Sed difficile explicatur, quomodo eadem nominum transpositio, quae secundum *Syr.* h. l. esset supponenda, similiter locum habere potuerit 1 Par. 18,16 ; 24, 3. 6. Unde rectius hunc Achimelech statuimus filium eius Abiathar, qui ad Davidem transfugit, et nepotem antiquioris illius Achimelech. Neque est, cur argumentis probemus, potuisse nepotem avi nomine vocari, cum apud Iudaeos infantium nomina e cognatione desumerentur Luc. 1,61. Etiam chronologica difficultas non adest, cum ignoremus, qua aetate Abiathar Davidi se iunxerit ; potuit is esse grandaevior.— *Saraias* : ita h. l. *Hebr. Vulg. Chald. Syr. ; LXX* Σαρά, cui consonat 1 Par. 18,16 שושא, Susa, Σουσά. Idem rursus 2 Reg. 20,25 *kethib, Chald.* שיא, *LXX* Σουσά, *Keri* שוא, *Vulg.* Siva, *Syr.* שריא. 3 Reg. 4,3, ubi filii narrantur in munere successisse, Siva, Σηβά, *Chald. Syr. Hebr.* שישא.

v. 18 «*Banaias autem, filius Ioiadae, super*» (pro ו lege על cum *Vulg. Chald. Syr.* et 1 Par. 18, 17) «*Cerethi et Phelethi* », qui tandem 3 Reg. 2, 35 in Ioabi locum successit. — Cerethos et Phelethos aliter alii ex etymologia nominum interpretati sunt, quae, uti patet, perquam incerta sunt et nugatoria. Verius *Sa* : « forte sic dicti, quod essent Cherethaei et Philisthaei, ut nunc solent Svitzeri seu Helvetii ». Item *Calm.* Philisthaeos iudicat.

Ad Cerethaeos cf. 1 Reg. 30, 14, ubi exinde, quod una cum Iuda nominentur, pronum est concludere, Cerethos tum Davidi exuli fuisse amicos. 2 Reg. 20, 23 in kethib scriptum est כרי pro כרתי, unde probabile fit כרי, qui 4 Reg. 11, 4. 19 inter praetorianos recensentur, eosdem atque Cerethos fuisse. Alii כרי referunt ad milites ex Caria, כרתי ad milites ex Creta vel ex Cerethis Palaestinensibus conductos, qui eiusdem cum Cretensibus originis videntur fuisse. Phelethos fuisse Philisthaeos, imprimis concludere licet ex Ez. 25, 16 et Soph. 2, 5, ubi Cerethi et Philisthaei copulantur, uti secus Cerethi et Phelethi. Difficultatem facit elisio sibilantis, hebraicae linguae genio parum conformis. Sed ea obtinere potuit

ad illud nomen Cerethorum nomini conformandum, quo facilius utrumque pronuntiaretur. Praeterea, si Iudaei, ut alias vidimus, studebant nomina propria Baal et Adar ex nominibus propriis eliminare, non est profecto mirum, eos Philisthaeorum, gentis quondam inimicissimae, nomen ex praetorianorum suorum appellatione eliminare studuisse. Et reapse, qui istis vocabulis significarentur, iam Iosephi et translatorum Chaldaei et Syri aevo oblivione erat obliteratum. Obiicitur 4 Reg. 11, 4. 19, ubi cum כרי copulantur, non פלתי, sed רצים *cursores* (fortasse *equites* praetoriani). Sed iidem cursores appellari potuerunt nomine officii, et Phelethi nomine originis ; sicuti in Gallia iidem et « Suisses » et « portiers » appellantur. Dein, cum non omnino certum sit כרי idem esse atque כרתי, neque est certum רצים esse פלתי. Et reapse in aliis textibus רצים nunquam de praetorianis legitima auctoritate Hierosolymis institutis praedicatur : 2 Reg. 15, 1 ; 3 Reg. 1,5 ; 4 Reg. 10, 25 ; Est. 3, 13 ; 8, 14. Mirantur aliqui, David regem religiosissimum gentiles sibi praetorianos adscivisse ; ubi primum quaeri potest, num illi non facti sint proselyti : cf. Turcarum Ianissarios, christianis parentibus natos. Dein non solum David plures sibi heroas alienigenas adiunxerat, uti Ethai Gethaeum 15, 19 ; 18, 2, Selec Ammonitam 23, 37, Uriam Hethaeum 23, 39, Igaal de Soba 23, 36, sed insuper Gethaeos sexcentos 15, 18. Qua in re secutus est exemplum Saulis 1 Reg. 14, 52, qui, « quemcunque viderat virum fortem et aptum ad proelium, sociabat sibi ». Quae verba, in suo contextu, alienigenarum assumptionem non excludunt, sed suggerunt potius. Secutus est tandemDavid exemplum inter reges Orientales haud infrequens, quo et a malevolis, si qui inter Hebraeos non Iudaeos exstarent, efficaciter se tueretur, neque tamen propriam tribum Iuda aliis constanter anteferret.

« *Filii autem David sacerdotes erant* ». Pro certo teneri debet, neque David religiosissimum regem neque Salomonem passuros fuisse, quemquam Aarone non progenitum sacerdotium usurpare. Quod professae sunt versiones praeter Vulg. omnes, vertentes : *LXX* αὐλάρχαι, quam vocem *Barhebraeus* perperam explicat principes tibicinum (!), recte vero *Itala* principes aulae regiae ; *Chald. et Syr. magnates*. 1 Par. 18, 17 *Hebr.* et *Vulg.* habent *primi ad manum regis, LXX* οἱ πρῶτοι διάδοχοι, *Syr.* ut supra. Ceterum h. l. difficultatem non explicari corruptione aliqua textus, alii loci ostendunt, 20, 26 : « Ira autem Iairites erat sacerdos David » ; 3 Reg. 4, 5 : « Zabad, filius Nathan, sacerdos amicus regis ». Circumstantia, quod isti *sacerdotes regis* semper praeter sacerdotes Dei seu pontifices recenseantur, ostendit officium a dignitate pontificali fuisse alienum (*Sanct.*), secus enim scriptura diceret : « Sadoc et Abiathar et Zabud, sacerdotes », vel similia (*Est.*). Aliqui interpretati sunt capellanum aulicum, vel consiliarium in spiritualibus, quos refellit *Movers* (302 sqq.) ; cf. *Verc.*—Advertit *Kimchi,* כהן referri generatim ad ministerium altioris dignitatis, sive Deum sive regem respiciat ; idque *Grotius* apte vertit λειτουργεῖν. Fortasse intelligitur officium magistri caeremo-

niarum aulicarum, est enim veluti sacerdotium quoddam aulicum cultus regiae maiestatis : « nam et rex est quasi Deus terrestris » (*Tir.*).

b. Historia Miphiboseth 2 Reg. 9,1-13.

ARG. — David Miphibosethum, Ionathae filium ad aulam accersit, concessis eidem quaecunque Saulis fuissent.

Quando hoc capite narrata evenerint, non constat. Ex 21,7 fortasse coniicere fas est, eo fere tempore Davidem Miphiboseth ad aulam accersivisse, quo cogebatur oraculo reliquos Saulis posteros Gabaonitis permittere. Ceterum adverte, Miphiboseth 4, 4 tempore mortis Saul fuisse quinquennem, ergo quo tempore David ab omnibus agnitus est rex, duodennem 5,5; nunc iam 9,12 parvulum filium habebat; debuerunt igitur ab initio regni Davidis in Ierusalem ad minimum tres anni effluxisse, probabiliter plures. Narratur historia Miphiboseth imprimis ut, quae 16,1 sqq.; 19,24 sqq. referenda sunt, intelligantur; dein ut continuetur historia ruinae domus Saul, quae illis locis absolvitur, ad quam historiam etiam spectabat 6,20 sqq. — *Cap. IX* v. 1 « *Et dixit David : Putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Ionathan?* » Id 1 Reg. 20,15 promiserat David quoad domum, i. e. posteritatem Ionathae. Sauli 1 Reg. 24,22 non aliam promiserat misericordiam, quam vitam eius posteris, sive universis sive quibusdam, concedendam. Quae altera promissio ceteroquin ipsa priori promissione servata adimplebatur. Estne sensus verborum etiam is, ut paratum profiteatur David animum, si nullus inveniatur ex Ionatha genitus, etiam alii cuidam postero Saul faciendae misericordiae? An Miphiboseth superstitem esse iam ante norat, et quaestionem tantum pro forma posuit, fortasse ideo etiam, ut Gabaonitae putarent, inscium Davidem Miphiboseth pepercisse? — Ex v. 3 patet, הִכִּי eiusdem significationis esse atque ה, ergo meram exprimere interrogationem, non, quod vult *Keil*, affirmationem : Utique superest adhuc aliquis. v. 2 « *Erat autem de domo Saul servus nomine Siba, quem cum vocasset rex ad se, dixit ei : Tune es Siba? Et ille respondit : Ego sum, servus tuus* ». v. 3 « *Et ait rex : Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei* », i. e. misericordiam insignem, excellentem (*Est.*), cf. 1 Reg. 20,14? « *Dixitque Siba regi : Superest filius Ionathae, debilis pedibus* », cf. 4,4. Eam effert infirmitatem, quae et Davidis commiserationem esset excitatura, et timorem, si qui esset, compescere posset. v. 4 « *Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem : Ecce, ait, in domo est Machir, filii Ammiel, de Lodabar* ».

Lodabar ex 17,27 haud procul aberat a Mahanaim, et idem videtur esse atque Ios. 13,26 לִדְבִר. Nomen Machir habuit Gen. 50,22 primogenitus Manasse, pater Galaad ; unde probabile fit, nostrum Machir, prope Mahanaim in Galaaditide incolentem, origine quoque ad tribum Manasse pertinuisse. Is ex pietate vel gratitudine videtur filium Ionathae apud se absconditum servasse, « quasi patronus et tutor » (Menoch.), dum Siba aliique servi Saul Gabaam Saulis repetierant, ibique forte domini possessiones administrabant. Utrum Ammiel, pater Machir, idem fuerit pater Bethsabee (1 Par. 3,5), non constat ; insuper hic 2 Reg. 11,3, transpositis nominis partibus, Eliam appellatur ; sane oportuit magnam esse aetatis differentiam inter Bethsabee et Machir.

v. 5 « *Misit ergo rex David, et tulit eum de domo Machir, filii Ammiel, de Lodabar* ». v. 6 « *Cum autem venisset Miphiboseth, filius Ionathae, filii Saul, ad David, corruit in faciem suam, et adoravit. Dixitque David : Miphiboseth?* » Interrogatio est, sicut v. 2. « *Qui respondit : Adsum servus tuus* ». v. 7 « *Et ait ei David : Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionatham patrem tuum, et restituam tibi omnes agros Saul patris tui, et tu comedes panem in mensa mea semper* ». Alii eos agros usurpatos fuisse a filiis Resphae (cf. 21,8) contendunt, vel a Siba, quod etiam improbabilius est, vel fisco fuisse addictos. Manet alia suppositio : potuerant illi eo usque de facto in potestate mansisse domus Saul, et nunc a Davide de iure etiam eidem tribui, et quidem uni eius domus membro. — Comedere panem in mensa regis insignis erat honos, cf. v. 11 ; 19,28 ; 3 Reg. 2,7 ; 18, 19. Eiusmodi viris videtur fixa in regis mensa fuisse attributa sedes, nec licebat, frequentius certe, absque excusatione abesse ; cf. 1 Reg. 20,25 sqq. Unde David non pie tantum cum Miphiboseth agebat, sed simul rei publicae prospiciebat, principem domus Saul constanter penes se retinens, honoratum sed impotentem. Reapse Miphibosethi responsum v. 8 tam humile est, ut non ad solam benevolentiam Davidis gratiam revocasse videatur. v. 8. « *Qui adorans eum, dixit : Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* » Cf. dicta ad 1 Reg. 24,15 ; *idiotam* utrobique substituit *Chald.* « *Vocavit itaque rex Sibam, puerum Saul, et dixit ei : Omnia, quaecunque fuerunt Saul, et universam domum eius dedi filio domini tui* ». Alii omnes rectius *et universae domui eius*. Verba suggerunt, iam ante possessiones domus Saul a Siba fuisse administratas. v. 10. « *Operare igitur ei terram, tu et filii tui et servi tui, et inferes filio domini tui cibos, ut alatur. Miphiboseth autem, filius domini tui, comedet semper panem super mensam meam* ». Hinc patet, *inferes cibos, ut alatur* non esse literaliter sumendum. Sicut *panis* cuiusque generis cibum, ita *ali* quodvis sustentationis genus exprimit. Redditus bonorum Saul ad Miphi-

boseth pertinebunt, providebuntque ipsi convenientem statum ; insuper eius utique familia illis aletur. «*Erant autem Sibae quindecim filii et viginti servi*». Ex his inferas amplitudinem possessionum Miphibosetho collatarum, et familiae opulentiam. v. 11 «*Dixitque Siba ad regem : Sicut iussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus. Et Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis*».

Cum *Vulg.* consonat *Chald.* et *kethib* שלחנו, sed suffixum evidenter falsum est, referretur enim ad mensam Sibae, dum certe intelligitur mensa regis. Ergo praeferendum *keri* שלחנו, *mensam eius*, i. e. David vel regis, uti recte illud explicant *LXX* et *Syr.* (*Duguet*). Participium hebr. vertas *comedebat*, non *comedet*. Neque dicas cum *Wellh.*, ita idem dici quod v. 13. Non exacte idem : nam ibi narratur vir constanter Hierosolymis habitasse, hic constanter regiae mensae assedisse. Dein, num omnes omnino repetitiones a s. textu excluduntur ? num, quae de Sibae familia v. 10 dicuntur, non praeoccupant quadamtenus v. 12 dicenda ? cur v. 13 denuo (cf. v. 3) asseritur Miphiboseth fuisse claudus ?

v. 12. 13 recapitulatio quaedam sunt, statum domus Miphiboseth describens. Cf. locos parallelos 1 Reg. 14, 49 sqq., ubi uxor, liberi et proceres familiae Saul recensentur ; 2 Reg. 4, 2. 4, ubi familia Isboseth recensetur ; et, quoad David, 3, 1 sqq. et 5, 13 sqq. v. 12 «*Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha ; omnis vero*» — melius *et omnis* — «*cognatio domus Sibae serviebat Miphiboseth*». v. 13 «*Porro Miphiboseth habitabat in Ierusalem, quia de mensa regis iugiter vescebatur ; et erat claudus utroque pede*». Non tam intelligitur claudicatio, quae oculis cerni possit quaeque semper utroque pede fit, sed interna pedum debilitas, qua neutro firmiter niti poterat, sed baculis incedere cogebatur. Describitur hinc Miphibosethi opulentia, illinc omnimoda impotentia nocendi Davidi, sive propriis viribus, sive prolis, quae unico eoque parvulo filio constaret.

c. Bellum Ammoniticum 2 Reg. 10, 1-19.

ARG. — Hoc bellum seorsim narratur, quod fuerit gravissimum omnium ; quod, exceptis bellis Philisthaicis et Moabitico, et fortasse Idumaeo, fuerit causa reliquorum, unde magno studio ostendit auctor, illud absque Davidis culpa ortum esse. Pro auctore libri Samuelis hoc bellum etiam ideo maioris momenti erat, quod occasio fuerit peccati David, illico ab ipso narrandi ; haec autem ratio non movebat auctorem fastorum, a quo haec narratio primitus conscripta, atque inde in librum Samuelis transumpta fuit. v. 1-5 belli occasio exponitur, v. 6-14 descri-

bitur prima expeditio contra Syros et Ammonitas, v. 15-19 altera expeditio contra solos Syros suscepta, dum tertiae expeditioni contra Ammonitas 11, 1 et 12, 26 sqq. narratio peccati David inseritur.

Cap. X v. 1 «*Factum est autem post haec, ut moreretur rex filiorum Ammon, et regnavit Hanon, filius eius, pro eo*». *Post haec* non necessario exprimit successionem temporis, cf. 8, 1. Rex ille vocabatur Naas (v. 2), eratque idem, qui 1 Reg. 11 a Saule narrabatur devictus. v. 2 «*Dixitque David : faciam misericordiam cum Hanon, filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam*». Amice agam cum Hanon. Quam gratiam Naas Davidi exhibuerit, ignoramus ; videtur Naas, similiter atque reges Moab (1 Reg. 22, 3 sq.) et Geth (1 Reg. 27), Davidem fugitivum tamquam inimicum Saulis considerasse et adiuvisse. Ceterum versus ostendit, hoc primum exstitisse bellum Davidem inter et Ammonitas, neque fuisse posterius illo cap. 8 narrato, sed potius idem atque illud ; nam, cum ex 12, 29 sqq. pateat, hoc nostro bello penitus contritos esse Ammonitas, et ex 10, 19 post hoc bellum Syros iam non auxilio venisse Ammonitis, ergo nostrum bellum est simul primum et ultimum a Davide contra Ammonitas susceptum, ideoque cum cap. 8 narrato identicum. « *Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu*». Eiusmodi legationes, sive solatii sive gratulationis causa, inter reges amicos obtinebant et obtinent : cf. 8, 10 legationem Thou, 3 Reg. 5, 1 Hirami legationem ad Salomonem regno potitum, 4 Reg. 20, 12 legationem Merodach Baladan ad Ezechiam morbo restitutum. «*Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon*», v. 3 « *dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum : Putas, quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores? et non ideo, ut investigaret et exploraret civitatem, et everteret eam, misit David servos suos ad te?* » Benevolentia in Davidem evanuerat, eo in regem ab universo Israele assumpto ; dein prima illa erat regia Hebraeorum legatio, in urbem Rabbath Ammon adventans, et utique legati, licet non explorandi causa a Davide mitterentur, multa erant observaturi suoque regi nuntiaturi. Potuit insuper Ammonitarum suspicio excitari inimicitiis, quae post pristinam amicitiam Davidem inter et Moabitas exarserant, cf. 8, 2 (*Keil*) : si tamen bellum Ammoniticum prius fuit Moabitico.—*Hebr. : Num honorat David patrem tuum in oculis tuis, quia mittit ad te consolatores?* Num tibi persuasit, se honorare patrem tuum ? Quisquis penetrantes habet oculos, perspicere profecto debet, Davidem sincere tecum non agere. Ad sagacitatem regis provocant.

v. 4 « *Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbae eorum, et praescidit vestes eorum medias usque ad nates, et di-*

misit eos ». Radebantur integrae barbae in signum poenitentiae et luctus : Is. 15, 2 ; Ier. 48, 37 ; et Ez. 7, 18. Dimidiae barbae, sc. in alterutra gena, abrasio summa erat ignominia : quippe barba inter praecipua viri ornamenta reputabatur ; cf. Is. 7, 20, ubi barba et crinibus opulentia regionis figuratur. Plura ex gentium orientalium, maxime Arabum, historia congerit *Calm.*, ut ostendat, quam studiose barba nutriatur, quam ignominiose radatur. — Vestes scidit *medias*, non *usque ad dimidium* (*Chald.*), sed in medio, a parte sc. posteriore, a pedibus sursum usque ad renes, « ut turpitudo et nuditas eorum in conspectu omnium appareret, et circumcisio derideretur » (*Menoch.*). Vestes intellige festivas, talares, quibus induti legati regem adierant. Id genus publicae nudationis probrosum erat et in se, et magis etiam in legatis ; proclamabat illud, eos non honore habendos esse tamquam legatos, sed tamquam detectos exploratores ludibrio. — שתית *nates* etiam habetur Is. 20, 4, unde videtur eadem significatio confirmari. Utrum ἄπαξ λεγόμενον מפשעה 1 Par. 19, 4 sit euphemismus (*Then.*), an scriptoris mendum, definiri nequit. v. 5 « *Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum, erant enim viri confusi turpiter valde ; et mandavit eis David : Manete in Iericho, donec crescat barba vestra, et tunc revertimini* ». Nuntiatum est populari rumore, aut nuntiis a legatis ad eum praemissis. In Iericho manere iussi sunt, fortasse quod in ea civitate regis placita exspectantes substiterant, vel quod ea urbs propius abesset (*Sanct.*), et commodior videretur. *Then.* iussi rationem in eo cernit, quod virorum aspectus Davidem moerore et ignominia affecisset : potius dic, eum virorum confusioni parcere voluisse.

Sequitur iam v. 6-14 prima contra Ammonitas et Syros expeditio. v. 6 « *Videntes autem filii Ammon, quod iniuriam fecissent David, miserunt et conduxerunt mercede Syrum Rohob et Syrum Soba, viginti millia peditum, et a rege Maacha mille viros, et ab Istob duodecim millia virorum* ». *Rohob* nomen est a dynastia petitum : בית רחוב, *domus Rohob*. Ex documentis assyriis constat, appellationes cum בית compositas desumptas esse ex nomine famosioris cuiusdam eius nationis regis. Sic regnum Israel vocabatur « domus Amri ». Rohob ex Num. 13, 22 (21) erat in via Emath, a meridie ; ex Iud. 18, 28, ubi *Hebr.* rursus addit בית, urbs Lais, a Danitis occupata, erat in regione Rohob. Loco *Syrus domus Rohob* 1 Par. scribit *Aram Naharaim* i. e. Mesopotamiam. Si id revera referatur ad Rohob, nomen Aram Naharaim longe latiori sensu usurpatur, atque secus fieri consuevit. Sed nomina non sunt necessario identica : 1 Par. 19, 6 omittuntur numeralia, omittuntur Istob et Rohob ; sequenti versu summa numeralium suppletur, et Rohob, si textum corrigas, recensetur. Ergo 1 Par. 19, 6 per Aram Naharaim nequa-

quam Rohob exprimitur, quod potius sub Soba includitur, quocum etiam h. l. copulatur ; sed verius ea Mesopotamiae pars, quam sibi subiecerat Adarezer, filius Rohob, rex Soba, cf. 8, 3 ; 10, 16. — *Soba.* Illud etiam ex nostro textu elucet, non idem esse Beth Rohob, quod Soba. Videntur regna designari diversa, regnumque Soba fuisse subactum ab Adarezer, filio Rohob 8, 3. Regnum tamen Soba omnino videtur principalius fuisse, cum Adarezer semper rex Soba appelletur. — *Maacha*, *Vulg.* etiam Machati, regnum ad septentrionem terrae sanctae situm, atque intra eiusdem limites Ios. 13, 13, prope Gessuri (cf. dicta ad 3, 3) : cf. 20, 15 ; 3 Reg. 15, 20 ; 4 Reg. 15, 29 ; Deut. 3, 14 ; Ios. 12, 5. Nomen videtur nactum esse a Maacha, filio Nachor, fratris Abrahae, Gen. 22, 24 ; unde nomen regni proprium erat Beth Maacha, cf. 20, 15 ; 3 Reg. 15, 20 ; 4 Reg. 15, 29. — *Istob.* Ita omnes versiones et *Ios.*, idque recte legi ostendit v. 8. Solus *Hebr.* separat in duas voces, *viri Tob.* Unde *Vatabl.* aliique putavere intelligi regionem Tob, de qua Iud. 11, 3. 5, et quam dicunt haud longe a regione Ammonitarum abfuisse. Verum tam Tob quam Istob sunt ἅπαξ λεγόμενα, et eadem esse gratuito asseruntur. Aliunde, cum vox איש bis in sententia recurrat, facillime potuit etiam אישטוב separari in איש טוב. — Inserit h. l. nostrae narrationi sequentem versum 1 Par. 19, 7 : « Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon, congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum ». Medaba, urbs Ammonitarum, quondam Rubenitis tributa Ios. 13, 9. 16. Castrametati sunt autem *e regione*, κατέναντι Medabae, quae quatuor horarum itinere a Rabbath distabat, urbe Ammonitarum principe ideoque munitissima ; non prope Medabam, sed potius prope Rabbath, ubi ex nostro contextu patet proelium locum habuisse. Ammonitae locum inter ipsos et Rabbath obtinebant, atque sic ipsi e regione erant Medabae.

LXX Videntes, quod ignominia affecti essent cum Davide (corrigimus, quem admisere errorem punctandi עָם pro עִם) ; *Chald. quod provocati essent contra David* ; *Vulg. Syr. quod iniuriam fecissent David.* Quomodo intelligendum sit niphal, docet 1 Par. 19, 6 substituens hithpael : *quod se exosos, foetentes fecissent penes David.* — *Conduxerunt mercede* : 1 Par. addit, id factum esse mille talentis argenti. — *Viginti millia peditum* : hunc numerum 1 Par. addens millibus duodecim de Istob, exhibet numerum totalem *triginta duo millia.* Addit quidem *curruum*, at incredibilis plane est is curruum numerus, cf. dicta ad 1 Reg. 13, 5 ; et, cum numeralia ceteroquin cum nostro textu concordent, puto רכב *currus* scriptum esse mendose pro רחוב vel בן רחוב, cum propter assonantiam, tum quod illa vox 1 Par. 19, 6 iam recurreret ; ergo : Conduxerunt triginta duo millia de Rohob. Poterant duodecim millia de Istob hoc modo adscribi Rohob, quod Istob tributarii vel certe foederati fuerint regis Rohob et Soba, et hinc potuerint sub appellatione foederati principalis subsumi. Sed cur iidem iam Rohob dicuntur, qui modo Mesopotamia et Soba ? Respondeo, v. 6 recenseri *regiones*, unde maxime milites desumpti sint, quae erant Mesopotamia et Soba ; v. 7

exhiberi nomen militare nationis, quod erat Rohob vel potius Beth Rohob, Adarezer enim, filius Rohob, subiecerat sibi Soba et Mesopotamiam. — Pro *mille viros* 1 Par. 19, 7 indeterminate ponit *cum populo eius*. Miratur *Wellh.*, regi Maacha mille tantum viros attribui ideoque, expunctis duabus vocibus, legit : « et a rege Maacha et ab Istob duodecim millia virorum ». Sed Maacham et Istob non posse sic commisceri, evincit 1 Par., ubi duodecim millia virorum de Istob viris Rohob adduntur, viris Maacha seorsim recensitis. Dicamus ergo, vel regnum Maacha tam exiguum fuisse, ut plus mille bellatores non suppeterent, vel Ammonitas defecisse pecuniam, qua plus mille viris illinc conducerent.

v. 7 «*Quod cum audisset David, misit Ioab et omnem exercitum bellatorum*». Ita etiam construxere *Chald. Syr.* ; *LXX omnem exercitum, robustos*, seu cum *Bertheau* «omnem exercitum, i. e. Gibborim» : sed cohors Gibborim non erat totus exercitus. *Then.* «omnem exercitum et Gibborim», sed copula non est in textu. Planius *omnem cohortem Gibborim*. Per se intelligitur David misisse exercitum : sed, quod de bello difficillimo ageretur, explicite affirmatur misisse ducem lectissimum ipsamque cohortem praetorianam totam, nulla eius parte reservata. v. 8 « *Egressi sunt ergo filii Ammon, et direxerunt aciem ante ipsum introitum portae* ; *Syrus autem Soba et Rohob et Istob et Maacha seorsum erant in campo*», sc. urbis Rabbath.

Pro פתח השער habetur 1 Par. פתח העיר, *iuxta portam civitatis*. Quod *Then.* corrigit, priorem expressionem declarans unice rectam, quod ea solemnis sit, cf. 11, 23; 4 Reg. 7, 3 ; 10, 8 ; Iud. 9, 35. 40. 44. Sed 2 Reg. 11, 23 legebant *Vulg. Syr.* פתח העיר ; item 4 Reg. 7, 3 *LXX* ; Iud. 9, 35. 44 habetur expressio complexa פתח שער העיר. Ergo alteram rationem solemnem esse non constat. Facillime quidem potuit שער mutari in עיר, vel vice versa. Sed non est necesse mendum in alterutro sacro auctore supponere, quia sacri auctores non tenebantur, quibus utebantur, documenta ad literam exscribere.

v. 9 « *Videns igitur Ioab, quod praeparatum esset adversum se proelium et ex adverso et post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, et instruxit aciem contra Syrum*». בחור primitus utique *electum* significat (*Chald. Syr.*) ; quodsi vero Ioab ipsis electis delectum adhibuit, satis exiguam manum contra tantum Syrorum numerum videtur eduxisse. *LXX* praetulerunt derivatam vocis significationem *iuvenis*. v. 10 «*Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon*». v. 11 «*Et ait Ioab : Si praevaluerint adversum me Syri, eris mihi in adiutorium : si autem filii Ammon praevaluerint adversum te, auxiliabor tibi*». Ex hoc v. concludit *Keil*, Ioab aggressurum fuisse Syros, Abisai vero instructa contra Ammonitas acie substiturum pugnaque primum temperaturum, nisi ipsi eum adorirentur : ast nihil in sacro textu innuit, Abisai non ipsum etiam Ammonitas adorturum fuisse. v. 12 « *Esto vir fortis, et pugnemus pro populo nostro et civitate Dei nostri : Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu*

suo». *Vulg.* ad 1 Par. 19, 3 «Confortare et agamus viriliter». Pro *civitate Dei nostri* alii omnes *civitatibus*, et 1 Par. ipsa etiam *Vulg.* Civitas Ierusalem, ante exstructum templum, non tam sacra Hebraeis habebatur. v. 13 «*Iniit itaque Ioab et populus, qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui statim*» (vocem ignorant reliqui textus, item ad 1 Par. Vulgata) « *fugerunt a facie eius*». v. 14 «*Filii autem Ammon videntes, quia fugissent Syri, fugerunt et ipsi a facie Abisai, et ingressi sunt civitatem ; reversusque est Ioab a filiis Ammon, et venit Ierusalem*». *Then.:* quia tempus anni effluxerat, quo commode urbs Ammonitarum obsidione cingi poterat.

v. 15 « *Videntes igitur Syri, quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter* ». v. 16 « *Misitque Adarezer et eduxit Syros, qui erant trans fluvium, et adduxit eorum exercitum. Sobach autem, magister militiae Adarezer, erat princeps eorum* ». Reguli tributarii sub duce regni Soba militabant ; ubi *Ios.*, nescio quem computum secutus, peditum numerat octoginta, equitum decem millia. — His versibus incipit narratio secundae expeditionis, contra Syros susceptae.

Corruissent : exactius idem verbum 1 Par. *Vulg.* vertit *caesi essent.* — *Pariter* : יחד omne genus simultaneitatis exprimere potest : universi, eodem loco (*Fürst*), eodem tempore. Praeferendum videtur *universi*, ad quod facile revocatur *Vulg. pariter, Chald. Syr. sicut unus*, ad unum omnes. Syri, accepta clade haud deterriti, ad unum omnes convenere, « illi ipsi, qui antea fugerant, ignaviae notam abstergere volentes fortiter pugnando » (*Menoch.*) ; dein, suis numeris nequaquam fisi, socios ex Mesopotamia advocaverunt. — *Fluvius* intelligitur Euphrates (*Chald.*). *LXX* τοῦ ποταμοῦ χαλαμάκ : quae lectio orta est ex perperam h. l. ingesto χαλαμα κ(αι), correspondente hebraeo וחילם, (*Bertheau*). Hinc *Ios.* fabricatus est « Chalamam, Syrorum Transeuphratensium regem ». — *Et adduxit eorum exercitum. Vulg.* punctabat וַיּוֹבֵא חֵילָם ; *Symm.* וַיָּבֹאוּ חֵילָם, *et adduxerunt eorum exercitum.* Sed alii omnes וַיָּבֹאוּ חֵילָמָה, *veneruntque in Helam*, qui locus v. 17 cum ה paragogico, et in pausa חֵלְאָמָה scribitur, *Chaldeo* et *Syro* in utroque versu scribentibus eadem ratione. 1 Par. 19 16 hoc membrum omittitur, non tamen a *Syro.*, et v. 17 habetur אלהם, quod potuit ex חלאם ortum ducere eo facilius, quod immediate sequatur alterum אלהם. Nota tandem, *Aq.* legisse ויבאו בחילם, ἦλθον ἐν δυνάμει αὐτῶν, addita praepositione, quam fortasse etiam legebant *LXX* (Vatic.) *Chald. Syr.* : quae lectio si genuina esset, iam efficeret, חילם omnino esse nomen loci.

v. 17 « *Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, et transivit Iordanem, venitque in Helam ; et direxerunt aciem Syri ex adverso David, et pugnaverunt contra eum* ». Hac vice ipse David profectus est ad bellum. De situ Helam id solum novimus, fuisse trans Iordanem. Cum Ammonitarum (cf. v. 19) in hac expeditione nulla fiat mentio, sed potius Syri suo marte sub proprio duce bellum gesserint, potuit Helam a Rabbath longius abesse, fortasse septemtrionem versus

v. 18 « *Fugeruntque Syri a facie Israel, et occidit David de Syris septingentos currus, et quadraginta millia equitum* ».

Ita h. l. omnes ; ubi illud mirum est, nullos occisos esse pedites. 1 Par. 19,18 habet « septem millia curruum, et quadraginta millia peditum ». *Ios.* « septem millia equitum, et quadraginta millia peditum ». Quod *Syr.* habet *quatuor millia equitum* (1 Par. *peditum*), falsum est, utpote quod nulla alia auctoritate nitatur ; sicut etiam eiusdem h. l. additum *et populus multus*, i. e. pedites. Iam si superiores numeros conferimus cum iis 8,4. 5 et 1 Par. 18,4. 5, qui ad idem proelium videntur referri, habemus equites 1700 vel 7000, pedites 42000 (de Soba et Damasco), currus 1000. Ex quibus numeris omnibus inter se collatis probabile fit, in nostro textu primitus et equites et pedites et currus scriptos fuisse ; notandus 8,4 numerus 1700, utpote qui vocem et *centum* et *mille* in se contineat, quemque ortum coniicio ex 700 (cf. 8,4 ; 10,18) et 1000 (10,18 ; 1 Par. 18,4 ; 2 Reg. 8,4), equitibus sc. et curribus. Hinc textus primitivus fortasse hic fuit : שבע מאות פרשים ואלף רכב וארבעים אלף איש רגלי, septingentos equites, et mille currus, et quadraginta millia peditum. Hostibus primo impetu disiectis, equitatus fere totus fuga se subduxit, currus equitibus minus expediti mille capti sunt, pedestres copiae fere totae interfectae sunt.

« *Et Sobach principem militiae percussit, qui statim mortuus est* ». v. 19 « *Videntes autem universi reges, qui erant in praesidio Adarezer* », i. e. qui eum praesidem sequebantur, eius tributarii, *Hebr. servi Adarezer*, « *se victos esse ab Israel, (expaverunt, et fugerunt quinquaginta et octo millia coram Israel). Et fecerunt pacem cum Israel, et servierunt eis* », tributum pendentes, « *timueruntque Syri auxilium praebere ultra filiis Ammon* ». Quae uncinis inclusimus, sola habet *Vulg.*, non sunt tamen S. Hieronymi ; unde petita sint, nescimus (*Verc.*).

B. Peccatum David eiusque sequelae 2 Reg. 11,1-20,26.

Promiserat Deus, se Davidi aedificaturum esse domum, cum ecce David infando scelere propriam domum desecrat. Placatus per poenitentiam Deus promissa implere aggreditur. Non potest tamen Dei aedificatio profanato superstrui fundamento : unde nascitur Salomo aedificaturus templum Deo, et promissionum David haeres futurus, dum Amnon et Absalom misere intereunt. Hinc narrationis tres discerne partes : cap. 11 Davidis peccatum, cap. 12 Davidis reconciliationem, cap. 13-20 peccati sequelas.

1) Peccatum David 2 Reg. 11,1-27.

ARG. — Exercitu contra Ammonitas dimicante, David Hierosolymis cum Bethsabee adulterium committit ; Uriam e castris revocatum pri-

mum, ut uxore utatur, inducere conatur, tandem in castra remissum hostium telis interimi curat; mortui uxorem ducit atque ex ea filium suscipit.

Greg. (76. 687) : « Ad hoc in scriptura s. virorum talium, i. e. David et Petri, peccata sunt indicata, ut cautela minorum sit ruina maiorum ; ad hoc vero utrorumque illic et poenitentia insinuatur et venia, ut spes pereuntium sit recuperatio perditorum. De statu ergo suo David cadente nemo superbiat, de lapsu etiam suo David surgente nemo desperet ». *Theodoret.* hac historia demonstrari affirmat, quantum valeant afflictio et labor : qui Saule insequente sapienter se gesserat, qui in acie existens ex legibus divinis vitam administraverat David, idem otio diffluens in nefarium scelus prolapsus est. « Negotium Davidem fecit castum, otium adulterum » (*Lap.*).

Cap. XI v. 1 « *Factum est autem vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Ioab, et servos suos cum eo, et universum Israel, et vastaverunt filios Ammon, et obsederunt Rabba ; David autem remansit in Ierusalem* ».

Vertente anno, ad literam *revertente* (*Hebr. Syr.*), ergo non *sub finem anni* (*Chald. Arabs*), sed *sequenti anno* (ita ad 1 Par. 20,1 *LXX Syr.*), *anno secundo* (*Arabs* ib.), *post anni circulum* (*Vulg.* ib.), et quidem eius anni initio seu « vertente vere » (*Ios.*). Initium anni, qui mense Nisan incipiebat, tempus erat, quo reges ad expeditiones bellicas prodire consueverant : *Hebr. tempus egressionis regum* (*kethib* בולאכים *legati* ab omnibus versionibus confoditur). Intelliguntur autem reges earum regionum quilibet, non soli reges Soba, Istob etc., uti suggerit *Ps. Hier.*, imo principalius reges Hebraeorum. — Quaeritur iam, unde ille annus computetur. Censet *Keil* computari a 10,14, ubi narrantur Ammonitae intra urbem Rabbath esse repulsi. Solutio pendet ex quaestione, fuerintne, quae 10,15-19 narrantur, gesta eodem anno ac ea, quae 10,6-14 habentur ; videntur gesta esse anno sequenti, opus enim habuit Adarezer aliquo temporis spatio ad suorum animos erigendos et Transeuphratenses accersendos. Quae vero cap. 11 narrantur, utique posteriora fuere 10,15-19 narratis : nam cap. 11 describitur *ultima* contra Ammonitas expeditio, destructione urbis principis 12,29-31 concludens, dum expeditio 10,15-19 relata ruinam Ammonitarum praecessit, uti sequi videtur ex v. 19 : « timueruntque Syri auxilium praebere ultra filiis Ammon ». Hanc ipse ab initio David 10,17 direxit, illam ab initio Ioab. Dicamus ergo cum *Calm.*, quae cap. 11 narrantur, gesta esse « post annum a bello Syriaco » (secundo) « et verna anni tempestate ». — Quaeritur, qui intelligantur *servi* regis. *Then.* servos putat intelligi eos, qui constanter arma gerebant, dum reliquus populus necessitate solum urgente ad arma vocabatur ; vel servos centuriones, populum gregarios milites, quae altera expositio fundamento caret. Servi regis 10,2 ii sunt viri, quibus rex utitur legatis : iidem 15,14. 16 alio nomine *domus* regis appellantur, et v. 18 a Cerethis, Phelethis et Gethaeis distinguuntur. Videntur intelligi Israelitae regiae familiae adscripti, et quidem h. l. bellatores potius quam consiliarii.

v. 2 « *Dum haec agerentur, accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, et deambularet in solario domus regiae, viditque mulie-*

rem se lavantem ex adverso super solarium suum; erat autem mulier pulchra valde ».

Post meridiem : Hebr. tempore vespertino ; Ios. δείλης ὀψίας i. e. tertia vel quarta hora pomeridiana. Sane ערב non significat primum tempus pomeridianum. Quodsi David somnum pomeridianum consueto longius protraxit eoque tempore, quo homines minime solebant, in solario deambulavit, tollitur ea, quae aliquos angit, Bethsabee impudentia eo loco lavantis, in quem e solario domus regiae aspectus pateret. Sane hoc solarium soli regi reservabatur et tempus diei, quo ipse in eo deambulare consuevisset, optime sciebatur. Recte sentit *Cler.*, alias prope non adfuisse domos, e quibus in atrium seu hortum Bethsabee prospectus pateret, alioque imprudentissimum ac fere meretricium futurum fuisse mulieris factum. Sed nolim eidem auctori assentiri, longius a loco Bethsabee abfuisse regiam domum, nam sensus textus obvius est illectum esse regem, non indistincta aliqua percepta mulieris forma, sed eius individua pulchritudine animadversa. — *Ex adverso super solarium suum : Hebr.* מעל הגג utique cum *LXX* vertendum est *de solario* sc. vidit, puta in loco inferiori, qui superiori aspectui pateret, in atrio aliquo non tecto. Recte notat *Mar.*, mulierem non lavasse *super solarium* (*Vulg. Chald.*) : id ab usu orientis abhorret, et nimis saperet licentiam. Vulgatae verba aut sunt mera hebr. textus explicatio, quae tamen vix h. l. requirebatur, aut ortum ducunt a lectione aliqua מכול על הגג.

v. 3 « *Misit ergorex et requisivit, quae esset mulier* ». Cur requisivit? Quod vespertino tempore, inquit *Munst.*, David non certo potuit illam agnoscere. Melius, quod mulieres ad aulam non accederent, ideoque regi minus essent notae. « *Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee, filia Eliam, uxor Uriae Hethaei* ». Increvit tentatio, ubi didicit rex, mulierem esse uxorem viri absentis. Urias 23, 39 heroibus David accensetur.

Hethaei, gens Gen. 10, 15 Canaanitis attributa, Abrahae tempore Gen. 23, 3 etiam Hebronem obtinens, tempore Pharaonicae in Syriam dominationis circa Orontem maxime incolens. Reges Hethaeorum cum regibus Syriae Salomoni tributum pendunt 3 Reg. 10, 29, quorum ipse vicissim filias 11, 1 duxit uxores. Sub Ioram rege Israel Syri 4 Reg. 7, 6, adventum Hethaeorum non minus quam Aegyptiorum veriti, in fugam se dederunt. Plures monumenta Assyriaca Hethaeorum regulos noverunt, quorum princeps fere erat rex Karkemisch. Incolebant regionem Amanum montem inter et Euphraten fluvium. Perperam a *Movers* et *Fürst* confundebantur cum Cetthim (Gen. 10, 4) Cyprum incolentibus, qui constanter כת scribuntur, non חת. Cf. *E. Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung, Giessen 1878, p. 225 sqq. Neque tamen dicimus, Uriam ex descripta superius regione oriundum fuisse, cum etiam Salomonis aevo quaedam Hethaeorum reliquiae in ipsa terra sancta existerent, 3 Reg. 9, 20 sq.

Nuntiatum est : ita vertendum impersonale ויאמר ; perperam putat *Cler.*, verba esse Davidis, mulierem iam aliquatenus agnoscentis. Nomen בת שבע 1 Par. 3, 5 leviter alteratum legitur, estque ib. punctandum בַּת־שֻׁוַע. Eliam ib., transpositis vocis

componentibus, legitur Ammiel, unde patet falso legere *LXX* Eliab. Eum Eliam eundem esse, atque 23, 34 Eliam filium Achitophel, audacius praesumit *Ps. Ilier.*

v. 4 «*Missis itaque David nuntiis, tulit eam*». Non dicitur dolo aut vi tulisse ; parum probabile est, per nuntios intentionem adulterii significasse ; mulier regiam invitationem declinare non poterat. Deo relinquendum de intentionibus iudicium. Certe postmodum David eam erga Bethsabee manifestavit praedilectionem, quae sincera fundaretur aestimatione : vix autem aestimasset, quam iudicasset ex ambitione se ipsam adulterio sponte obiecisse. «*Quae cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea, statimque sanctificata est ab immunditia sua*». «Magna huius tam magnae turris ruina, magnum spectaculum, in quo quisque nostrum videat, quia nunquam, dum vivit, de status sui firmitate securus esse debet» (*Rup.*). «Muliebri succumbit formae, quem neque leo, neque ursus, neque terror Israelis Goliath, neque mille tela frangere aut domare potuerant» (*Tir.*).

Statim merito *Vulg.* supplevit. Ultimum incisum, a reliquis versionibus discordantes *Syr.* et *Theodoret.*, interpretati sunt sensu plusquamperfecto : « ipsa autem (iam ante aditum regem) expurgaverat menstruationem », et ita quam maxime disposita erat, quae conciperet (*Grot.*) : vel exprimitur, regem non eo saltem peccasse, quod cum immunda congressus sit (*Vatabl.*). Quae altera expositio futilis, prior vix non sordida est. Agitur de mundatione Lev. 15, 18 post copulam praescripta. « Facile neglecta lege morali, accurate servatur lex caeremonialis », conclamant *Then., Keil.* Omnino ; adverte tamen, semel admissa morali praevaricatione, melius fuisse legem caeremonialem servare quam negligere.

v. 5 «*Et reversa est in domum suam concepto foetu. Mittensque nuntiavit David et ait : Concepi*», « vide consulas et nomini tuo et saluti meae» (*Tir.*). Monuit, «ut de via delicti occultandi dispiceret ; moriendum quippe illi erat secundum patrias leges, adulterio admisso» (*Ios.*), Lev. 20, 10. Id Davidem reapse dispexisse, ostendunt sequentia. v. 6 «*Misit autem David ad Ioab dicens : Mitte ad me Uriam Hethaeum. Misitque Ioab Uriam ad David*». «Unum iam unice intendit, quod prae ceteris cordi esse solet alte prolapsis, quomodo prospiciat bonae hominum existimationi» (*Duguet*). Pulchre peccati processum describit *Theodoret.* : «Prospiciens simpliciter, non curiose, vidit mulierem lavantem. Sed, non fugiens aspectum revera perniciosum, formae inescatus venustate deglutivit hamum peccati. Et hoc quidem peccatum ei conciliavit libido ; alterum pudor. Nam cum rescivisset mulierem esse gravidam, veritus est, ne convinceretur ; omnem tamen movit lapidem, ne in secundam incideret iniustitiam». Urias ex 23, 29 unus erat ex Gibborim, ergo aptus sane, qui, quo loco res essent, regi nuntiaret. Ast praetextus tantum is erat ; cupiebat rex, ut Urias in domum descenderet et cum

uxore rem haberet, ut prolis ortus spurius lateret. v. 7 « *Et venit Urias ad David. Quaesivitque David, quam recte ageret Ioab et populus, et quomodo administraretur bellum*». v. 8 « *Et dixit David ad Uriam : Vade in domum tuam, et lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius* ». « Cum nullis tunc vestibus indui solerent crura, sudor et pulvis morem hunc lavandi pedes necessarium reddebat » (*Calm.*).

Hebr. Quaesivitque David, quomodo haberet Ioab, et quomodo haberet populus, et quomodo haberet bellum ; לשלום *Theod.* vertit εἰ ὑγιαίνει. Urias illico ab itinere (non enim laverat pedes) ad regem deflexit, diu ab eo colloquio detentus est, ut tanto magis quietis et uxoriae recreationis experiretur desiderium. — *Cibus regius* : משאת, aliquid quod elevatur, *LXX* ἄρσις. Am. 5,11 id intelligitur de dono honorario, 2 Par. 24,6. 9 de donario templo dicando, Gen. 43,34 de portionibus hospitibus honorandis attributis. Intelligitur ergo h. l. aut munus generatim (*Syr.*) aut, quod probabilius est, cibus a rege submissus (*Vulg. Chald.*).

v. 9 «*Dormivit autem Urias ante portam domus regiae cum aliis servis domini sui, et non descendit ad domum suam*». Utrum subodoratus sit rem (*Keil*), non liquet : sensus v. 11 expressi potuerunt esse omnino sinceri. v. 10 « *Nuntiatumque est David a dicentibus : Non ivit Urias in domum suam*». Haud dubium, quin ipse David inquisierit. « *Et ait David ad Uriam : Numquid non de via venisti ? quare non descendisti in domum tuam*», «quod omnes homines facere consuevere reduces ex itinere» (*Ios.*) ? v. 11 «*Et ait Urias ad David : Arca Dei et Israel et Iuda habitant in papilionibus* », (tentoriis), « *et dominus meus Ioab et servi domini mei* » (Ioab) « *super faciem terrae manent : et ego ingrediar domum meam, ut comedam et bibam et dormiam cum uxore mea ?* » Hinc discimus, arcam in castra fuisse delatam : eodem quippe sensu affirmatur arca *habitare in papilionibus*, quo Israel, Iuda et Ioab. « Unde », inquit *Cler.*, pro aliis locis, ubi quaeritur, fueritne arca in castris, « colligere licet, argumenta ex mero silentio desumpta in horum librorum interpretatione satis per se firma non esse ». Qua mente Urias locutus sit, non constat : alii viri pietatem commendant, dum alii eum, acceptae iniuriae haud ignarum, regis conatus eludere arbitrantur. Utique non intendebat Urias regi exprobare, quod non ad bellum ipse processisset : sed non videtur fuisse plane aequum, ut rex, domi remanens, arcam dimitteret in castra. « *Per salutem tuam, et per salutem animae tuae non faciam rem hanc* ». v. 12 «*Ait ergo David ad Uriam : Mane hic etiam hodie, et cras dimittam te. Mansit Urias in Ierusalem in die illa et altera*».

Per salutem etc. : putant *Then.*, *Wellh.* eam adiurationem esse corrigendam ; 1 Reg. 1,26 ; 17,55 ; 2 Reg. 14,19 legi « per salutem animae tuae » ; 1 Reg. 20,3 et 25,26

« vivit Dominus et vivit anima tua » ; nostram adiurationem pleonasmo laborare. Sed num homines vehementi affectu incitati pleonasmo semper abstinent ? Similiter *Houb.* praeferebat *LXX* איך pro חיך : « Quomodo, per salutem animae tuae, faciam rem hanc ? » Sed ea lectio sufficienti auctoritate destituitur. — מבוהרת non significat « partem diei sequentis » (*Then.*), sed *diem sequentem*, cf. Gen. 19, 34 ; Ex. 9, 6 ; Iud. 9, 42. Ergo David uno etiam die diutius, quam indixerat, detinuit Uriam ; inebriationem, uti videtur, repetiit. *Syr.* vocem versui sequenti iungit : *altera die vocavit eum David* ; et ita construi posse, ex Lev. 7, 16 evincitur. Sed cur David non ipsa eum die coenae adhibuerit, quem ob eum solum finem detineret, ut inebriatus uxori iungeretur ?

v. 13 « *Et vocavit eum David, ut comederet coram se et biberet, et inebriavit eum ; qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, et in domum suam non descendit* ». Egressus est vespere, epulo sat diu protracto ; sed hebraea voce non cogimur, de veri nominis inebriatione cogitare. v. 14 « *Factum est ergo mane, et scripsit David epistolam ad Ioab, misitque per manum Uriae* », v. 15 « *scribens in epistola : Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est proelium, et derelinquite eum, ut percussus intereat* ». « Abiit ferens gladium suae caedis » (*Theodoret.*). Modus propositae necis indicabat, non esse admissum ab Uria delictum, quod publice mulctari posset morte : ergo vix licebat Ioabo ei mandato obsequi. Sed libenter usus est Ioab occasione, qua regem alicuius sceleris complicem nancisceretur, quo securius evaderet admissorum ipse scelerum poenas. v. 16 « *Igitur cum Ioab obsideret urbem, posuit Uriam in loco, ubi sciebat viros esse fortissimos* ». v. 17 « *Egressique viri de civitate bellabant adversum Ioab, et ceciderunt de populo servorum David, et mortuus est etiam Urias Hethaeus* ». v. 18 « *Misit itaque Ioab, et nuntiavit David omnia verba proelii* », v. 19 « *praecepitque nuntio dicens : Cum compleveris universos sermones belli ad regem* », v. 20 « *si eum videris indignari, et dixerit : Quare accessistis ad murum, ut proeliaremini ? an ignorabatis, quod (multa) desuper ex muro tela mittantur ?* » v. 21 « *Quis percussit Abimelech, filium Ierobaal ? nonne mulier misit super eum fragmen molae de muro, et interfecit eum in Thebes ? Quare iuxta murum accessistis ? dices : Etiam servus tuus Urias Hethaeus occubuit* ». Factum Abimelech habes Iud. 9, 50 sqq.

Hebr. Chald., expuncto nomine Baal, legunt Ieruboseth ; sed cum *Vulg.* legunt *LXX* et etiam *Syr.*, qui tantum literas יר in נד corrupit, Nedubeel. Cuius corruptionis initium adiectum reperis textui graeco : *filium Ierobaal, filii Ner (ubeel)* ! — פלח posse verti *fragmen (Vulg. LXX Syr.)*, patet ex 1 Reg. 30, 12 ; hinc derivatur significatio *partis, dimidii (Chald.)*. Iam פלח רחב esse partem seu molam superiorem molendini, *germ.* « der Laeufer », inde patet, quod mola inferior Iob. 41, 15 (16) vocetur פלח תחתית ; et ita intellexerunt *Chald. Syr.*

v. 22 « *Abiit ergo nuntius, et venit, et narravit David omnia, quae ei praeceperat Ioab* ».

Soli *LXX* addunt, sicut v. 19, *universos sermones belli* ; dein, interposita sententia *Et indignatus est David contra Ioab, et dixit ad nuntium*, verbotenus repetunt interrogationes v. 20 sq. ex mente Davidis prolatas. Quem textum *Then.* declarat genuinum, cui assentitur *Wellh.* Rationes afferuntur hae. In textu masor. desideratur mentio indignationis David, oratio v. 23 exorditur a כִּי. Verum ipsum hoc כִּי initiale verba nuntii v. 23 inducit tamquam responsum seu explicationem ad quaestionem, a qua referenda, quod cum v. 20 sq. dictis eadem esset, s. auctor abstinere potuit ; responso autem praeiisse verba indignationis, ex contextu elucet. Davidis indignantis verba aeque facile aut irrepere potuerunt, aut excidere. Sola, quorum v. 20 similia, licet non eadem habentur, verba *Et indignatus est David contra Ioab, et dixit ad nuntium* textui *LXX* aliquam praebent probabilitatem, non tamen eam, qua reliquis textibus omnibus sit praeferendus.

v. 23 « *Et dixit nuntius ad David : Praevaluerunt adversum nos viri, et egressi sunt ad nos in agrum : nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad portam civitatis* ». *Hebr., LXX, Chald. usque ad ostium portae.* v. 24 « *Et direxerunt iacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper ; mortuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hethaeus mortuus est* ». v. 25 « *Et dixit David ad nuntium : Haec dices Ioab : Non te frangat ista res, (varius enim eventus est belli,) nunc hunc et nunc illum consumit gladius. Conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, et exhortare eos* ».

Vulg. : Non te frangat ista res ; reliqui *non sit mala in oculis tuis haec res*, ne illam reputes infortunium. — Verba, quae uncinis inclusimus, sola habet *Vulg.* ; quae *Mar.* non improbabiliter coniicit, alteram esse translationem verborum כי כזה וכזה, *sicut hunc sicut illum.* — *Hebr. conforta bellum tuum, et destrue eam. Et conforta eum.* Quod ultimum incisum non Davidis nomine Ioabo est nuntiandum, sed a Davide nuntio dicitur : Conforta eum sc. Ioabum, his et similibus verbis, quasi deiectum animo. David, quem moerens ac tremens excipere debuit nuntium, apparenti excepit aequanimitate.

v. 26 « *Audivit autem uxor Uriae, quod mortuus esset Urias vir suus, et planxit eum* ». Fraudis Davidis non fuerat conscia ante, nunc in suspicionem venit. v. 27 « *Transacto autem luctu misit David, et introduxit eam in domum suam, et facta est ei uxor, peperitque ei filium* ». Rem tandem homo feliciter compositam reputare poterat : non iam timenda supererat laesi indignatio mariti, non lege sancita poena, non publica ignominia, ipsa libido transierat in ius. Dei scelus permittentis in praecedentibus vix occurrerat mentio, nunc brevi sententia eius exprimitur indignatio, severa iam expiatione placanda : « *Et displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino* ». Possunt verba, si placet, etiam ad sequentia trahi.

2) Reconciliatio David 2 Reg. 12,1-31.

Arg. — Annus fere peccatum inter et poenitentiam intercessit, natus enim est puer adulterio conceptus. Pluribus describit *Duguet* regis eo tempore conditionem, qui religionem coleret et iustitiam, sceleris conscientiam sopire incassum niteretur, remorsibus, quos in psalmis enuntiavit, continuo invalescentibus, et scandalo latius usque serpente. Deficiebat sincerae confessionis humilitas, obtinebat animum pudor et deiectio. Tandem adest propheta Nathan, ad sceleris confessionem regem adigit Deoque reconciliat. Habes v. 1-14 sermonem Nathan, v. 15-25 mortem pueri adulterio concepti et Salomonis nativitatem, v. 26-31 Ammonitici belli conclusionem.

Cap. XII v. 1 « *Misit ergo Dominus Nathan ad David; qui cum venisset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitate una* », melius *aliqua*, « *unus dives et alter pauper* ». « Accusationem decora involvit fictione : aliter enim in aliis consideramus peccatum, et aliter domesticas nostras culpas » (*Theodoret.*). Ubi sapienter monet *Calm.* : « Abs re utique phrases istae omnes ad literam ita urgerentur, ut veritas de singulis exigeretur, seu de ove, quae argumentum est parabolae, seu de Bethsabee, quae sub huius similitudinis ambagibus designatur ». v. 2 « *Dives habebat oves et boves plurimos valde* ». Cogita plures, quas habebat David, uxores. v. 3 « *Pauper autem nihil habebat omnino, praeter ovem unam parvulam, quam emerat et nutrierat, et quae creverat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, et de calice eius bibens, et in sinu illius dormiens : eratque illi sicut filia* ». *Munst.* nonnihil subtilius advertit, etiam uxores *emi* consuevisse : id a mente s. auctoris alienum est, qui oviculam non uxori, sed liberis comparat. Dicitur ovis empta, ut intelligatur non esse pars gregis numerosioris iam acquisiti, sed unica spes procurandae quondam opulentiae, sicut ab uxore sibi exspectat paterfamilias liberos, senectutis solamen futuros. — Falso sane vertit *LXX quae creverat cum eo et cum filiis eius simul* : abdicet igitur scrupulum *Cler.*, agnam, quae creverit cum viro, iam agnam non esse. — *De pane* : *Hebr. Chald. de buccella*, quae vox cibi non communionem solum, sed simul parcitatem exprimit. Mensam veluti et torum habebat cum viro illo paupere communia. — *Eratque illi sicut filia* : describuntur ius et affectus, iis quidem, qui in coniugio habentur, inferiores, at quodammodo affines.

v. 4 « *Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens* » — *Hebr. misertus :* misertus suis rapit aliena — « *ille sumere de ovibus et de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, et praeparavit cibos homini, qui venerat ad se* ». *Hebr. praeparavit eam.* Ille dives eo praefertur Davidi, quod hospitalitatis etiam, non merae libidinis motivo actus sit ; hoc habet cum ipso commune, quod hospitalitatis praetextu ipse, libidinis ille, alterius familiae iura infringat. Voces, quibus peregrinus designatur, constanter mutantur : הלך *advena*, ארח *viator*, איש *vir*, veluti ut inculcetur, nullum alium ei viro titulum favisse, quam fortuiti advenae, viatoris. — v. 5 « *Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc* ». Sequentia ostendunt, *filium mortis* sensu latiori intelligi quemlibet reum poenae. Sapienter haec parabola selecta est, ubi de rege ageretur, cui nihil sanctius esset, quam ut faceret iudicium et iustitiam omni populo suo (8,15). v. 6 « *Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, et non pepercerit* ». Verbum hebr. significat mansuetum esse, hinc misereri, refraenare. Egregie parabolae vim explicat Prov. 6,30 sqq. : « Non habebitur despectui *fur* : furatur enim, ut impleat ventrem, quia patitur famem ; deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suae tradet. *Qui autem violat coniugatam,* desipit, perdit vitam id agendo, castigationem et ignominiam inveniet, et opprobrium illius non delebitur. Quoniam zelosa est indignatio mariti, et non parcet in die vindictae, neque ullam considerabit redemptionem, neque acquiescet propter multitudinem donorum ».

Quadruplum : qui numerus Ex. 22, 1(21,37) assignatur restituendus. Obiicit *Then.*, Davidem in tanto affectu certe non cogitasse de Exodi textu. Cogitavit implicite, non explicite. Instructus Iudaeus sciebat habitualiter, legitimam ovis subductae restitutionem esse quadruplum, idque etiam in affectu enuntiare poterat. Cf. Zachaeum Luc. 19,8, in magno etiam ipse affectu exclamantem « reddo quadruplum ». *LXX* legunt *septuplum*, ubi rursum urget *Then.*, Davidem in vehementi affectu minaturum fuisse poenam ea severiorem, quae stricta lege praescriberetur ; et citat Prov. 6,31 ; Gen. 4, 15. Tamen *quadruplum* h. l. etiam habent *Aq. Symm. Theod. Ios.* — Subtilius *Menoch.* quadruplam restitutionem cernit in morte quatuor filiorum David : infantuli Bethsabee, Amnonis, Absalomis, Adoniae.

v. 7 « *Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir. Haec dicit Dominus Deus Israel : Ego unxi te in regem super Israel, et ego erui te de manu Saul* », v. 8 « *et dedi tibi domum domini tui, et uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel et Iuda et, si parva sunt ista, adiiciam tibi multo maiora* ». Per *domum* Saul familiares designantur, cf. 15,16, et generatim quidquid domini est. Dedit i. e. ob-

tulit haec Deus, licet David sibi ea non retinuit. Sub ea voce certe etiam includuntur Saulis et eius familiarium filiae, quas potuisset sibi David, si libuisset, honesto iungere matrimonio. Eodem sensu obtulit ei Deus *uxores* Saul : potuisset David licite eas sibi copulare et in sinu suo fovere (*Sa*). Una 1 Reg. 14, 50 scribitur uxor Saul, una 2 Reg. 3, 7 concubina, nihil prohibet plures fuisse. Item data est Davidi domus Israel et Iuda etiam ad hoc, ut ad placitum filias eorum sibi assumeret uxores. Ultima verba bene explicat *Syr. : quodsi pauca haec erant, dixisses utinam, et adiecissem alia et alia*. v. 9 « *Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?* » Ita *keri* ; sed evidenter praeferendum *kethib in conspectu eius*, quod sequuntur *LXX, Chald., Syr.* « *Uriam Hethaeum percussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi, et interfecisti eum gladio filiorum Ammon* ». Crimina occulta nuda enuntiantur, ultimum membrum excusationem veluti negantis, se Uriam interfecisse, praecludit (*Malv.*). Nota, hoc scelus fuisse omnium secretissimum et gravissimum, neque in parabola adumbratum : unde fingas terrorem regis audientis. Num ea publice dicebantur? Non liquet. Ex parabolae tamen materia videtur rex pro tribunali sedisse, et v. 14 innuere videtur, regis scelera iam quadamtenus publica esse effecta. Quoad *Syr.* cf. *Arab.*, qui alias Syrum sequitur. v. 10 « *Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriae Hethaei, ut esset uxor tua* ».

Quaeritur, qui gladius intelligatur et quomodo prophetia sit impleta. Et primum quidem *domum* non est necesse totam posteritatem intelligere, sed familiam David tunc exstantem, a qua gladius non recessit *in sempiternum* i. e. nullatenus, quoad domus eo sensu accepta exstitit. Iam gladius intelligi potest primum *figurative* pro punitione, cuius duae in sqq. partes efferuntur, prostitutio uxorum in poenam commissi adulterii, et infantis mors in poenam peractae necis. Potest idem, et quidem aptius, accipi *proprie*, et explicari de caede Amnon, Absalom et Adoniae, filiorum David. Nec videtur deesse spatium pro his omnibus eventibus, cum scriptura enumeret duos annos (13, 23) a stupro Thamar usque ad necem Amnon, annos tres (13, 38) exilii Absalom in Gessur, annos inde quatuor (13, 7 secundum *Syr.* et *Ios.*) usque ad Absalomi insurrectionem. Quibus si addas annos aliquos pro eventibus, certe illi epochae attribuendis, defendere poteris Salomonem tredecim annorum (cf. 3 Reg. 3, 7 ; 1 Par. 29, 1) regnum suscepisse, atque ita tota illa epocha vere *gladii* plena fuisse demonstrabitur. Accedit, quod Davidi paranti bellum contra Absalom amice occurrit Sobi, filius Naas, Ammonites (17, 27) ; videtur igitur hic, devicto fratre Hanon (cf. 10, 2 et 12,

30), more regum Orientis, a Davide constitutus fuisse regulus tributarius Ammonitarum; unde rursus sequitur, Absalomis rebellionem post finitum Ammoniticum bellum, indeque etiam post Davidis adulterium habuisse locum. Et hinc plene perspicitur idea divinae castigationis Davidi inflictae. Abusus est ille uxore proximi sui : omnes eius uxores ante adulterium legitime ductae prostituuntur, v. 11 cf. 16, 22, et ita inutiles efficiuntur 20, 3. Interfecit ille proximum suum : addicuntur gladio v. 10 omnes eius filii, quicunque regni potiundi exspectationem habent, ipse itidem v. 14 parvulus in adulterio conceptus ; totaque Dei promissio transfertur in filium post peccatum generandum, ex uxore post peccatum legitime ducta. Est haec, desecratis fundamentis, funditus suscepta reaedificatio domus, quam 7, 11 promiserat Deus se Davidi aedificaturum.

v. 11 « *Itaque haec dicit Dominus : Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, et tollam uxores tuas in oculis tuis, et dabo proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis huius* ». *De domo tua* i. e. per manus filiorum tuorum ; non permittam alienos violare tua iura, sicuti tu, alienus cum esses, violasti iura Uriae. *In oculis tuis* : tu oculis testium immediatorum rem veluti praesens conspicies. Imo invocatur testis actu praesens eius facti futuri, quae invocatio adiurationis vim habet : Tam certo, atque sol nunc lucet, et haec fient. Facta reapse res est « coram universo Israele » 16, 22, in tentorio tenso in eiusdem, uti videtur, palatii solario, unde adultero animo prospexerat David (*Sanct.*). v. 12 « *Tu enim fecisti abscondite : ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis* ». Haec divinorum iudiciorum lex, absconditorum revelatio. v. 13 « *Et dixit David ad Nathan : Peccavi Domino* ». « Peccavi, fateor, in Uriam, peccavi in Bethsabee, peccavi in populum, cui plurimum exemplo malo nocui : sed haec omnia comparatione offensi Dei tam in me munifici, tam a me dilecti, quasi nihili pendo ... Tibi soli peccavi, quia comparatione offensionis divinae offensiones aliae, alioqui gravissimae, quasi nullae existimantur » (*Tir.* post *Sanct.*). « Idem, quod Saul (1 Reg. 15, 24), locutus est David, sed diverso animo » (*Menoch.*). Cf. *Calm.* ; item *Aug.* (42. 442). Brevis et sincera confessio, terminans diuturnas mentis angustias. Simul quoque tacita acceptatio poenae mortis, quam ipse v. 5 inscius in se pronuntiaverat et lex in eius scelera statuerat. Verum hanc conclusionem Nathan illico praecludit : cf. sequens *quoque*, גם. « *Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum : non morieris* ». « Velox confessio, velocior medicina » (*Ps. Eucher.*). « Hic considerare possumus, quantum valet apud Deum humilis et vera poenitentia » (*Angelom.*). Condonat Deus culpae reatum, condo-

nat punitionem ei reatui iure debitam, quaeque omnes promissiones Davidi factas retractasset ; non condonat poenas accessorias v. 10-12 praenuntiatas. « Duplicis mortis reus erat, nam et adulter et homicida secundum legem interimebantur » (*Theodoret.*). v. 14 « *Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur* ». Piel נאץ hoc unico loco sensu causativo legitur, unde *Geiger* איבי tamquam spurium expungit : « quoniam blasphemasti Dominum » ; at habent illud textus omnes. v. 15 « *Et reversus est Nathan in domum suam* ».

Effectum iam nanciscuntur ultima v. 14 prophetae verba : moritur filius adulterio conceptus, nascitur inde Salomon perfectae reconciliationis pignus. « *Percussit quoque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriae David, et desperatus est* ». Non otiose mulier h. l. *uxor Uriae* appellatur. Versio *desperatus est* (*Vulg. Syr.*) confirmatur Ier. 30, 12. 15 ; 17, 16. *LXX Ios. aegrotavit.* v. 16 « *Deprecatusque est David Dominum pro parvulo, et ieiunavit David ieiunio, et ingressus seorsum iacuit super terram* ». *Hebr. Chald. Syr. et ingressus est et pernoctavit,* totam noctem in oratione, ieiunio et humi cubatione transegit. v. 17 « *Venerunt autem seniores domus eius* », « qui auctoritate et gratia, adde etiam et aetate, plus apud regem poterant » (*Sanct.*), « *cogentes eum, ut surgeret de terra ; qui noluit, nec comedit cum eis cibum* ». Septimus, de quo statim, dies est vel suscepti ieiunii vel, quod in idem recidit, exorti morbi. v. 18 « *Accidit autem die septima, ut moreretur infans. Timueruntque servi David nuntiare ei, quod mortuus esset parvulus ; dixerunt enim : Ecce, cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, et non audiebat vocem nostram, quanto magis, si dixerimus : Mortuus est puer, se affliget* », sc. continuato ieiunio (*Ios.*) ? Certe expressio non cogit, cogitare de suicidio. v. 19 « *Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit, quod mortuus esset infantulus, dixitque ad servos suos : Num mortuus est puer ? Qui responderunt ei : Mortuus est* ». v. 20 « *Surrexit ergo David de terra, et lotus unctusque est ; cumque mutasset vestem* » (cf. Gen. 41, 14), « *ingressus est domum Domini, et adoravit ; et venit in domum suam, petivitque, ut ponerent ei panem, et comedit* ». v. 21 « *Dixerunt autem ei servi sui : Quis est sermo, quem fecisti ? Propter infantem, cum adhuc viveret, ieiunasti, et flebas : mortuo autem puero, surrexisti, et comedisti panem* ».

Ita omnes praeter *LXX*, qui ita iungunt : *Quis est sermo, quem fecisti de infante ? Eo vivente ieiunasti etc.* Verum illud חי absolutum et omnino indeterminatum durius est, et deberet sequi copula. *LXX Chald. Syr.* pro בעבור videntur, uti v. 22 legisse

בעוד. — v. 22 *Hebr. LXX Chald. miserebitur mihi, Syr. miserebitur ei* sc. infanti, *Vulg.* utrumque pronomen exprimit : *donet eum mihi.*

v. 22 « *Qui ait : Propter infantem, dum adhuc viveret, ieiunavi et flevi, dicebam enim : Quis scit, si forte donet eum mihi Dominus, et vivat infans ?* » v. 23 « *Nunc autem, quia mortuus est, quare ieiunem? Numquid potero revocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille vero non revertetur ad me* ». Intellige vel absolute : Mortui non revertuntur, lege generali ; vel cum *Malv.* conditionate : « Si perseveravero in luctu, potius ego me conficiam, quam illum revocavero : stulto et inutili labore consumar ».

v. 24 «*Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam dormivit cum ea ; quae genuit filium, et vocavit nomen eius Salomon, et Dominus dilexit eum*». Consolatus est verbis, consolatus est etiam magis resumpto coniugali commercio.—*Vocavit* : *keri* et *Chald.* utuntur verbo feminino, *kethib* et *Syr.* masculino : verum, etiamsi verbum legas masculinum, non necessario illud Davidem prae Bethsabee indicat subiectum, quandoque enim verbi forma masculina prae feminina usurpatur.—Salomon i. e. pacificus, ita vocatus 1 Par. 22, 9, quod Dominus illi daturus esset requiem «ab omnibus inimicis suis per circuitum» ; unde aliqua eius attributi nominis occasio fuerit etiam bellum Ammoniticum, brevi ante pueri nativitatem terminatum (*Then.*) ; sed certe non integra vel potissima causa illud fuit.—Considera parallelismum nostri versus cum ultimo versu cap. 11 : «peperitque ei filium, et displicuit verbum hoc coram Domino»—«genuit filium, et Dominus dilexit eum». Ceterum ultimum incisum intime cum v. 25 iungas : perfectam reconciliationem et inde secutam dilectionem Deus deputato etiam propheta declarat. v. 25 «*Misitque in manu Nathan prophetae, et vocavit nomen eius Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus*». *Hebr.* est nomen proprium Iedidiah. Duplex igitur nomen a Deo inditum habuit Salomo (cf. 1 Par. 22, 9), sed hoc alterum Iedidiah non tam ad usum constantem, quam ut ipso nomine exprimeretur veluti sigillo factum divinae reconciliationis.

Eo quod diligeret eum Dominus, ita *Vulg.* explicat *Hebr. propter Dominum* ; certe melius quam *Syr. eo quod Dominus esset dilectus eius.* —Disputatur, quodnam sit sententiae subiectum. David, inquit *Mar.* : verum, quid miserit David et ad quem, non perspicitur. Num misit prophetam ad Bethsabee, ut hoc uxori nomen communicaret ? *Then.* textum corrigit, וישלחו pro וישלח, hoc sensu : Et misit David *puerum* ad Nathan, ut educaretur ; Nathan vero paterno plane affectu puero alterum nomen indidit. Ast correctio nullo nititur critico fundamento. Sane prophetae a Deo, non a rege, mitti consueverunt : unde aptius cum *Vatablo, Sa, Menoch.* subiectum statuimus Deum. שלח ביד modo sensum habet *mittere per aliquem* (3 Reg. 2, 25 ; Ex. 4, 13), modo

sensum *committere alicui* (2 Reg. 18, 2); hoc altero tamen sensu obiectum exigit. Ergo priorem sensum retineamus : Misit Deus per prophetam mandatum, sc. imponendi talis nominis, et consequenter ad illud mandatum propheta nomen Yedidiah imponit, et quidem *propter Dominum*. Non ideo propter Dominum, quia mandaverat Dominus, ea enim esset tautologia : sed, quod in Domino reapse esset causa eiusmodi appellationis, amor sc. Salomonis, seu *eo quod diligeret eum Dominus (Vulg.)*.

v. 26 «*Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, et expugnabat urbem regiam* ». Cf. 1 Par. 20,1 : «Porro David manebat in Ierusalem, quando Ioab percussit Rabba, et destruxit eam». Certum est eandem hic dici urbem regiam, quae versu sequenti urbs aquarum, nam v. 27 idem factum enuntiatur verbis nuntii, quod v. 26 enuntiabatur verbis s. auctoris. Sensusque manet idem, sive cum *Chald.* et *Syr.* utrobique legas «urbem regiam», sive cum *Wellh.* «urbem aquarum» (sed critica ratione caret *Wellh.* correctio). Rabba exstructa erat prope fluvium et, uti videtur, duplici constabat parte (*Mar.*, *Vatabl.*), «urbe aquarum» seu inferiore, et acropoli (*Malv.*) : haec altera supererat capienda. *Ios.* exponit, Ioabum arcem aqua praecidisse ; quod non improbabile apparet. v. 27 «*Misitque Ioab nuntios ad David, dicens : Dimicavi adversum Rabbath, et capienda*»—vel rectius, *capta* ; ita versiones omnes — « *est urbs aquarum*». v. 28 «*Nunc igitur congrega reliquam partem populi, et obside civitatem, et cape eam, ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria*». Fortasse haud paucos milites amiserat Ioab (*Keil*), nec minus necessitate, quam regii nominis studio ad accersendum regem movebatur.—*Hebr. ne vocetur nomen meum super eam :* eadem expressio, quae 6, 2. Vel agitur generatim de Ioab nomine urbis destructione gloriose appellando, de gloria rei feliciter gestae ei adscribenda, vel de urbe Ioabi nomine appellanda «urbs Ioab», sicut arx Sion fuerat dicta «civitas David» ; cf. Num. 32, 41 ; Iud. 18, 29. Ad prius confer, quod *Curtius VI.* 2 de Crateo duce refert : «Ille omnibus praeparatis, regis (Alexandri) exspectabat adventum, captae urbis titulo, sicut par erat, cedens». v. 29 «*Congregavit itaque David omnem populum, et profectus est adversum Rabbath, cumque dimicasset, cepit eam» ;* v. 30 «*et tulit diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas*»,—vel *gemmam* ; *Hebr.* utrumque sensum admittit—«*pretiosissimas, et impositum est super caput David*».

Quem regem cepit aut vivum aut mortuum. *LXX* et 1 Par. 20, 2, aliam punctationem secuti, legebant *Melchom*, idolum Ammonitarum, sed vehementer dubito, Davidem suo usui quidquam assumpturum fuisse, quod ad idōli ornatum pertinuisset, cf. 2 Mach. 12, 40. — Talentum auri ככר aequat 58· 932· Kilogr. (Schrader ap. Riehm), quod pondus certe David non « perpetuo in capite gestavit » (*Ios.*). *Cler.*, Rabbinorum vestigiis insistens, suggerit, coronam illam « machina quadam seu fune suspensam fuisse, ita ut videretur adhaerere capiti regis eam subeuntis, dumtaxat ostentationis

causa et in throno sedentis ». Sed, quoniam שקל non solum pondus significat, sed etiam pretium, felicius tandem idem auctor post *Sanct.* suggerit, משקל verti posse *valor* seu *pretium* : pretium quippe in statera appendebatur. Iam unius talenti aurei seu 168,750 fr. pretium pro diademate aureo, gemmis ornato non videtur nimium. Adde quod aestimatio sit approximativa et hinc, quod fere fit, potius immoderata.

« *Sed et praedam civitatis asportavit multam valde* » ; v. 31 « *populum quoque eius adducens serravit, et circumegit super eos ferrata carpenta, divisitque cultris, et traduxit in typo laterum. Sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon, et reversus est David et omnis exercitus in Ierusalem* ». Noli tamen existimare, in omnem Ammonitarum nationem animadversum esse tam crudeliter. Agitur de viris armatis, in civitatibus munitis deprehensis, iisque verisimiliter nequaquam universis, cf. 8,2. Item recole atrocitates ab Ammonitis in Israelitas pridem commissas 1 Reg. 11,2, cf. etiam Am. 1,13 : « eo quod dissecuit (Ammon) praegnantes Galaad ». (*Theodoret.*). Perperam tandem *Houb.* opinatur, omnia et singula tormenta in singulos esse adhibita ; quin imo alia in alios. Iam si David nonnisi eas poenas Ammonitis inflixit, quas ipsi priores Hebraeis intulissent (*Calm.*), legem V. T. implevit « oculum pro oculo etc. » (Lev. 24,20). Denique cum *Sanct.* adverte, has poenas Davidem exegisse, quo tempore a peccato nondum resipuerat.

Hebr. וישם *et posuit*, 1 Par. 20,3 וישר *et serravit*, quas lectiones componit *Wellh.* in וישרם, *et serravit eos*, derivandum a נשר, *Chald. Syr.* נסר, quibus in linguis serrandi sensum habet. In sequentibus *Vulg.* paraphrasi quadam utitur ; *Hebr. serravit eos serris, tribulis ferreis et cultris (?) ferreis.* מגרה (cf. 3 Reg. 7,9) etiam *LXX Chald.* vertunt *serra.* חריץ (cf. 1 Reg. 17,18) a חרץ *secare* ; *LXX Chald.* intelligunt *tribulum*, quae erat trabs acutis lapidibus instructa ad excutiendas spicas ; *carpenta* (*Vulg.*) ad eundem sensum potest revocari, ut sit genus quoddam currus, spicis excutiendis inserviens. מגזרה, quod mendose 1 Par. scribitur מגרה, certe est instrumentum secans, *Vulg. cultris, LXX* ὑποτομεῦσι, *Chald. securibus* (cf. 4 Reg. 6,4). *Syr.*, horrore eius carnificinae perculsus, satius duxit Ammonitas compedibus atque catenis vincire. *In typo laterum* : *LXX* διὰ τοῦ πλινθίου, videntur cum *Vulg.* sentire, Ammonitas esse coniectos in fornaces coquendis lateribus destinatas ; *Chald. raptavit eos per plateas ; Syr. traduxit eos per mensuram* (?). Cum מולבן secus nonnisi Ier. 43,9 et Nah. 3,14 legatur neque ibi consentiant versiones, rem in medio relinquimus.

3) Davidis peccati sequelae 2 Reg. 13,1-20,16.

a. Interitus Amnon 2 Reg. 13,1-14,33.

ARG. — Amnon primogenitus, sororem Thamar deperiens, simulata aegritudine puellam in cubiculum pellicit atque opprimit, oppressam

foede eiicit. Biennio post ab Absalome eiusdem fratre ad convivium vocatus interficitur. Absalom triennio exulat. Tum Ioab arcessit mulierem sapientem Thecuitidem, quae adhibita parabola regi supplicatur, ut filium fratris occisorem vindictae consanguineorum subtrahat. Rex petitis mulieris cum iuramento assentitur, mox perspecta parabola Absalomi redeundi veniam concedit, biennio post eundem ad aulam iterum adsciscit.

Nota, quam similia patris sceleribus commiserint Davidis filii. Peccaverat David violata coniugata, Amnon peccat violata virgine sorore: peccaverat David interempto viro omnino innocente Uria, Absalom peccat occiso Amnon fratre, sororis stupratore. Unde explicatur Davidis in filios lenitas, qui ab Amnone reprehendendo 13,21 abstinuerit, Absalomi post quinquennium plene sit reconciliatus.

Cap. XIII v. 1 « *Factum est autem post haec, ut Absalom, filii David, sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon, filius David* », v. 2 « *et deperiret eam valde, ita ut propter amorem eius aegrotaret, quia, cum esset virgo, difficile ei videbatur, ut quippiam inhoneste ageret cum ea* ». Recte *Vulg.* subordinat sententiae membra, in *Hebr.* coordinata ; recte supplet *inhoneste*. Sed quaenam in virginitate difficultas ? Responde cum *Vatabl.*, *Sa* aliisque, difficultatem in eo fuisse, quod virgines arctius custodirentur. *Then.* difficultatem collocat in virginis modestia : ast virginis modestiam iuvenis lascivus vix non semper imaginatur facili ope posse superari.

Hebr. et angustum factum est Amnoni usque eo, ut aegrotum se faceret propter Thamar, sororem suam. התחלה significat *aegrotum se facere*, et quidem h. l. intelligitur de vera, v. 5 sq. de ficta solum aegritudine. At quomodo v. 5 sq. Amnon se fingit aegrotum, qui v. 2 affirmatur fuisse vere aegrotus ? Finxit se magis aegrotum, quam reipsa erat. Pulchre h. l. *Sanct.* in effectus insani amoris invehitur.

v. 3 « *Erat autem Amnon amicus nomine Ionadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde* ». Cf. 1 Reg. 16,9. v. 4 « *Qui dixit ad eum : Quare sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies ? cur non indicas mihi ?* » Sane *filium regis* omnium minime decebat deperire, qui omnibus affluere, ad omnia pertingeret. — *Hebr. mane et mane. Then.* affirmat, mane vel maxime observari morbi effectus : sed febri laborantes utique vespere magis afficiuntur. Videtur Ionadab filium regis singulis diebus mane convenisse, et hinc progressum infirmitatis de mane in mane observasse. — Respondet iam Amnon abrupta locutione, omisso בי. « *Dixitque ei Amnon : Thamar, sororem fratris mei Absalom, amo* ». v. 5 « *Cui respondit Ionadab : Cuba super lectum tuum, et languorem simula, cumque venerit pater tuus, ut visitet te, dic ei : Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, et faciat*

pulmentum, ut comedam de manu eius ». Reliqui *ut videam et comedam.* Ubi *Vulg. pulmentum*, ibi *Hebr.* repetit vocem *cibus.* Primum ponitur generalis petitio *cibet me*, dein singula, quae in ea includuntur cibatione, enumerantur : cibi praeparatio, inspectio, comestio. Aegroti quandoque valde sunt fastidiosi respectu qualitatis et apparentiae eius, quem sumunt, cibi ; quare etiam petitio, ut Thamar adesset, admiratione carebat. — David adulterio intruserat se ín alienam familiam, puniendus iam est malis suscitandis 12, 11 « de domo sua » : hinc ipse fratris filius Ionadab eius filio fit stupri auctor (*Duguet*). v. 6 « *Accubuit itaque Amnon et quasi aegrotare coepit ; cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem : Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu eius* ». « Nauseam ciborum omnium simulavit » (*Calm.*).

Quod genus cibi sint לבבות, disquiritur. Et primum v. 8 sq. attende rei praeparationem. Farinae massa seu conspèrsio depsitur (לוש Gen. 18, 6), postea coquitur (בשל Ex. 16, 23) : sed inter utramque operationem intercedit tertia, expressa verbo לבב, denominativo a לבבות. Coquitur autem in sartagine (מישרת, cf. *Chald.*) atque ex ea effunditur. Iam illa operatio לבב, inter depsendum et coquendum media, alia vix esse potest, quam quae rem in propriam formam et figuram redigat. Unde infero לבבות non esse *sorbitiunculas* (*Vulg.*), si eae esse aliquod liquidum intelligantur. Ubi tamen advertatur nota codicis M (apud Verc.) : « Sorbitiunculas vocat chandellos, qui de farina vel de amygdalis fiunt, a sorbendo i. e. hauriendo, ut vulgo dicitur ». *LXX* κολλυρίδας, *Chald.* חליטתא conspersio. *Fürst* intelligit « convolvulos », genus quoddam operis pistorii tenue et convolutum. *Ges.* « Pfannekuchen », « pancake », a לבב *pinguem esse. Malv.* vocem derivat a לב *cor*, quod cor reficiant et roborent, vel quod cordis figuram exprimant. Sola etymologia duce eiusmodi dubium vix plene elucidari poterit.

v. 7 « *Misit ergo David ad Thamar domum, dicens : Veni in domum Amnon, fratris tui, et fac ei pulmentum* », *Hebr. cibum.* Intelligitur *domus* regia : hinc patet, filios regis separatas a palatio aedes incoluisse (*Duguet*). v. 8 « *Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui, ille autem iacebat ; quae tollens farinam* » conspersam Ex. 12, 34. 39 « *miscuit* », i. e. depsit, « *et liquefaciens in oculis eius coxit* » (בשל de carne praedicatur Ex. 29, 31 ; 23, 19, de arte culinaria generatim Ez. 46, 24, differt à verbo pinsendi אפה) « *sorbitiunculas* ». v. 9 « *Tollensque quod coxerat, effudit (et posuit) coram eo. Et noluit comedere dixitque Amnon : Eiicite universos a me* ». Primum videtur ipsa cibum obtulisse per manus virorum. *Ios.* censet Amnonem praetendisse, velle se a strepitu remotum quiescere. « *Cumque eiecissent omnes* », v. 10 « *dixit Amnon ad Thamar : Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas, quas fecerat, et intulit ad Amnon fratrem suum in conclave* ». v. 11 « *Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit*

eam, et ait : Veni, cuba mecum, soror mea ». v. 12 « *Quae respondit ei : Noli, frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel. Noli facere stultitiam hanc* ». Cf. vetitum congrediendi cum sorore Lev. 18, 9. 11 ; 20, 17, et nota verba 18, 3. 24 : « Iuxta consuetudinem (כְּמַעֲשֵׂה) terrae Aegypti, in qua habitastis, non facietis : et iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. . . Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt universae gentes, quas ego eiiciam ante conspectum vestrum ». Repetitio negationum firmitatem resistentiae exprimit. Ostendit *Duguet*, quomodo Thamar omne genus argumentorum exhauserit : fratris nomen appellat, quod ipsam sceleris immunitatem exprimit ; Dei legem et gentis mores commemorat ; suo ostenso opprobrio commiserationem elicere studet, infamiam eius, cui regnum quondam debeatur, exaggerat ; ostensa connubii spe praesentem passionis aestum eludere studet.

v. 13 « *Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et tu eris quasi unus de insipientibus in Israel. Quin potius loquere ad regem, et non negabit me tibi* ». *Hebr. Quo feram* ? ubi abscondam ? נבל insipientiam simul et impietatem sonat, duplex igitur opprobrium filio regis penitus indignum. Opprobrium tam sibi quam illi impendens demonstrat puella. Quo cum neque moveretur frater, ultimum tentat argumentum, verbis se ad veri nominis coniugium paratam professa.

Quomodo tale quid suggere re potuit, lege fratrum cum sororibus coniugia prohibente ? Acceptata est vix non ab omnibus interpretibus *Iosephi* solutio, voluisse puellam tantum, oblata connubii spe, impuros fratris conatus eludere. Alii suggerunt, eam legis ignaram esse potuisse, «utpote matre nata gentili» (*Sanct.*), aut animo perturbato eiusdem immemorem. *Grotius* suspicatur, puellam iuris minime peritam regi ius quoddam dispensandi attribuisse. Verum solutio primo loco posita abunde sufficit, ad refutandam rationalistarum nugam, ex verbis Thamar inferentium, Mosaicas prohibitiones fuisse aevo Davidico ignotas, ideoque eodem posteriores. Imo contrarium confirmat tota agendi ratio Amnonis et Ionadab, qui certe tanto circuitu illud prosecuti non fuissent, quod recto itinere poterat obtineri ; Davidis et Absalomi, qui de connubio post stuprum ne verbum quidem fecisse videntur ; ipsius tandem Thamar, quae, quam liu possibilitas coniugii relinqueretur, utique ignominiam non propalasset (cf. v. 18-20).

v. 14 «*Noluit autem acquiescere precibus eius, sed praevalens viribus oppressit eam, et cubavit cum ea*». v. 15 «*Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis, ita ut maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat*». Factum mirae psychologicae veritatis : persaepe libido transit in odium. « *Dixitque ei Amnon : Surge, et vade* ». Copulam ignorat hebr., nervosius. v. 16 « *Quae respondit ei : Maius est hoc*

malum, quod nunc agis adversum me, quam quod ante fecisti, expellens me ».

Textus est nonnihil intricatus. *Hebr.* : על אדות הרעה הגדולה הזאת מאחרת אשר עשית עמי לשלחני, *propter malitiam hanc maiorem priore, quam fecisti mecum, ut dimitteres me.* Idem *LXX* v. 16 habet. — *Chald.* aliqua transponit, alia omittit, unam vocem addit, ut legerit hebraeum ita : על אדות עשית עמי הרעה הגדולה הזאת אמרת לשלחני, *propterea quod fecisti mecum malitiam hanc magnam, iussisti me dimitti.* Affinitas cum *Hebr.* clarescit, si omissa cum additis compares. Omittit *Chald.* מאחרת אשר, addit [?אתה] אמרת, quae duae lectiones evidenter ad unum textum primitivum revocantur. Idem fere legebat *Syr.* : *propterea quod fecisti mecum malitiam hanc magnam, me dimittis.* — Ab his differt *Vulg.* גדולה הרעה (?על אדות) הזאת אשר עשית עמי מאחרת לשלחני ; concordatque altera lectio *LXX*, manca quidem, quae v. 15 inserta exstat : על אדות גדולה הרעה הזאת האחרת מהרשנה, *quia maior est haec malitia posterior priore.* Iam in ראשני videtur *Hebr.* אשר contineri. — Accedit tandem *Italae* lectio : *Noli, frater, expellere me, quoniam maior erit haec malitia novissima, quam prior quam fecisti mecum, ut dimittas me* ; quam restituit *Houb.* אל אחי על אדות גדולה הרעה הזאת מאחרת אשר עשית עמי לשלחני. Qui textus cum *Vulg.* et *LXX* (v. 15) id habet commune, quod גדולה ante nomen ponens faciat praedicatum. — Iam hae lectiones duas sua sponte classes efficiunt : prior constat *Hebr. LXX* (v. 16) *Chald. Syr.*, altera *Vulg. LXX* (v. 15), quam sequitur etiam *Itala*. In illa rursum praeferendi *Chald. Syr.*, exhibentes sensum planum, dum in *Hebr. LXX* (v. 16) habetur anacoluthum durius, in quo explicando frustra insudavere interpretes. Sed etiam *Vulg. LXX* (v. 15) *Itala* planum sensum offerunt, dummodo לשלחני non ad immediate praecedentia trahas, sed ad sententiae initium : Quia maior priore (stupri) iniuria est haec altera, quam intulisti mihi dimissionis iniuria. Sed cur maior ? et cur de dimissione conqueritur puella, quam ob consanguinitatem non liceret non dimitti ? Mitto responsionem dicentium, puellam connubium cum fratre licitum putasse, saltem vi dispensationis a rege obtinendae. Melius *Sanct.* : « Violatio occulta fuit, expulsio manifesta ; ex illa exigua, ex hac non levis oriebatur infamia ». Cf. *Ios.* Secundum haec, non tam de facto quam de modo expulsionis conquerebatur Thamar.

« *Et noluit audire eam* », v. 17 « *sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit : Eiice hanc a me foras, et claude ostium post eam* ». Dimittitur a servo nobilis puella, non a domino domus ; obseratur ostium, ut reditus ei praecludatur. Modus eiectionis excitabat suspicionem, Thamar ipsam se stupro obtulisse, et a fratre verecundo fuisse repudiatam. v. 18 « *Quae induta erat talari tunica ; huiuscemodi enim filiae regis virgines vestibus utebantur. Eiecit itaque eam minister illius foras, clausitque fores post eam* ».

כתנת פסים, cf. Gen. 37, 3, tunica ad extremitates, i. e. ad articulos manuum et pedum descendens (*Ges.*) ; *LXX* χιτὼν καρπωτός, tunica ad articulos descendens (non : intexta fructibus, ut quidam verterunt) ; *Symm.* χιτὼν χειριδωτός ; *Chald.* כרדות pallium. — *Hebr. quoniam ita induebantur filiae regis virgines, tunicas.* Ultimam vocem בועילים *Vulg., LXX, Chald.* censuerunt esse accusativum determinantem verbum. Neque obiicias, בועיל caruisse manicis ; quae opinio hoc solo textu nititur, quibusdam interpretantibus, gestasse filias regis eas tunicas manicatas *loco* מועיל manicis carentis.

Wellh. ex textu infert, diu post Davidis aevum eam animadversionem fuisse conscriptam, non enim brevi post potuisse eum vestiendi morem memoria excidisse. Respondeo, illationem fortasse futuram fuisse legitimam, si de sumptuoso vestitu ageretur, non vero si de simplici. Mens s. auctoris haec esse potuit, ut simplicitatem filiarum regis commendaret, quae nulla alia re distinguerentur, nisi tunica paulo longiori. Haud diu ante Hebraei ex conditione extremae simplicitatis emerserant, quando in toto exercitu nonnisi lanceae et gladii duo reperiebantur, scuta Syrorum auro ornata admirationem excitabant. Neque dubitare licet, quin ipso iam Salomonis aevo et reliqua omnia, et regiarum virginum ornatus longe ab ista simplicitate recesserint, et quin Nathan propheta suarum partium esse duxerit earumdem regiarum virginum fastum iterato reprehendere. Rursum obiicit *Wellh.*, eam animadversionem non eo, quo pertineat, loco nunc legi, cum inseratur inter eiectionis mandatum et mandati exsecutionem. Respondeo cum *Sanct.* : « Cur h. l. scriptura meminit talaris tunicae, quae virginum e regia stirpe notum erat insigne ? Sane ut illustrior esset ignominia, quam subiit Thamar a fratris sui servulo extra domum eiecta, quam ex familiari veste regiam esse virginem ignoraret nemo ». Cf. dicta Intr. n. 9.

v. 19 « *Quae aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens et clamans* », seu lamentans, « ne, si re iam manifesta leviter iniuriam ferre videretur, non vim passa, sed volens corrupta crederetur » (*Menoch.*). Imposuit manus capiti (cf. Ier. 2, 37), « veluti post tantam infamiae notam os suum celatura » (*Calm.*). Is est motus in afflictis maxime naturalis : nos diceremus, faciem manibus tegere. Thamar ad instar scorti domo eiecta publice signa edit, quibus se passam esse iniuriam proclamat. Si silens domum abiisset, ab omnibus rea habita esset, atque idipsum videtur Amnon intendisse. v. 20 « *Dixit autem ei Absalom frater suus : Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum ?* » *Hebr.* euphemistice : *Numquid fuit tecum* ? Notaverat Absalom quaedam amoris Amnon in sororem signa, sciverat vocatam in illius domum, intellexit luctus causam. « *Sed nunc soror tace, frater tuus est, neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui* ». Non fraterno affectu movebatur Absalom, sed sensu indecori, quod cernebatur in sorore scelus fratris propalante. *Neque affligas cor tuum pro hac re*, quasi non tanti momenti res esset regiae virginis stupratio. Inane consolationis genus, quo docemur, nullum aliud consolationis motivum animo praesto fuisse, secus alio fortiori usus esset Absalom. De sorore fratri matrimonio iungenda Absalom ne cogitasse quidem videtur, quod rem illicitam reputaret : quae si licuisset, fuisset medium maxime obvium ad Thamaris honorem reparandum. Neque mirum Absalomem in consilium interimendi fratris devenisse, quo et sororem ulcisceretur, et sibi obtinendi regni aditum aperiret. v. 21 « *Cum autem audisset rex David verba haec, contristatus est valde* ». Sequentem versus partem soli *LXX* legebant, unde per Italam in *Vulg.* pene-

travit (*Verc.*). Sed reapse probabile est, textum primitus explicasse, cur David Amnonem non punierit. Num constupratae filiae narratio apte concluditur brevissima animadversione, patrem regem contristatum esse valde? « *Et noluit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei* ». « Cum David in eodem genere gravissime peccasset, verecundatus est exprobrare filio flagitium » (*Sanct.*). Non inflixit poenam mortis (Lev. 18, 9. 29), memor proprii, qua illam promeruisset quondam, peccati. Debuit autem saltem illum reprehendere, reparationem quamdam pro Thamar urgere, filium ad tempus ab aula relegare. Fuit autem etiam secus David in filios indulgentior (cf. 3 Reg. 1, 6). v. 22 « *Porro non est locutus Absalom ad Amnon nec malum nec bonum; oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam* ». Hic versus intime cum praecedenti cohaeret, quo etiam David siluisse dicebatur. Silebat Absalom, ut securius odium celaret.

v. 23-35 Absalomis vindicta narratur. v. 23 « *Factum est autem post tempus biennii* », — *Hebr. post biennium dierum*, cf. 14, 28 ; Gen. 41, 1 ; Ier. 28, 3. 11 — « *ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quae est iuxta Ephraim* ». Festiva erat ea occasio, cf. 1 Reg. 25, 4. Ephraim videtur intelligi urbs quaedam seu vicus Ephraim, nam tribus, mons, silva non ita sine addito introduci solent. Putant esse urbem Ephrem Io. 11, 54, et hanc esse eandem atque Ἀφαίρεμα 1 Mach. 11, 34. Ceterum res est omnino incerta. — Tamdiu siluit Absalom, ut iniuriae sororis incurius et immemor videretur, et invitatio Absalomis adscriberetur desiderio reconciliationis. « *Et vocavit Absalom omnes filios regis* », v. 24 « *venitque ad regem, et ait ad eum : Ecce tondentur oves servi tui ; veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum* ». Videtur Absalom praenovisse, regem ad eiusmodi festum non esse venturum : vix enim praesente rege ausus esset Amnonem interficere. Vel fortasse eiusmodi invitatio singulis annis locum habebat, regisque absentia primum suggessit Absalomi, opportunitatem dari interimendi fratris. Certe Amnon omnino securus venit (cf. v. 28), quod in re singulis annis recurrente etiam facilius explicatur. v. 25 « *Dixitque rex ad Absalom : Noli, fili mi, noli rogare, ut veniamus omnes, et gravemus te. Cum autem cogeret eum, et noluisset ire, benedixit ei* ». Nota, urbanitatis in oriente partes esse, invitationem non illico acceptare, declinatam iterum atque iterum urgere. *Benedixit ei*, i. e. « bene precatus est illi » (*Malv.*), seu « laetam festivitatem apprecatus est » (*Keil*). Quam benedictionem Absalom interpretatus est expressionem firmi consilii non veniendi. v. 26 « *Et ait Absalom : Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex : Non est necesse, ut va-*

dat tecum ». «De Amnone quaerit, tamquam inter filios regis natu maiore» (*Calm.*). Fortasse rex nolebat, ut Amnon se crederet Absalomi, saltem se absente ; aut solum more orientalium invitationi noluit illico assentiri.

Hebr. Et non : veniat, quaeso etc., i. e. Et si tu non venis, veniat etc. Eandem constructionem observa Iud. 6,13 ; 4 Reg. 5,17 ; 10,15.

v. 27 « *Coegit itaque Absalom eum ; et dimisit cum eo Amnon et universos filios regis* ». Sequens sententia ex *LXX* in *Vulg.* penetravit (*Verc.*) : « *Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis* » ; tam lautum, quale pro ipso rege parari soleret, abundantia et excellentia tam cibi quam potus insigne. v. 28 « *Praeceperat autem Absalom pueris suis, dicens : Observate ; cum temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis* », (*Ios.* « nutu significavero ») « *percutite eum* » — pro *eum* reliqui *Amnonem* : nomen erat exprimendum, ne ceteri regis filii periculo exponerentur — « *et interficite ; nolite timere : ego enim sum, qui praecipio vobis* » ; ego pro facto respondebo, vel etiam : is ego sum, qui vos a quoquam defendere queam ; « *roboramini, et estote viri fortes* ». *Temulentus.* — *Ios.* de suo addit « somno oppressus », sed *Hebr.* tantum habet *cum bonum fuerit cor*, quod *Chald. Syr.* interpretantur : *cum hilare factum fuerit cor.* Recte *Sanct.* advertit, vix aliam praeter eiusmodi hilaritatem « temulentiam » potuisse Absalomem certo in Amnone praesagire : accesserat is fortasse cum aliqua diffidentia, sed bonum vinum expellit timorem. — Verba *Percutite eum etc.* non sunt verba ab Absalome in convivio dicenda, sed apodosis sententiae. — v. 29 « *Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut praeceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis, ascenderunt singuli mulas suas et fugerunt* ». v. 30 « *Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens : Percussit Absalom omnes filios regis, et non remansit ex eis saltem unus* ». v. 31 « *Surrexit itaque rex, et scidit vestimenta sua, et cecidit super terram, et omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua* ». *Hebr. Chald. Syr.* pro קְרֻעִי legebant participium קְרֵעִי, ergo *stabant scissis vestibus.* Cf. 1 Reg. 22,7. — v. 32 « *Respondens autem Ionadab, filius Semmaa fratris David* » (cf. v. 3), « *dixit : Ne aestimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis occisi sint : Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus ex die, qua oppressit Thamar sororem eius* ».

Ita *Vulg. LXX* ; sed *positus* non respondet voci hebr., quae est feminina. *Kethib* שְׂוּמָה posset esse ἅπαξ λεγόμενον, correspondens Syro ܣܒܘܐ *propositum. Chald.* כמונא *insidiae. Keri* שׂוֹמָה potest esse partic. fem. kal, et cf. v. 33 expressionem שׂוֹם עַל לֵב,

sibi aliquid cordi sumere; unde nostra expressio posset habere sensum : aliquid in ore sumere vel habere, propositum habere. *Then., Wellh.* : ore exprimere ; quae prima fronte expositio pugnat cum v. 22, ubi dicitur Absalom omne indignationis signum suppressisse ; sed potuit Ionadab quaedam signa a se percepta praetendere, quia nolebat interni consilii se conscium fateri. *Aq., Symm.* pro בי falso legebant אף. Ceterum, quidquid sit legendum, sensus sufficienter patet.

v. 33 « *Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens : Omnes filii regis occisi sunt : quoniam Amnon solus mortuus est* ». v. 34 « *Fugit autem Absalom; et elevavit puer speculator oculos suos, et ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis* ».

Verba *Fugit autem Absalom* in omnibus exstant textibus : perperam igitur ea delet *Wellh.*, quasi narrationem fugae v. 37 anticipent. S. auctor revertitur ad narrationem eorum, quae post Amnonis necem in Baalhasor acta sunt, fugae Absalom in Gessur, convivarum Hierosolymam ; v. 37 historiam fugae et reconciliationis Absalom in extenso narrare aggreditur. — Lectio מדרך אחריו confirmatur *LXX* ὄπισθεν αὐτοῦ, *Chald. de post eum ; Syr.* omittit, *Vulg.* quomodo verterit *per iter devium*, non perspicitur. Expressio ex Iob 23, 8 et Is. 9, 12 (11) indubie significat *per iter ad occidentem ipsius*, quod non est plane idem, atque iter ad occidentem Ierusalem, pendet quippe nonnihil a loco, ubi consistebat puer. Iamvero *LXX* h. l. integram inserit sententiam, quae ob similitudinem cum praecedentibus facile potuit excidere, ideoque genuina est reputanda. Et quidem praecedentem sententiam concludit addita voce ἐν καταβάσει, *in descensu,* qua accuratius describitur via appropinquantium : descendebant quippe a latere montis, qui occidentem versus prominebat. Dein legunt : καὶ παρεγένετο ὁ σκόπος καὶ ἀπήγγειλε τῷ βασιλεῖ καὶ εἶπεν· Ἄνδρας ἑώρακα ἐκ τῆς ὁδοῦ τῆς Ὡρωνίν ἐκ μέρους τοῦ ὄρους ; *Et venit speculator et nuntiavit regi et dixit : Homines video de via Oronin, ex latere montis.* Ὡρωνίν videtur esse Bethhoron, cf. 1 Reg. 13, 18, quae Ios. 10, 10 sq. legitur Ὡρωνίν, iterque illuc revera vergit medium inter occidentem et septemtrionem. Ibidem sermo est de מורד בית חורן, *descensu Bethhoron,* κατάβασις, cui opponitur מעלה ב', *ascensus Bethhoron,* ἀνάβασις. Non autem possumus concedere *Wellh.*, in prioribus אחריו בו corruptum esse ex חרנים, cum nulla sit ratio corruptionis supponendae, utraque expressio possit esse vera, Bethhoron hebraice nunquam sine praefixo בית legatur. Difficultatem parit, quod *latus montis* modo reddatur per ἐκ πλευρᾶς, modo per ἐκ μέρους τοῦ ὄρους, cum idem interpres eandem expressionem bis eodem versu recurrentem non redditurus fuisset duabus diversis expressionibus (*Wellh.*). Sed num ea diversitas non potuit exstare iam in ipso originali hebraico, cuius nunc altera pars interiit ? Neque hic igitur textum *LXX* corrigere audemus.

v. 35 « *Dixit autem Ionadab ad regem : Ecce filii regis adsunt; iuxta verbum servi tui, sic factum est* ». v. 36 « *Cumque cessasset loqui, apparuerunt et filii regis, et intrantes levaverunt vocem suam et fleverunt, sed et rex et omnes servi eius fleverunt ploratu magno nimis* ». Finge in his omnibus Davidis angorem et dolorem, qui plenum sensum divinarum minarum 12, 10 sq. in se directarum nondum perspiceret, neque, quis eius successor futurus esset, tum iam nosset, sed intimo af-

fectu filio primogenito adhaereret. Iam hunc cernit similis ei, quod ipse admiserat, sceleris reum : en « malum de domo sua ». Abhinc formidat « gladium », post biennium gladius primogenitum transverberat, simul patrem altero filio exule orbans ad tempus. Num his divinae exhauriuntur minae? Id sperat pater paulatimque filio exuli, nunc natu maximo et haeredi naturali reconciliatur. Incassum ! mox ab hoc ipso filio procedit « malum », donec ipse « gladio » concidit transverberatus.

Reconciliatio Absalom tribus veluti gressibus absolvitur. 13,37-39 describitur exul a terra sancta, 14, 1-27 exul ab aula, 14, 28-33 in aulam receptus. — v. 37 « *Porro Absalom fugiens abiit ad Tholomai, filium Ammiud, regem Gessur* » (cf. 3,3). « *Luxit ergo David filium suum cunctis diebus* ». v. 38 « *Absalom autem, cum fugisset et venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis* ». v. 39 « *Cessavitque rex David persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu* ». Primum plura tentavit rex, ut Absalome potiretur ; fortasse ut traderetur, a Tholmai postulavit ; postea ab eiusmodi temperavit.

Tholmai erat Absalomis avus maternus. Ammiud cum *Vulg.* legunt *keri, kethib* quoad « melioris notae codices » (*Rossi*), *LXX Syr.*, dum *kethib* receptum et *Chald.* legunt Ammiur. — *Cunctis diebus*, supple, quibus protraxit luctum. Locutionis hoc est genus non ita logicum, sed Hebraeis familiare. Ex v. 39 patet, non cunctis vitae diebus Davidem luxisse. Bene quoad sensum *Syr. : Et permansit in luctu filii multis diebus* ; ceterum *Rossi* recenset codices quatuor, pro כלימים legentes ימים רבים. — Ter v. 34. 37. 38 habetur mentio fugae Absalom, quam uno alterove loco expungunt recentiores aliqui : a quo, textibus omnibus consentientibus abstinemus. Potuit quandoque auctor inspiratus minus concinne loqui. — *Cessavit : Vulg. LXX Syr.* legebant ויכל. *Chald. desideravit anima regis David egredi ad Absalom,* quod explicat *Arabs : voluitque egredi quaesitum eum* ; quae versiones ortae videntur ex studio explicandae formae ותכל (punctatae וַתִּכַל), cui verbo ex significatione cessandi altera derivatur *desiderio consumi.* Dein, quod verbum esset generis feminini, inseruerunt *Chald.* נפש, *Arabs* לב, quae voces genus femininum admittunt.

Cap. XIV v. 1 « *Intelligens autem Ioab, filius Saruiae, quod cor regis versum esset ad Absalom* », v. 2 « *misit Thecuam et tulit inde mulierem sapientem, dixitque ad eam : Lugere te simula, et induere veste lugubri, et ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum* » ; v. 3 « *et ingredieris ad regem, et loqueris ad eum sermones huiuscemodi. Posuit autem Ioab verba in ore eius* ». « Videtur Ioab toto tempore, quo extorris a patria vixit apud avum Absalom, de illius restitutione et revocanda gratia fuisse sollicitus. Quare in eam curam intentus omnem captabat occasionem, quae illi ad regis leniendum animum aditum aperiret » (*Sanct.*). Praevidebat Ioab Absalomem patri reconciliatum iri aliquando, eundemque regni successorem futurum coniiciebat : igitur, qua erat ambitione, totus iam ei uni stude-

bat, ut de ipso melius ceteris omnibus mereretur. — *Thecua* civitas tribus Iuda 2 Par. 11,5 sq., prope aliquod desertum sita 1 Mach. 9,33, haud longe ab Herodio (*Ios.* Bell. Iud. IV, 9.5), patria Amos prophetae 1,1, nunc Tekua, duarum horarum itinere a Bethlehem distans, meridiem versus. Utrum Thecua, sicut Abela 20,18, celebris fuerit ob sapientiam incolarum et speciatim mulierum, ignoramus. Fortasse haec una ibi mulier eminebat. Cuius sapientia non erat divinae inspirationis, sed dexteritas quaedam in rebus agendis et difficultatibus enodandis. Adhibita est Thecuitis, « quia narrare debebat aliquid obscurum et incognitum regi; si autem fuisset Hierosolymitana, quae tale quid narrasset, potuisset statim refelli a rege » (*Est.*).

Versum esset ad Absalom : recte *Vulg. Syr.* pro על intelligunt vel legerunt אל, quae voces facillime commutantur inter se. *Keil* defendit vertendum esse *contra*, עַל ; si enim cor regis versum esset *ad* Absalom, quid opus erat advocare mulierem sapientem ? Respondeas, intellexisse Ioab aliquam cordis David ad Absalom inclinationem, eamque fovisse advocata muliere, quae ne ipsa quidem omne in praesenti tulit punctum, cum rex filium utique revocaverit, sed v. 28 biennio a sui alloquio arcuerit. — Curnam Ioab non ea omnia dixit ipse ? Videtur nondum certus fuisse, idque iuremerito (cf. 3 Reg. 2,5), de regis gratia recuperata ; hinc 12,28 honorem captae Rabbath Davidi detulerat, hinc verba 14,22.

v. 4 « *Itaque, cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, et adoravit, et dixit : Serva me, rex !* » « Familiaris et quasi legitima formula, qua ab aliquo ius nostrum obtinere volumus » (*Sanct.*).

Ingressa, ותבא : ita *versiones, keri* et multorum codicum *kethib*, contra *kethib* receptum et *Chald.* ותאמר ; quam lectionem frustra *Keil* tamquam hysteronproteron tueri conatur. — *Serva me* : « me » addunt *Vulg. Syr.*, quod *Tir.* ortum putat ex addita primitus particula deprecatoria נא, ut mulier usa sit salutatione Hosanna. Legunt *LXX Serva, rex, serva*, qua repetitione *Then. Wellh.* in oratione affectum vehementem simulante delectantur.

v. 5 « *Et ait ad eam rex : Quid causae habes? Quae respondit : Heu, mulier vidua ego sum, mortuus est enim vir meus* ». v. 6 « *Et ancillae tuae erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset, et percussit alter alterum, et interfecit eum* ». v. 7 « *Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit : Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, et deleamus haeredem. Et quaerunt exstinguere scintillam meam, quae relicta est, ut non supersit viro meo nomen et reliquiae super terram* ». De cognatione cf. 1 Reg. 10,21. « Qui illam litem noluerant dirimere, nunc congregati petunt, ut sibi alter tradatur.... Quibus tacite significabat regem, qui neque Amnonem

castigasset, neque Absalomis moerorem alleviasset » (*Theodoret.*). — *Hebr. et deleamus insuper haeredem*, גם indicat, novam introduci ideam. Cognati non solum volebant legem talionis implere, sed insuper et praecipue agebantur motivo proprii lucri : exstincto quippe proximo haerede, haereditas ad cognatos descendebat, cf. Num. 27, 9 sqq. Certe ii, quibus proximum erat ius, supponuntur reliquam cognationem incitasse ; vel dici potest expressio *universa cognatio*, uti eiusmodi expressiones passim, non esse omnino literaliter sumenda. Verba *et deleamus haeredem* non sane supponi possunt a cognatis esse publice pronuntiata ; unde *Syr.* recte ad sensum vertit *et delere volunt haeredem* ; mulier vero, fictitio affectu abrepta, ea ex ore ipsorum cognatorum refert (*Calm.*). — *Scintillam meam, quae relicta est* intellige carbonem ultimum ignescentem, unicam spem resuscitandi ignis (*Sanct., Lap.*) ; similem imaginem habes 21, 17. « Cum unicus supersit tamquam pruna residua in mediis cineribus et luctuosis familiae meae reliquiis, potius ferendus quam exstinguendus est » (*Malv.*). v. 8 « *Et ait rex ad mulierem : Vade in domum tuam, et ego iubebo pro te* ». *Hebr.* et *versiones* rectius *de te*, nondum enim rex *pro* muliere decernit, sed potius inquisitionem promittit ; quae est causa, cur mulier his non contenta loqui pergat, donec v. 11 rex dicat : « Non cadet de capillis filii tui super terram » ; et tunc tandem mulier ad applicationem parabolae gressum facit. v. 9 « *Dixitque mulier Thecuitis ad regem : In me, domine mi rex, sit iniquitas et in domum patris mei : rex autem et thronus eius sit innocens* ». Intelligitur iniquitas non puniti, si quod sit, filii sceleris.

Iniquitas h. l., uti 1 Reg. 25, 24, proxime intelligitur reatus, non culpae sed poenae : quomodo enim reatus culpae domum etiam patris afficere potest ? Sed quaenam iniquitas intelligitur ? Num sola iniquitas occisi filii ? At haec penes solum fratrem est aut eius domum, certe non penes domum matris, et multo minus penes regem. Ergo intelligitur iniquitas non interficiendi occisorem (*Mar.*). « Si religio aliqua regem absterret, ne hoc filio meo condonet, existimatque placandam sibi esse interfectoris sanguine iustitiam et sanguinem interfecti a se fratris ; si metuit, ne in caput suum totumque regnum ultionem caedis huius provocet ; totam in me sumo peccati huius culpam et poenam. Puniat Deus in me crimen, cuius veniam a te postulo ». Sed quorsum haec ? « Quia a rege sibi mulier cavere vult, interposita *iurisiurandi* religione, ne quid a cognatis accidat adversi » (*Sanct.*, cf. *Calm.*). Mulier omnino vult, interposita iuramenti religione, filii, cuius effingit infortunium, vitam impetrare. Hinc, quisquis tandem e regis mente fuerit verborum v. 8 sensus, simulat se illa de sola inquisitionis promissione intelligere, atque putare regem quodam legis talionis tuendae scrupulo teneri. Ita sane rex intellexit.

v. 10 « *Et ait rex : Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, et ultra*

non addet, ut tangat te ». Tangit matrem, qui adoritur filium : plus igitur iam concedit rex quam causae inquisitionem, ipsam filii incolumitatem promittit.

Pro *qui LXX Chald. Syr. quicunque.* Si aliud ab *Hebr.* legebant, quod minime necesse est supponere, potius legerunt כל, ortum ex repetitione duarum ultimarum literarum vocis מולך, quam מי (*Then.*), quod sensu *quicunque* in libris Samuelis nullibi adhibetur, etenim 18, 12 praeferendum est keri לי, et 20, 11 habetur מי אשר. — *Hebr. qui locutus fuerit ad te* est quasi hyperbole : quicunque locutus fuerit, non dico contra te, sed vel solum ad te, de isto negotio, illum adduc etc.

v. 11 « *Quae ait : Recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, et nequaquam interficiant filium meum* ». « Recordatio hic pro iuramento posita est » (*Ps. Hier.*). « Recordari Dei h. l. idem videtur esse, quod iurare ; quod David ipse docuit, qui statim obsecutus Thecuitidis precibus iusiurandum adhibuit » (*Sanct.*). « Vult (mulier) regem promissionem suam iureiurando confirmare, quasi dicat : Si interdixeris uni tantum, statim emerget alius, qui filium meum occidat ; ita eris causa, quod ultores sanguinis effusi existant multi » (*Vatabl.*). — Eundem quem *Hebr.* textum legebat *Vulg.* ; eundem *Syr.*, nisi quod pro לשחת legebat לא שחת ; in quo a *LXX* deseritur, qui rursum מ in מהרבות ignorabant ; *Chald.* paraphrasi rem non explicat, sed confundit. Omnibus attentis textus Hebr. genuinus habendus est. Sensus est : Ne multiplicentur numero ultores sanguinis ad destruendum, et sic tandem exterminent filium meum. Adduci (v. 10) ultor potest, quando est unicus ; si plures sint, dum unus adducitur, alter ferit, cf. *Sanct.*, *Mar.* « *Qui ait : Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram* ». Optatum tandem mulier nacta est iusiurandum, cuius efficaciam vide 12, 5 sqq. Fateor equidem, parabolam ab hac muliere prolatam longe minus efficacem mihi videri illa, quam protulit Nathan, qua illico rex ad iusiurandum praestandum motus est : defectus is est mulieris, non scripturae. v. 12 « *Dixit ergo mulier : Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait : Loquere* ». Parabolam applicare aggreditur mulier. v. 13 « *Dixitque mulier : Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, et locutus est* », i. e. cogitavit, « *rex verbum istud, ut peccet et non reducat eiectum suum ?* » Consilium non revocandi eiecti sui, Absalomis, ipsum est illud scelus contra populum Dei admissum, et a muliere aequiparatur letalibus v. 7 cognatorum insidiis. Cernit hic *Amama* argumemtum quoddam ab eventu turpi : « quasi dicat : Rex in simili causa dissimilem iam tulit sententiam ; eo ipso se quasi reum peregit, dum perseverat in proposito non revocandi expulsum ». Ea revocatio ex mente mulieris et Ioabi populo Dei est ne-

cessaria, quod Absalom nunc sit aetate maximus haeresque regni naturalis. Recte enim ex absoluto scripturae post Amnonis necem de Cheleab, altero Davidis filio 3, 3, silentio concludimus, Cheleab eo tempore non iam fuisse superstitem, ideoque Absalom fuisse natu maximum. « Denique multorum ad se studia atque animos, qua erat morum suavitate, allexerat Absalom, qui illius causa arma libenter sumerent, sicut fecere postea in causa, quae nullam habere videbatur honestatis speciem » (*Sanct.*). — כאשם (*Vulg. ut peccet*) secundum diversam punctationem verti potest, aut *tamquam reus* (*Chald. Syr.*), aut *quasi delictum* (*LXX Symm.*), quod alterum fortasse ob parallelismum cum כזאת erit praeferendum. v. 14 « *Omnes morimur, et quasi aquae dilabimur in terram, quae non revertuntur* », seu potius, quae effusae colligi nequeunt. « Nostrum vivere longum quoddam et familiare mori est. Ut enim aqua in declivi loco semper labitur, donec se marinis fluctibus infundat, sic etiam ad mortem properat, et cum morte convivit aut etiam commoritur vita mortalium » (*Sanct.*). Vel pluviae aqua intelligi potest (*Lap.*), non tamen debet. Generatim exprimitur brevitas et miseria vitae humanae, cuius consideratio utique ad abdicandam vindictam impellit : cur persequatur homo reum, brevi naturae debitum soluturum ?

Aliter *Theodoret.* : « Non potes *illum* (Amnonem) a mortuis excitare : cur studes hunc quoque interimere, ut vivas orbatus duobus ? » *Malv.* : « Oportet te statim, o rex, parcere Absalomi et providere de successore, ne mors *te* praeoccupet, ac relinquas regnum civilibus bellis obnoxium ». *Cler.* : « *Absalom* posset mori in exilio ; quodsi contingeret, rex eum nunquam esset vivum conspecturus ; itaque satius multo foret, si quam primum ab exilio revocaretur. Infirma est ratiocinatio, et qua quodvis scelus potuisset excusari ». Infirma omnino, at Clerici tota, non Thecuitidis. Ratio, cur hi aliique interpretes argumenti vim non perspexerint, est quia nimis accurate et profunde hanc verbosam mulierem supponebant esse locutam. Ipsa in exordio adhuc sermonis versatur : cf. v. 15 « Nunc igitur veni, ut loquar... Loquar ad regem » ; v. 17 « dicat ergo ancilla tua » ; quod exordium sapiens rex v. 18 interiecta interrogatione truncavit. Indicat mulier motiva quaedam introductoria et magis indeterminata, et quidem his verbis brevitatem et miseriam vitae humanae universim spectatae.

« *Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abiectus est* ». Alterum habes mulieris motivum introductorium : Dei in abiectos misericordia commendatur tamquam exemplar humanae misericordiae (*Ps. Hier.*). Deus non vult perire animam, i. e. vitam, immediate post commissum scelus, sed retexit consiliorum suorum texturam, ne etc. — Facile in Davide hoc argumentum excitavit memoriam misericordiae, sibi a Deo post Uriae necem adhibitae, « cum duas protulit voculas in testimonium poenitentis animi » (*Sanct.*) ; ad

eam tamen necem mulier, quod sentit *Castalio*, alludere minime intendebat, haud quippe tutum ad regum alludere scelera. — *Chald.*, elohim interpretatus iudicem humanum, textum mire torsit. Peius *Cler.* interpretatur principem : « Annon princeps ignoscere potest alicui, et excogitare rationem, ne exulem a se depellat ? » Languidissimum sane argumentum, cui facile opposuisset David, a posse ad esse non valere illationem. — Negationem initio sententiae omittit *LXX*, sed si legas ad modum interrogationis, manet idem sensus. — *Hebr. ne abiiciatur abiectus : abiectus* h. l. non intelligitur idem, qui v. 13 *eiectus* dicebatur, sc. Absalom, sed omnes abiecti et miseri universim. Apposite omnino supplevit *Vulg.* vocem *penitus,* unde solvitur *Wellh.* obiectio, non abiici iam abiectum ; potest linum fumigans exstingui. — Pulchre argumentum amplificat *Duguet* : « Quare, o rex piissime et religiosissime, non imitaris Dei bonitatem, qui, utvis sollicitus sit suarum legum conservandarum scelerumque mulctandorum, tamen tanta patientia maximos peccatores sustinet ? qui, ne accelerata vindicta ineluctabiliter perdat, vivere sinit et tempus poenitentiae concedit ? Nonne, quod opportunis per terram Israel spatiis civitates refugii distribuerit, eum sanguini velle parcere comprobat ? Qui, quando sceleratos ab aspectu arcae et publici cultus solemnibus exulare iubet, tempus tamen definit, quo absoluti exilio restituantur patriae civiumque iuribus ».

v. 15 « *Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, praesente populo* ». Ita *Vulg. LXX*, quod exponit *Sanct.* : ut testes regii iuramenti haberem multos. Ioab certe aderat, et sine dubio etiam alii. Sed *Hebr. Chald. Syr.* legunt : *quoniam timere me fecit populus.* Quem *Cler.* intelligit cognatos, cum supponat mulierem relabi in fictitiam illam narrationem periclitantis filii : sed num cognati apte vocantur *populus ?* Hinc *Vatabl.* interpretatur ipsum populum, « qui dicebant, si rem aperte » et sine filiorum parabola, « tibi declararem, fore ut excandesceres ». Sed num verisimile est, mulierem, antequam ad regem ingrederetur, cum populo deliberationem aliquam instituisse ? Praeplacet « verbum hoc » cum *Calm.* interpretari parabolam filiorum : Parabolam tibi, o rex, proposui, verebar enim populi tibi circumfusi coronam.

« *Et dixit* », cogitavit apud se (*Malv.*), « *ancilla tua : Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillae suae* », — recte pergit *LXX et audiat rex, ut liberet etc. ;* est enim v. 16 continuatio praecedentis sententiae — v. 16 « *et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de haereditate Dei delere me et filium meum simul* ». *Haereditas Dei* proxime intelligitur gens electa, mediate eiusdem possessiones. Exponit igitur mulier satis verbose, adactam se

esse verecundia adstantium et regiae clementiae fiducia ad regem parabola alloquendum ; simul tamen astute repetit, quam rex iuramento iam coram testibus sanciverat incolumitatis filii promissionem, ut intelligat rex, concedi oportere veritati, quod parabolae iam fuerit concessum (*Duguet*). v. 17 « *Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium* ». Rectius : Dixit ergo, sermonem absolvit ancilla tua, et fiat etc. Soli *LXX Dixit mulier*, ut verba non sint pars praecedentis orationis : sed praestat reliquorum lectio. Concluditque orationem vel potius orationis exordium mulier apprecatione et commendatione regiae sapientiae et divinae assistentiae. Sed *Hebr. Chald.* pro מְנֻחָה punctabant מְנֻחָה : ergo *verbum regis sit in requiem*, praestet pacem et veniam Absalomi, vel nobis pro Absalome supplicantibus (*Duguet*). Cum mulier omnino supponat, hanc pacificam solutionem esse unice veram et rectam, ideo eius obtinendae spem confirmat celebrata regis sapientia Deique providentia : « *Sicut enim angelus Dei, sic est dominus meus rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur, unde et Dominus Deus tuus est tecum* ». Reliqui simplicius *ut audiat bonum et malum* et, cum audiendi verbum etiam adhibeatur ad significandam intellectionem rerum auditu perceptarum (cf. Gen. 11, 7 ; 42, 23 ; et h. l. v. 20), *ut discernat bonum et malum*. His tertium comparationis inter regem et angelum circumscribitur. — *Unde* addit *Vulg.* exprimens, uti videtur, speciale Dei auxilium consequi regis sapientiam eiusque intuitu dari ; dum reliqui, solam copulam legentes, illa duo coordinant, ut propter duplicem rationem regiae sapientiae et divini luminis mulier confidat petita concessum iri.

v. 18 « *Et respondens rex; dixit ad mulierem : Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo* ». דבר sine articulo, ergo « ne verbum quidem me celaveris » (*Wellh.*). « *Dixitque ei mulier : Loquere domine mi rex* ». v. 19 « *Et ait rex : Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* » Ex qua interrogatione patet, Ioabum iam prius Absalomis partes sustinuisse. Emortuo sc. Amnon, vir ambitiosus eum, qui nunc natu maximus esset, conciliare sibi studuerat ; uti postea Adoniam. « *Respondit mulier, et ait : Per salutem animae tuae, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est ex omnibus his, quae locutus est dominus meus rex* ». Versiones recte intellexerunt, איש poni pro יש *est*. Subiectum sententiae non est mulier (*si deflexi, Syr.*) ; sed, si deflectendi vocem claritatis gratia addi lubeat, vertendum est cum *Chald.* : *si est deflexio*. Verbotenus : Si est aliquid sive ad sinistram sive ad dexteram omnium, quae etc. Et sensus est vel : Profecto, non est quidquam praeter illud, quod *intelligit* rex ; rex cuncta perspicit nec quidquam celari potest (*Sanct.*) ; « rem ipsam attigisti, nihil aberrans huc aut illuc »

(*Sa*). Vel : Profecto, non est quidquam praeter illud, quod *iubet* rex ; non est possibilis evasio regii mandati, unde neque est timendum, me quidquam fore celaturam (*Calm.*). « *Servus enim tuus Ioab ipse praecepit mihi, et ipse posuit in os ancillae tuae omnia verba haec* ». v. 20 « *Ut verterem figuram sermonis huius, servus tuus Ioab praecepit istud* ». *Symm. ad circumducendam prosopopoeam sermonis huius*. Cum quo interpretes generatim intelligunt figuratam seu parabolicam adhibiti sermonis formam : Ioab praecepit mihi, ut uterer parabola. *Vatabl.* censet, דבר intelligi posse non sermonem mulieris, sed quod agitatur negotium ; ergo « ut mutarem conditionem negotii », ut Absalomi veniam impetrarem. « *Tu autem, domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram* ». v. 21 « *Et ait rex ad Ioab : Ecce placatus feci verbum tuum ; vade ergo, et revoca puerum Absalom* ». *LXX Syr.* legebant כְּאֲשֶׁר, quod *Vulg.* in forma כַּשֶּׁר (cf. Est. 8, 5) vertit *placatus*. Sensus est : Ecce feci secundum verbum tuum. Praeteritum exprimit, rem firmiter esse decretam. v. 22 « *Cadensque Ioab super faciem suam in terram, adoravit et benedixit regi ; et dixit Ioab : Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex : fecisti enim sermonem servi tui* ». v. 23 « *Surrexit ergo Ioab et abiit in Gessur, et adduxit Absalom in Ierusalem* ». Putabat Ioab, se nunc tandem in plenam cum rege gratiam rediisse, cuius argumentum ipsi erat tanti momenti concessa petitio. Prius variis usus fuerat artibus (12, 28 ; 14, 2), ex quibus colligere licet, eum de regis gratia necdum fuisse certum. v. 24 « *Dixit autem rex : Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat. Reversus est itaque Absalom in domum suam, et faciem regis non vidit* ». Remanserantne intacta domus et bona Absalom ? Crediderim propter uxorem et filios : sed tum vix intenderat David exilium perpetuum. — Ab aula Absalom excluditur. « Quod factum est a Davide, ut ferox Absalomis ingenium contineret in officio, utque ex poena diuturniore admissi criminis gravitatem agnosceret » (*Menoch.*). « Prudenter », inquit *Sanct.*, « se h. l. gessit David ; sic enim voluit Ioab et populi votis satisfacere, ut tamen non videretur iustitiae et humanitatis immemor ». E contra queritur *Then.*, imperfectam hanc veniam obfuisse Absalomi, non profuisse. Iuste utique agebat David, maxime qui in Amnonem lenitate deliquisset ; potuit tamen iusta et prudens punitio Absalomi, ob insitam vafritiem, occasio esse gravioris sceleris. v. 25 « *Porro sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israel, et decorus nimis* » ; — *Hebr.* et *versiones* habent *laudabilis nimis :* ponit causam pro effectu *Vulg.* — « *a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula* », i. e. defectus. v. 26 « *Et quando tondebat capillum, semel autem in anno tondebatur, quia gravabat*

eum caesaries, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico ».

Semel in anno, Syr. ab anno ad annum. Expressio מקץ ימים ליומים non est identica cum expressionibus Gen. 8, 6 ; 16, 3 ; 2 Par. 18, 2, videturque significare *a fine anni ad annum*, seu *quotannis in fine anni*. Nota, certum non raro tempus publica superstitione tondendis assignari capillis. *Ios.*, uti saepe, rem exaggerat : « aegre octo diebus tondebatur ». — *Pondere publico. Hebr. lapide, i. e. pondere regis.* Ex hoc nomine aliqui concludunt intelligi pondus a pondere sanctuarii (Ex. 30, 13 ; Lev. 27, 25 ; 1 Par. 23, 29) distinctum ; fuisseque illud aut pondus aliquod hebr., a pondere sanctuarii diversum, aut pondus regis magni, i. e. babylonicum (*Calm.*). Ex qua tamen altera hypothesi perperam post *Le Pelletier* (apud Calm.) inferunt *Then.*, *Wellh.*, nostrum versum scriptum esse post exilium ; etenim antiquissimum erat Babyloniorum commercium, et consequenter babyloniorum ponderum per universum orientem usus. Sed hodie pondus regis idem esse statuitur, quod sanctuarii. Unde causantur multi, impossibile videri unius hominis comam ad ducentorum siclorum pondus excrescere, i. e. 3274 gramm. ; unde *Mar.* antiquissimum quemdam, quippe qui in omnes versiones transierit, suspicatur errorem, dum *Lap.* audacter negat, hoc pondus Absalomem gravasse, « quia haec coma erat capiti eius connaturalis, unde facile ab anima capitis sustentabatur ». Respondeas, in textu non agi de pondere comae, sed de pretio, quod utique argenti pondere determinabatur (*Sanct., Tir.*). Neque intrinsecus comae valor aequabat ducentos siclos seu 9375 fr., neque comae tum vulgo vendi consueverant, sed tantum pro illa solvebant principis adulatores.

v. 27 « *Nati sunt autem Absalom filii tres et filia una, nomine Thamar, elegantis formae* ». v. 28 « *Mansitque Absalom in Ierusalem duobus annis, et faciem regis non vidit* ». Sicut recensebatur 3, 2 sqq. familia David in Hebron imperantis, 5, 13 sqq. familia eiusdem Hierosolymis regnantis, 4, 2. 4 familia Isboseth, 8, 16 sqq. aula Davidis primum perfecte constituta, 20, 23 sqq. eadem post Absalomi cladem restituta : ita h. l., quo Absalom iamiam est ad breve interregnum elevandus, recensetur eiusdem familia.

Filiorum nomina non traduntur, vel quod iuniores adhuc (cf. 18, 18) neque ullo praeclaro facinore peracto mortui sint (*Sanct.*), vel quod a Salomone ab omnibus officiis et honoribus exclusi, obscuram egerint vitam. Nomen filia videtur esse nacta, cum ob formae elegantiam palmam aemulantis, tum ob memoriam dilectae atque stupratae sororis (*Sanct.*). Iamvero 3 Reg. 15, 2. 10 et 2 Par. 11, 21 sq. uxor Roboam et mater Abiae vocatur Maacha, filia Absalom ; huncque intelligi Davidis filium rebellem, patet 2 Par. 11, 18, ubi docemur uxores principales Roboami omnes ex regia stirpe fuisse assumptas. Eadem uxor 2 Par. 13, 2 vocatur, mendose uti videtur, Michaia, filia Uriel de Gabaa. Iam, quod Thamar attinet et Maacham, variae praesto sunt solutiones. Prima tenet, utrumque nomen eiusdem mulieris fuisse proprium (*Sanct.*) ; altera, fuisse mulieres diversas (*Calm.*). Sed cur tunc h. l. non recensetur Maacha ? Probabilius, quod tempore narrationis cap. 14 nondum fuerit nata ; accedit ratio altera probabilis, quod fuerit filia Absalomi ex una concubinarum Davidis

(16,22). Et haec solutio omnino praeplacet. Quod *LXX* h. l. addunt : « et facta est uxor Roboam filio Salomonis, et peperit ei Abiam », certissime est interpolatum.

Tandem Absalom ad aulam quoque iterum admittitur. v. 29 « *Misit itaque ad Ioab, ut mitteret eum ad regem ; qui noluit venire ad eum* ». « Peritus aulicus postulata sua omnia considerat, neque ad rem tentandam nisi de eventu securus accedit » (*Calm.*). Mittendus ad regem Ioab, cf. v. 32. « *Cumque secundo misisset et ille noluisset venire ad eum* », v. 30 « *dixit servis suis : Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei : ite igitur, et succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalom segetem igni* ». Sequens pars versus ex *LXX* in *Vulg.* penetravit (*Verc.*). (« *Et venientes servi Ioab, scissis vestibus suis, dixerunt : Succenderunt servi Absalom partem agri igni* ».) v. 31 « *Surrexitque Ioab et venit ad Absalom in domum eius, et dixit : Quare succenderunt servi tui segetem meam igni ?* » Hinc infert *Clair*, Absalomi tum non licuisse domo sua excedere. v. 32 « *Et respondit Absalom ad Ioab : Misi ad te obsecrans, ut venires ad me, et mitterem te ad regem, et diceres ei : Quare veni de Gessur ? melius mihi erat ibi esse. Obsecro ergo, ut videam faciem regis : quodsi memor est iniquitatis meae, interficiat me* ». *Hebr. quodsi est in me iniquitas* : intellige, iniquitas praeter illam facto revocationis iam condonatam ; vel absolute : malo mori quam venia frui, qua patris aspectu excludar. v. 33 « *Ingressus itaque Ioab ad regem, nuntiavit ei omnia, vocatusque est Absalom, et intravit ad regem, et adoravit super faciem terrae coram eo, osculatusque est rex Absalom* ».

b. Interitus Absalom 2 Reg. 15,1-20,26.

Absalome patri reconciliato, omnia videbantur composita ; regem interim angebat timor, ne « malum de domo sua » (12,11) forte nondum cepisset finem, ne forte « gladius » (12,10) nondum reductus esset in vaginam. Quaenam interim Absalom mente volvebat consilia ? Amnon licentiosus fuerat, violentus, incurius. Absalom sui compos, astutus, ambitiosus. Sororem paucis silere iubet, odium biennio dissimulat, dein fratrem hospitem trucidat. Non sola stimulabatur stupratae sororis iniuria, sed consilium ceperat Amnonis vita simul et regno privandi, lucro sibi versurus sororis opprobrium. Impunitatem promittebat Davidis in Amnonem lenitas ; offendit animum patris de filio stupratore interempto diuturnior luctus ; exacerbavit dimidiatim concessa venia. Hinc primum nata in patrem aversio, hinc eius regno eiiciendi consilium. Petit simulata pietate Absalom, ut ad aulam rursus admittatur, non

quo genitoris fruatur amplexu, sed ut impiae ambitioni efficacius queat indulgere : nec suspicantem osculo prodit.

Narratio commode in duas partes distribuitur, quarum prior Absalomis defectionem, altera eiusdem stragem refert.

Absalomis defectio 2 Reg. 15,1-16,14.

Arg. — 15, 1-13 docemur, quomodo Absalom assumpto 15, 1 regio statu, et devinctis sibi v. 2-6 civium animis defectionem praeparaverit, quam tandem v. 7-13 Hebrone compleverit. 15, 14-37 narratur Davidis ex Hierosolymis egressus, simul tamen penes ipsum germina panduntur rerum aliquando feliciter restituendarum : adsunt quippe v. 14-23 probatorum heroum legiones, adsunt cum filiis pontifices 24-30 regem de Absalomi consiliis certiorem facturi, adest 31-37 Chusai ipsa Absalomis consilia subversurus. Subnectitur 16, 1-14 factum Miphiboseth et Semei. Haec narrationis pars concluditur Absalomis Hierosolymis adventu 15, 37; 16, 15.

Cap. XV v. 1 « *Igitur post haec fecit sibi Absalom currus et equites, et quinquaginta viros, qui praecederent eum* ». Cum 3 Reg. 1, 5 Adonias regnum usurpaturus eundem fastum assumpserit, is certe regis proprius erat, et quidem regis Iudaeorum. Superflue igitur *Then.* coniicit, Absalomem ea in re avum Tholmai esse imitatum. Aliunde assumptus ille fastus in eo videbatur posse excusari, qui regis successor futurus merito praesumeretur.

Cum *Then.* et *Keil* putat *Clair*, בְּאַחֲרֵי כֵן, qua distinctum ab אַחֲרֵי כֵן, significare *brevi post haec*, et appellant ad 3, 28 ; at fundamento caret coniectura. — *Hebr. currum*, quem singularem versiones interpretatae sunt collective. Potest etiam intelligi unicus currus, regio fastu adornatus equorumque numero conspicuus. — *Equites : LXX equos* ; vox hebr. utrumque significat, primarie equos. Ambigi igitur potest, intelliganturne equi curribus trahendis, an vehendis viris destinati.

v. 2 « *Et mane consurgens Absalom stabat iuxta introitum portae, et omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, et dicebat : De qua civitate es tu? Qui respondens aiebat : Ex una tribu Israel ego sum servus tuus* ». Primo mane adstabat prope portam, qua ad regium intrabatur tribunal. v. 3 « *Respondebatque ei Absalom : Videntur mihi sermones tui boni et iusti, sed non est, qui te audiat, constitutus a rege* ».

Putat *Then.* agi de officialibus, qui quaerelas examinarent, regique examinatas proponerent definiendas. Sed ex Absalomis verbis « Quis me

constituat iudicem » potius efficitur, intelligi iudices proprie dictos, qui ipsi definirent. מאת המלך non est proprie *constitutus a rege*, sed *a parte regis*, qua expressione ipse quidem rex non directe accusatur, ast neque eximitur accusatione; imo accusatio, etiam quo in casu immediate alios ferit, ultimatim recidit in regem. Iam eiusmodi iudices nulli esse dicuntur, vel quod reapse nulli fuerint constituti, quod tamen parum videtur probabile, vel quod constituti commissum sibi munus neglexerint (*Malv.*), aut administraverint venaliter (*Sanct.*), aut essent numero pauciores. Ceterum merito notat *Est.*, accusationis inanitatem probabilem fieri ex facto regis audientis mulierem Thecuitidem. « *Dicebatque Absalom* » : v. 4 « *Quis me constituat iudicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium* » — reliqui *litigationem et iudicium* — « *et iuste iudicem* ! » *Hebr. et eum iustum ostendam*, declarem. Singulorum causam prima fronte iustam esse declarabat, neque aliud desiderari, quam ut aliquis constitueretur, qui id pro tribunali declarare curaret, aut perspicere valeret. Ex 1 Reg. 8 concludere licet, iustitia inique administrata populum facillime omnium ad tumultum potuisse excitari, ergo etiam eiusmodi iniquitatis suspicione et melioris administrationis promissione. v. 5 « *Sed et cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, et apprehendens osculabatur eum* ». *Hebr.* exprimit salutationem, quae fiebat prostratione in terram. Familiari modo etiam inferioris conditionis homines salutabat Absalom. v. 6 « *Faciebatque hoc omni Israel venienti ad iudicium, ut audiretur a rege, et sollicitabat corda virorum Israel* ». *Hebr. Chald. furabatur, Syr. alienabat, LXX* ἰδιοποιεῖ ; cf. Gen. 31, 20 ; corda regi abalienabat, sibi devinciebat.

Rebus ita praeparatis, iam in apertam rebellionem prorumpit Absalom. Ubi indagandae sunt causae, ob quas tam prospere ei res cessit. « Nunquam », inquit *Calm.*, « desunt in populo seditiosi, turbarum novarumque rerum cupidi. Factio Saulis nondum penitus exstincta erat. Ioabus secundus a rege indolem habebat superbia et fastu intolerabilem. Impunita eius crimina invidiam conflabant regi, qui nihil grave in illum decernere ausus fuerat. Ipse pariter David adversariis suis causam praebuerat tum crimine cum Bethsabee, cum illata Uriae nece, quae duo scelera manifesta erant et odiosa, praesertim in rege. Quod autem Absalomo maxime favit, incuria iudicum in rebus populi cognoscendis fuit ; neque enim adeo ea de re doluisset Absalom, nisi eius querelae aliquem veritatis colorem habuissent ». Adde egregiam principis formam, miram affabilitatem, qua innumeros omnium tribuum viros sibi conciliaverat, illos maxime, qui postea adversam sententiam nacti male affecti a rege discesserant. Dein ipse praesumebatur haeres regni futurus, ne ob attentatam quidem rebellionem ab indulgentiore in filios parente successione excludendus (cf. 18, 5).

Quis auderet illius se partibus non adiungere, qui, victor an victus, arbiter rerum quondam futurus sciretur ?

v. 7 « *Post quadraginta autem annos dixit Absalom ad regem David : Vadam et reddam vota mea, quae vovi Domino, in Hebron* ». Loci nomen ad *vadam et reddam* refertur (cf. v. 10), non ad *vovi*. v. 8 « *Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriae, dicens : Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino* ». Eadem expressio Ex. 3, 12 ; 10, 26 de sacrificio adhibetur ; ante exstructum templum sacrificia urbe Hierosolymitana non circumscribebantur. Lege *quatuor annos* cum *keri*, *Syr.*, *Ios.*, *Theodoret.* : ex ארבע שנים facillime oriri potuit ארבעים שנה. Totum Davidis regnum quadraginta annos non excessit. Intelligitur quadriennium post perfectam Absalomis cum Davide reconciliationem (*Ios.*), nam animadversiones chronologicae 13, 23. 38 ; 14, 28 ; 15, 7 invicem excipiunt et ab invicem computantur. — v. 9 « *Dixitque ei rex David : Vade in pace. Et surrexit, et abiit in Hebron* ». Quae tum erat urbs post Ierusalem tribus Iuda princeps, cuius sane imprimis tribus homines sibi affabilitate Absalom devinxerat. Inde Davidis regnum ortum duxerat, pluresque fortasse civium translatum inde Hierosolymam regnum aegre ferebant (*Then.*) pronioresque erant, qui principis Hebrone nati, formosi et affabilis partibus studerent. v. 10 « *Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens : Statim ut audieritis clangorem buccinae, dicite : Regnavit Absalom in Hebron* ». Clangor buccinae insolitum quid portendebat. Eo de Hebron exaudito, urbes adiacentes tuba et ipsae incolas convocaturae erant, ut, si quod periculum immineret, se defenderent, si quid fausti evenisset, praesto adessent. Qui tubae clangor paulatim de civitate in civitatem propagabatur. Quo dein tempore homines armati, quid causae esset adhuc ignorantes, confluerent, exploratores pro Absalom conclamaturi erant, incertasque turbas in eius partes traducturi. Ergo non est necesse supponere cum *Cler.*, etiam buccinatores ab Absalome fuisse provisos : tot enim buccinatorum per universam regionem concursationes Davidem nequaquam latere potuissent. v. 11 « *Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, et causam penitus ignorantes* ». Cur fuere praetextu sacrificii invitati ? Ut eorum auxilio careret David, inquit *Abul.* ; quae ratio eo magis cogit, si supponas eos viros plus auctoritate valuisse, quam corporis robore. « Ut ascitis secum viris, de quorum fide dubitabat nemo, omnem ipse coniurationis et doli suspicionem adimeret », inquit *Sanct.* « Ut populo fucum faceret, omnia ista fieri, adeoque et inaugurari se et regem proclamari, volente ac iubente patre », inquit *Tir.* Ut obsides essent, addit *Then.*, pro familia-

ribus Hierosolymis degentibus. v. 12 « *Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem, consiliarium David, de civitate sua Gilo* ».

Pater erat is Eliam, qui 23,34 inter heroas David recensetur. Gilo, in montanis Iuda sita Ios. 15,51. *Accersivit* : versiones omnes legebant וישלח ; nisi arbitrarie textum emendare velimus, dicendum erit, expressionem שלח בן etiam habere sensum accersendi, quatenus mittatur mandatum, et mandato persona quasi de uno loco in alterum mittatur. Explicat *Syr. misit ad eum . . . et adduxit eum.*

« *Cumque immolaret victimas, facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom* ». Ex 19,10 Absalom tum etiam unctus est (*Menoch.*). « Videtur Absalom multos consumpsisse dies in victimarum immolatione, ut honesta praetexeretur species improbo consilio » (*Sanct.*). Plures, qui sincero animo advenerant, coniurationi se adiunxerunt ; multi consiliis pridem obscure tantum cognitis plenum praestitere assensum ; concurrebat populus (cf. v. 10) ex universis tribubus Israel. Reliqui textus verba *cum immolaret victimas*, postposita copula ad praecedentia trahunt ; sed num tum tandem accersivit Achitophel David ? v. 13 « *Venit igitur nuntius ad David, dicens : Toto corde universus Israel sequitur Absalom* ». Expressionem habes 2,10 et 1 Reg. 12,14. En rursum « gladius » animo haud opinantis regis obiectus.

Iam narratur Davidis fuga. v. 14 « *Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Ierusalem : Surgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium a facie Absalom ; festinate egredi, ne forte veniens occupet nos* », *Hebr. ne forte ipse festinet nosque assequatur,* « *et impellat super nos ruinam* », vel quatiens muros arietibus (*Sanct.*, cf. 20,15), vel sensu figurativo, « *et percutiat civitatem in ore gladii* ». Ad quaestionem, cur David, rex fortissimus, illico fugae se dederit, primum notat *Calm.* : « Neque panico terroris sive turbatae phantasiae ludibrio, quae discriminis metum augeret, haec deputanda sunt : exhibet enim sese sub ipsis Hierosolymae moenibus, et nondum traiecto torrente Cedron, cautiones occupantem omnes, quas prudentia in his rerum articulis dictat ». Iam ratio fugae nostro versu clare enuntiatur : pro certo habebat David, se tum urbem contra Absalom omnino non posse tueri. Cur ita ? « Nuntio ex omnibus regni civitatibus allato exortae universalis et unanimis rebellionis, iudicavit David etiam Hierosolymis esse, qui filio secrete faverent » (*Duguet*). « Neque erat urbs tanta, tot incolis referta, commeatu necessario instructa » (*Tir.*). Imo ex servorum regis fortissimorumque militum alacritate in urbe munita deserenda concludere fas est, rebellionem in ipsam urbem penetrasse. Videtur ibi quoque clanguisse tuba, proclamatum esse Absalomi regnum, plurima regia supellex esse occupata. Uni-

ca illa vox v. 13 « Toto corde universus Israel sequitur Absalom » compendio resumit plurimos numero nuntios, qui aliam post aliam urbes defecisse, ipsamque tandem Ierusalem non iam esse tutam nuntiaverant. v. 15 « *Dixeruntque servi regis ad eum : Omnia, quaecunque praeceperit dominus noster rex, libenter exsequemur servi tui* ». v. 16 « *Egressus est ergo rex et universa domus eius pedibus suis, et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum* ». *Pedibus eius* habet *Hebr.*, quod cum *Chald. Syr.* vertendum est *cum eo* seu *post vestigia eius*, cf. v. 18 et Iud. 4, 10. Concubinae relinquebantur, quia in tanta perturbatione et festinatione non poterant in locum tutum convenienter abduci ; domus curam eo modo, quo mulieres solent, gesturae erant (*Menoch.*), simul praesidio futurae, ne ante Absalomi adventum a plebe illa diriperetur (*Sanct.*) ; nihil illis timebatur, quas regia consuetudo coram plebe nobilitaret (*Sanct.*), sanguinisque affinitas ab Absalomis, uti putabatur, libidine defenderet. v. 17 « *Egressusque rex et omnis Israel pedibus suis* », i. e. post eum, cf. v. 16, « *stetit procula domo* », v. 18 « *et universi servi eius ambulabant iuxta eum, et legiones Cerethi et Phelethi, et omnes Gethaei, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites* », vel potius *venerant in vestigio eius (Hebr.)*, ergo secuti eum fuerant, « *praecedebant regem* ». Certo aliquo extra urbem loco substitit rex, ut intelligeret, quinam sibi adhaererent, eisque tempus concederet agminis ordinandi ; inde iam ita processit, ut familiares eius *iuxta eum* ambularent seu *transirent (Hebr.)*, lectissimae vero copiae agmen ducerent, quo ex ordine itineris illud sequi videtur, magis immediate sibi tum regem ab incolis regionis, quam peragrabat timuisse, quam ab insequente Absalomis exercitu.

Omnis Israel. Ubi *Vulg.* videtur legisse ישראל, *Chald.* legebat איש ביתו vel איש ; sed *Hebr. Syr.* legebant העם *populus*, itemque *LXX*, qui tamen expressiones *omnis populus* et v. 18 *universi servi eius* alteram in alterius locum supposuerunt, perperam utique, nam expressiones apud reliquos omnes eodem ordine, atque apud *Hebr.*, se excipiunt. Iam *omnis populus* h. l. non intelligitur omnis Israel, is enim Absalomem potius sequebatur, sed omnes Davidis asseclae universim spectati.—*Procul a domo.* Obscurum בית המרחק locum significat, ubi substitit rex ordinandi agminis causa. Ille locus propius ab urbe distabat quam torrens Cedron (v. 23) et mons Olivarum (v. 30). Iam *LXX*, quae h. l. duplicem eiusdem textus versionem contexit, illas voces hebr. modo reddit ἐν οἴκῳ τῷ Μακράν, ubi Μακράν nihil aliud esse existimo, nisi partim corruptam transpositionem consonantium vocis מרחק ; modo ἐπὶ τῆς ἐλαίας ἐν τῇ ἐρήμῳ, legens בְּזֵית הַמֶּרְחָק, *sub oliva remota*, מֶרְחָק interpretata regionem remotam i. e. desertum ; quae interpretatio, deficiente meliori, satis placet, dummodo advertas non posse intelligi nisi arbor, ab urbe quidem aliis remotior, attamen cis torrentem Cedron exsurgens. *Then.* interpretatur « apud domum urbis extremam », ubi tamen illud offendit, absolutum בֵּית significare « in domo », non vero « apud domum » (*Wellh.*). — *Pugnatores validi* : hae voces in reliquis textibus desunt, videntur huc

delapsae ex confusione textus LXX, de qua statim. — Iam in sequentibus *LXX* triplicem huius textus versionem conglutinat (*Verc.*) : 1) καὶ πάντες οἱ παῖδες αὐτοῦ ἀνὰ χεῖρα αὐτοῦ παρῆγον, καὶ πᾶς Χελεθὶ καὶ πᾶς ὁ Φελεθί ; 2) καὶ πᾶς ὁ λαὸς παρεπορεύετο ἐχόμενος αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ περὶ αὐτὸν καὶ πάντες οἱ ἄδροί, καὶ πάντες οἱ μαχηταί, ἑξακόσιοι ἄνδρες, quae voces aliquod antiquum interpretamentum exhibent (*Wellh.*) nominum propriorum Cerethi, Phelethi et Gethaeorum, quale etiam *Chald.* et *Syr.* h. l. tentaverunt ; 3) καὶ παρῆσαν ἐπὶ χεῖρα αὐτοῦ, καὶ πᾶς ὁ Χελεθὶ καὶ πᾶς ὁ Φελεθὶ καὶ πάντες οἱ Γεθαῖοι οἱ ἑξακόσιοι ἄνδρες κ. τ. λ. Sexcentos Philisthaeos Gethaeos in exercitu Davidis fuisse, iam perhorruit *Abul.*, et post ipsum *Then.*, qui censet ex quibusdam incertis lectionibus pro Gethaeis substituendos esse Gibborim, et cum *Ios.* intelligendos illos sexcentos viros, qui 1 Reg. 27, 2 cum David secesserant in Geth. Verum enimvero falluntur viri doctissimi. Etenim Gethaeorum mentio intime connectitur cum ducis eorum Ethai Gethaei v. 19 mentione : is autem veri nominis erat Gethaeus, erat enim « peregrinus », nec facile David Philisthaeum lectissimae ipsorum Israelitarum manui praefecisset. Et quid tandem mirum, praeter Cerethi et Phelethi, etiam Gethaeos advenas in exercitu David esse repertos, quorum rex Achis plurimum quondam faverat Davidi (cf. 1 Reg. 27 et 29) ? Nota, ex 17, 1 effici, duodecim millia virorum existimatos fuisse abunde sufficientes ad Davidem opprimendum ; unde inferre licet, Davidem vix sex millia secum habuisse, et fortasse etiam pauciores. Ergo praeter familiares domus suae, quibus vix ulla apud Absalomem esset gratiae spes, fere soli mercenarii alienigenae videntur Davidem esse secuti. Sane hi Hebraeorum haud paucis erant ob honorem invisi, quam invidiam Absalom aut foverat aut foturus esse credebatur. Sic Davidi plenissimo sensu supervenit « malum de domo sua » (12, 11), universa domu Israel ab ipso aversa.

v. 19 « *Dixit autem rex ad Ethai Gethaeum : Cur venis nobiscum ? Revertere, et habita cum rege, quia peregrinus es, et egressus es de loco tuo* ». *Hebr. in locum tuum* : sed omnes versiones videntur legisse vel intellexisse *de loco tuo*. Qua alienigena Ethai non est obiectum odii, quod in inimicarum partium Hebraeos dirigitur ; qua advena eam merebatur gratiam, quae lege advenis debebatur. Regis quaestio ex animo prodit amaritudine confecto : Quare tu, peregrinus cum sis, meis civibus omnibus a me deficientibus, mihi adhaeres ? v. 20 « *Heri venisti, et hodie compelleris nobiscum egredi ? Ego autem vadam, quo iturus sum* ». Explicat *Chald.* : *in locum, quem nescio quo iturus sum*. « Vagus feror » (*Mar.*), relinque me sorti meae, cf. 1 Reg. 23, 13. « *Revertere et reduc tecum fratres tuos* », qui ergo et ipsi veri nominis Gethaei erant, « *et Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendisti gratiam et fidem* ».

Lege *keri* אֲנִיעֵךְ : *extorrem te faciam nobiscum exulantibus ; Keil* « extorrem te faciam, ut eas nobiscum ». *LXX* rursum duas eiusdem textus versiones conglutinat. — *Faciet* vel *faciat*. Cum *Vulg.* consentit *LXX*, dum *Hebr.*, a primo *tecum* ad alterum transiliens, omisit verba *et Dominus faciat tecum*, et solum habet *et reduc fratres tuos tecum, misericordiam et veritatem* ; cuius manci textus interpretamentum sunt sequentia *Vulg.* verba *quia ostendisti gratiam et fidem (Verc.)*.

v. 21 « *Et respondit Ethai regi, dicens : Vivit Dominus, et vivit do-*

minus meus rex, quoniam in quocunque loco fueris, domine mi rex, sive in morte sive in vita, ibi erit servus tuus ». Iidem sensus exprimuntur Ruth 1, 16 sq. : « Quocunque enim perrexeris, pergam, et ubi morata fueris, et ego pariter morabor ..... Quae te terra morientem susceperit, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturae ». v. 22 « *Et ait David ad Ethai : Veni et transi. Et transivit Ethai Gethaeus et omnes viri, qui cum eo erant, et reliqua multitudo* ». Quae multitudo alia esse non potest, nisi reliqua multitudo exercitus. v. 23 « *Omnesque flebant voce magna, et universus populus transibat : rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam, quae respicit ad desertum* ». *Omnes : Hebr. omnis terra* ; nota, quam facile tali universali expressione utatur Hebraeus. Adverte varias huius viae dolorosae stationes : 15, 17 « olivam remotam » (?), 15, 23 torrentem Cedron, 15, 30 «clivum olivarum», 16, 1 alium eiusdem montis locum, 16, 5 Bahurim, 16, 14 locus cuius nomen corruptum apparet. — Aliqui interpretes verbum עבר v. 18. 22. 23 ita interpretantur, ut, rege subsistente apud « olivam remotam », reliqui ante ipsum transiverint, *gall.* « défiler ». Licet forte, imo probabiliter res ita evenerit, tamen transeundi verbum non ad regem, sed ad torrentem Cedron videtur referri.

Aderat igitur regi in extrema necessitate exigua, sed fidelis et probata heroum manus, nucleus exercitus et pignus quoddam futurae victoriae : accedit iam altera et augustior protectio, sacerdotes cum arca. Ubi Davidis fidem humilem et quietam compares cum Saulis praecipite superstitione 1 Reg. 13, 8 sqq. ; 14, 18. 37, oracula multiplicantis et sacrificia anticipantis. v. 24 « *Venit autem et Sadoc sacerdos, et universi levitae cum eo, portantes arcam foederis Dei, et deposuerunt arcam Dei ; et ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate* ». Sensus sententiae universim patet, melius etiam, si locum omnino parallelum Ios. 3, 17 conferas : substitit arca, probabilius in alveo torrentis, donec transiisset universus populus.

Obscura sunt, quae de Abiathar habentur, ubi tamen versiones omnes cum *Hebr.* concordant, unde non facile textus emendationibus indulgendum. Ascendit, inquit *Abul.*, in excelsum aliquem locum, spectans transitum populi. Ascendit forte ad orandum prope arcam, pie suggerit *Sa* ; quod sane pontificem longe magis decuisset, puerili illo prospectu. Sed quid haec ad narrationem ? *Vatabl.* : « concessit ad latus itineris, donec omnino transisset populus » ; prudens utique facinus, sed num Sadoc et levitae conferto agmine viam obturabant ? *Mich.* « sacrificavit » ; sed kal עלה nunquam sacrificandi significationem induit, hiphil vero solummodo addito עֹלָה ; et qui tandem sacrificio in fuga locus ? Alii : ascendit ad arcam, ut consuleret Deum pro Davide : Sed cur toto tempore substitit, donec transisset omnis populus ? quia, inqui-

unt, Deus ei nihil respondit. Equidem coniicio, enuntiari h. l. aliquid, quod non ad laudem Abiathari vergat, sed ad vituperium, idque ob sequentes rationes. Si quidquam edicebatur aut indifferens aut laudabile, omnino Abiatharis nomen initio versus scribendum erat : « Venit autem Sadoc et Abiathar sacerdotes, et universi levitae cum eis ». Dein Abiathar iam 1 Reg. 2, 31 sqq. tamquam Heli progenitus veluti per anticipationem proscribebatur, 3 Reg. 2, 26 sq. tandem abiiciendus. Iam omnino secundum morem nostri s. auctoris est, ut eiusmodi abiectio quibusdam narrationi interspersis animadversionibus praeparetur : exemplum habes Ioab. De Abiathar vero s. auctor hucusque nonnisi honorifice fuerat locutus, cf. 1 Reg. 22, 20 sqq. ; 23, 6 sqq. Ergo probabile fit, h. l. aliquid narrari, quod non ad laudem sit Abiathar. Adde, quod senescente David 3 Reg. 1, 7 Abiathar ei, qui tum primogenitus esset, Adoniae favebat : ergo haud miraberis, si etiam in renuntiandis primogeniti Absalomis partibus tardior fuerit. Praeplacet igitur vertere cum *Clair* : « Et ascendit Abiathar, dum expleretur omnis populus, qui de urbe traiiciebat torrentem ». Novissimis traiicientibus apparuit tandem etiam Abiathar, undecimae horae operarius. Si meliorem invenias versionem, profer.

v. 25 « *Et dixit rex ad Sadoc : Reporta arcam Dei in urbem. Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me et ostendet mihi eam* » (ארון etiam 6, 6 sqq. est masc. generis) « *et tabernaculum suum* ». v. 26 « *Si autem dixerit mihi : Non places ; praesto sum, faciat, quod bonum est coram se* ». *Tabernaculum* intelligendum est a Davide Hierosolymis pro excipienda arca exstructum, ob connexionem cum arca ; minus probabiliter urbs sancta. Cf. Davidis fiduciam et resignationem cum populi praesumptione 1 Reg. 4, 4 sq., item cum Saulis praesumptione, regnum invito Deo retinere volentis. v. 27 « *Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem : O videns, revertere in civitatem in pace ; et Achimaas, filius tuus, et Ionathas, filius Abiathar, duo filii vestri, sint vobiscum* ». v. 28 « *Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi* ». v. 29 « *Reportaverunt ergo Sadoc et Abiathar arcam Dei in Ierusalem, et manserunt ibi* ». *LXX mansit* sc. arca.

O videns. Punctabat *Vulg.* הָרֹאֶה ; pontifex *videns* erat, quatenus gestabat ephod. *Hebr. Chald.* הֲרֹאֶה אַתָּה, *tune videns es ?* quod sapit vituperationem. *LXX* רְאוּ אַתָּה, *ecce tu*, quam lectionem dices esse configuratam τῷ רְאוּ אָנֹכִי, *ecce ego* v. 28 ; sed ea expressionum analogia potuit etiam esse genuina, planum offert sensum, et hinc evadit solide probabilis. Vulgatae lectio rursum exhibet Davidem ipsam vatis societatem in tanto periculo declinantem, prae Domini fiducia. — Ex v. 27 patet, commentitiam esse *Wellh.* et aliorum hypothesin, nomen Abiathar in hac narratione ab aliquo ex eius pontificis posteris esse suppletum : etenim mentio filii eius et directum alloquium *filii vestri*, quod non ad solum Sadoc referri potest, critice omnino indubia sunt. *In campestribus deserti* : *keri* et *versiones* בערבות, quod *Menoch.* censet esse desertum Iericho, seu campestria Iericho 4 Reg. 25, 5. *Kethib* בעברות, *apud vada*. Locus utique idem est, qui 17, 16, ubi rursum keri et versiones differunt a kethib. Tamen ex 19, 18 (19) perperam probare conantur *Boetticher* et *Keil*, lectionem kethib esse praeferendam, cum campestria et vada invicem non excludant : potuerunt quippe esse, et reapse

fuerunt, in campestribus Iericho vada Iordanis. Potest nihilominus lectio kethib aliunde muniri : siquidem David nuntiis probabilius punctum aliquod *vada* assignaverit, quam regionem late patentem *campestria*. Notat *Clair*, occupatis vadis Iordanis potuisse Davidem, quandocunque placeret, in alteram fluminis ripam se recipere.

Comparavit sibi itaque David exploratores, qui hostibus intermisti, quid contra ipsum hi molirentur, fideliter renuntiarent. Haud spernendum auxilium, quo exercitus numeris longe valentioris conatus eludi posset. Mox accedit firmior etiam protectio : Chusai in hostis aulam submittitur, vir ob prudentiam celebratus, secretis Absalomis consiliis interfuturus, ibique Davidis partes astute sustenturus. v. 30 « *Porro David ascendebat Clivum Olivarum, scandens et flens, nudis pedibus incedens et operto capite ; sed et omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans* ». v. 31 « *Nuntiatum est autem David, quod et Achitophel esset in coniuratione cum Absalom, dixitque David : Infatua, quaeso, Domine, consilium Achitophel* ». Verte : Nuntiatum autem fuerat Davidi,... dixeratque David. Non proditionis Achitophel nuntium David in Clivo demum Olivarum primum audivit, sed Chusai ibidem obvium habuit. « Ille nuntius », inquit *Sacy*, « malorum summa fuit. Affulserat spes, Absalomem iuvenem atque successu elatum, cum adoriretur ipse tiro regem prudentissimum, prospere non esse acturum. Defectio Achitophel iam videbatur Davidis ruinam certam reddere, cui ab omnibus derelicto cum adversario simul valente et prudente res esset ».

Operto capite, cf. 19, 4 (5) ; Esth. 6, 12 ; Ier. 14, 4. Uti ex Ez. 24, 17. 22 patet, velabatur pars vultus inferior cum barba in signum luctus ; idem Lev. 13, 45 praescribebatur leprosis ; fiebat fortasse ad reprimendum halitum, quasi is in homine Dei manu afflicto impurus reputaretur. — *Nuntiatum est autem David* : *kethib* וְדָוִד הֻגַּיד, *et David nuntiavit*, sensu caret. *Chald.* וְדָוִד הֻגַּד, *et David nuntio certior factus est* ; quae constructio passiva possibilis est, cum correspondens activa reperiatur, attamen in libris poeticis vel propheticis tantum, Iob 26, 4 ; 31, 37 ; Ez. 43, 10. Reliqui legebant praefixum ל, et *Syr.* quidem וּלְדָוִד הֻגַּיד, *et Davidi nuntiavit aliquis* ; *keri*, *Vulg.* *LXX* וּלְדָוִד הוּגַּד, *et Davidi nuntiatum est*, quae lectio praeferenda est. ל facillime excidere potuit, incipiente v. 30 eadem voce ודוד.

v. 32 « *Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum* », — ita versiones ; *Hebr.* etiam verti potest (*de Wette*) : ubi aliquis adorat Dominum, i. e. ubi consuevere homines adorare Dominum ; vult enim s. auctor accurate describere locum — « *ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste et terra pleno capite* », *Hebr.* *LXX et terra super caput eius*. Arachites unde dicatur Chusai, non liquet ; fortasse conferre licebit Ios. 16, 2. *LXX* h. l. addit determinationem, quam secus (v. 37 ; 16, 16 ; 1 Par. 27, 33) Chusai affixam habet, רעה דוד, ἑταῖρος Δαυίδ, quam cum praecedente הארכי mire confundit in ἀρχιεταῖρος

(*Then.*) — v. 33 « *Et dixit ei David : Si veneris mecum, eris mihi oneri* » ; v. 34 « *si autem in civitatem revertaris, et dixeris Absalom : Servus tuus sum, rex ; sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus ; dissipabis consilium Achitophel* ».

Obtinet h. l. aliqua textuum obscuritas. Imprimis *LLX*, ad ultimum *servus tuus* delapsa, illud cum primo confudit, et ita totum textum rursus altera versione descripsit ; quas LXX*a* et LXX*b* appellare placet. Iam textum omnium maxime correctum, fortasse etiam integrum, expressit *Vulg.* : עבדך אני המולך אהיה עבד אביך אני מיאז. ועתה אני עבדך. *Hebr. Chald.*, inter se consentientes, copulam praefigunt secundo אני, sed ea praeter *Vulg.* etiam a *LXXb* et *Syro* condemnatur, dum *LXXa* eam vocem cum proxime sequenti omittit. Rursum *Hebr. Chald. LXXb* copulam tertio אני praemittunt, sed ea a *Vulg. LXXa Syr.* merito configitur. Utrum cum *LXXa Syr.* paenultimo loco exclamatio המולך repetenda sit, dubitari potest. Oppositionem inter מיאז et עתה libere, sed vere reddit Vulg. *sicut . . . sic.* Versio ad verbum haec est : Servus tuus sum ego, o rex ; fui servus patris tui ego pridem, et nunc servus tuus ego sum (o rex ?).

v. 35 « *Habes autem tecum Sadoc et Abiathar sacerdotes, et omne verbum, quodcunque audieris de domo regis, indicabis Sadoc et Abiathar sacerdotibus* ». v. 36 « *Sunt autem cum eis duo filii eorum, Achimaas filius Sadoc et Ionathas filius Abiathar, et mittetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis* ». v. 37 « *Veniente ergo Chusai, amico David, in civitatem, Absalom quoque ingressus est Ierusalem* ». « Ex quo colligitur satis verisimiliter, eodem etiam die a David desertam civitatem, et occupatam ab Absalome ; atque ideo prudenter factum a Davide, cum celerrima fuga Absalomis praevertit adventum » (*Sanct.*).

S. auctor, antequam ad narrandam Absalomis cladem procedat, facta refert 16,1-14 Miphiboseth et Semei, quibus evidentius etiam ostenditur, ad quantam impotentiam David tum fuerit redactus. Est alia praeterea ratio, cur ea facta referantur. Tam Miphiboseth quam Semei (16,5) erant de cognatione Saul, ut in eorum ruina maledictio contra domum Saul enuntiata effectum obtineat. Insuper Semei et Sibae perverse gestis patefit ille, qui inde ab interitu Isboseth inter Beniaminitas late serpserat, animus domui David hostilis, qui postea cap. 20 in insurrectione Sebae in vastum excrevit incendium. — Cum de Miphiboseth et Semei rursum agendum sit cap. 19, aliqua h. l. brevius perstrinximus, fusius ibi explicituri.

Cap. XVI v. 1 « *Cumque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba, puer Miphiboseth, in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus et centum alligaturis uvae passae, et centum massis palatharum, et utre vini* ».

Hebr. cum duobus asinis circumligatis, et super eos ducenti panes etc. Iam ea circumligandi vox 17, 23 ; Gen. 22, 3 ; Num. 22, 21 adhibetur de iumento strato ad equitandum, Iud. 19, 10 potest verti vel *stratus* vel *onustus*. *Chald.* h. l. intellexit asinas stratas ad equitandum, quem sensum esse genuinum v. 2 ostendit. — De *uvis passis* cf. 1 Reg. 25, 18 ; 30, 12. — *Massis palatharum* : קיץ ex Mich. 7, 1 ; Is. 28, 4 ; Ier. 40, 10. 12 omnino videtur intelligendum de ficis. *Hier.* (25. 62.) : « In lingua nostra παλάθην h. e. massam ficorum sonat, caricarumque inter se compactarum ».

v. 2 « *Et dixit rex Sibae : Quid sibi volunt haec? Responditque Siba : Asini domesticis regis, ut sedeant, panes et palathae ad vescendum pueris tuis, vinum autem, ut bibat, si quis defecerit in deserto* ». Voce *domus regis* commode etiam intelligitur Bethsabee aliaeque uxores, nam solae concubinae fuerant in Ierusalem relictae. v. 3 « *Et ait rex : Ubi est filius domini tui ? Responditque Siba regi : Remansit in Ierusalem, dicens : Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei* ». Pater intelligitur Saul ; idem est *dominus* Sibae, non Ionathas, cf. 9, 10. — v. 4 « *Et ait rex Sibae : Tua sint omnia, quae fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba : Oro, ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex* ». Eiusmodi formulae cum aliis locis gratiarum actionem exprimant, possemus h. l. cum *Sa* vertere « gratias ago » ; simul tamen verba videntur includere favoris pro futuro petitionem (*Malv.*).

Pro *Vulg. oro* habetur השתחויתי, *adoravi*, quod *Then.* putat esse aliquam devotionis formulam, quasi dicas : Pedibus tuis provolvor, osculor manum ; quae formula secus non invenitur. *LXX Chald.* vertunt participio, ut legerint וישתחו ; sed obest, quod secundum communem usum (cf. 9, 8) ordo verborum deberet esse : Et adoravit Siba et dixit.

v. 5 « *Venit ergo rex David usque Bahurim, et ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens et maledicebat* », v. 6 « *mittebatque lapides contra David et contra universos servos regis David ; omnis autem populus et universi bellatores a dextero et a sinistro latere regis incedebant* ». Bahurim, cf. 3, 16. Gera, nomen unius e filiis Beniamin Gen. 46, 21, inter Beniaminitas haud infrequens Iud. 3, 15 ; 1 Par. 8, 7. *Bellatores* intellige Gibborim : hi prae ceteris regem suis corporibus tegebant. De cetero videtur Semei ex intentione potius exprimendi contemptus, quam vulnerandorum hominum lapides iactasse : v. 9 et 19, 21 Semei propter solam maledictionem reprehenditur, non propter attentatam regis vitam. Quod fuisset dementiae, mille saltem viris optime armatis regem circumdantibus, quibus cives Bahurim arte bellica certe erant inferiores. Sensit illud *Sanct.* : « Licet adigi lapis non posset ad illum locum, ubi erat David, neque si posset, illum attingeret, quia totus populus et universi bellatores regium latus undequaque cingebant : erat tamen gravis iniu-

ria, quia illudebat intentata saltem lapidatione regi, et illum aliquid esse sordidum et vile significabat, imo et lapidum supplicio dignum iudicabat, cum alienum adulterino congressu torum violasset, cui sceleri indicta erat a lege lapidatio ». Tamen de Davidis adulterio non cogitasse Semei, ex v. 8 effici videtur. v. 7 « *Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret regi : Egredere, egredere vir sanguinum, et vir Belial* ». v. 8 « *Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum eius ; et dedit Dominus regnum in manu Absalom, filii tui ; et ecce premunt te mala tua* », — *Hebr. et ecce tu in malo tuo, Syr. reddita est malitia tua* — « *quoniam vir sanguinum es* ». Adscribit Semei Davidi totam ruinam domus Saul, quae cruenta fuerat, imprimis caedem Isboseth (*Clair*) et factum cap. 21 narrandum. *Syr.* accuratius *cuius invasisti regnum* : non explicatur, quomodo David sanguinem domus Saul fuderit, sed novum additur convicium : exturbasti Saulem regno, nunc a tuo exturbaris filio. v. 9 « *Dixit autem Abisai, filius Saruiae, regi : Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi ? Vadam et amputabo caput eius* ». Cf. 9, 8. Verbis vel signis assensus est Ioab, cum Davidis responsum ad utrumque dirigatur. v. 10 « *Et ait rex : Quid mihi et vobis est, filii Saruiae ? Dimittite eum, ut maledicat : Dominus enim praecepit ei, ut malediceret David, et quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit ?* » Expressio *Quid mihi etc* (cf. 19, 22 ; Io. 2, 4) non est indignationis aut contemptus : qui enim eiusmodi sensus exprimat David eo praecise tempore, quo filii Saruiae eximiam ipsi exhibent fidelitatem ? Est potius expressio suaviter compescens. Sensus non est : Quid mihi vobiscum commune ? quae esset absurda quaestio, cum plurima reapse Davidis cum filiis Saruiae essent communia ; sed : Quid mihi vobisve negotii est in ea, quam loquimini, re ?

Dimittite eum, ut maledicat : ita vertebant etiam *LXX Syr.*, et concordat *kethib* כי יקלל, nam כי cum futuro sensum habet permissivum (cf. *Ew.* § 362 b), quem sensum versui vindicat v. 11.—*Chald.* cum *keri* legebat כה, *sic maledicat*, sensu haud diverso. *Dominus enim* : omnes versiones legebant *keri* כי pro *kethib* וכי ; et potest sententia cum keri כי et praecedente kethib כי sic construi : Si ipse maledicit, quia Dominus praecepit ei, quis audeat dicere etc. ? vel cum kethib וכי et praecedente kethib כי : Si ipse maledicit, et si Dominus praecepit ei, quis audeat dicere etc. ?

V. 11 « *Et ait rex Abisai et universis servis suis : Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quaerit animam meam : quanto magis nunc filius Iemini ?* » Merito *LXX* articulum exprimunt : *hic Beniaminita.* « *Dimittite eum, ut maledicat iuxta praeceptum Domini* », v. 12 « *si forte respiciat Dominus afflictionem meam, et reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna* ». Non solum pia, sed etiam pru-

dens erat haec Davidis mansuetudo. Volebat quam citissime in regionem tutam trans Iordanem se recipere; nolebat ad armatam resistentiam provocare Beniaminitas iam satis infensos, qui in regione montuosa eius iter multum poterant retardare, ut Absalom fugientem patrem iniquiore loco consequeretur.

Afflictionem meam : kethib בעוני sensu caret : *Vulg. LXX Syr.* sequuntur *keri* בעוֹנִי. *Chald.*, alterum secutus *keri*, legebat יראה ביהוה עיני, quod explicavit : *revelabitur coram Domino lacryma oculi mei. — Pro maledictione hac hodierna : LXX Chald.* sequuntur *keri pro maledictione eius ; Syr. kethib pro maledictione mea*, quod praeferendum censet *Wellh.*, quia modo etiam dicebatur *afflictionem meam* ; sed ratio non est peremptoria. *Vulg.* neutram lectionem exprimit.

V. 13 « *Ambulabat itaque David et socii eius per viam cum eo, Semei autem per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur, maledicens et mittens lapides adversum eum, terramque spargens* ». v. 14 « *Venit itaque rex et universus populus cum eo lassus, et refocillati sunt ibi* ».

Via Davidis in valle erat, Semei sequebatur *per latus montis (Hebr.)*, ex adverso Davidis (*Chald. Syr.*). *Adversum eum : Then.*, quod *LXX* hoc altero loco vertant ἐκ πλαγίων αὐτοῦ *a latere eius*, censet in Hebr. legendum esse מצדו pro altero לעבותו ; sed hanc correctionem excludunt *Vulg. Chald.*, neque est eadem necessaria : Semei gradiebatur ex adverso, et iacebat lapides ex adverso. — *Lassus* : ita omnes versiones. Sed desideratur loci cuiusdam indicatio, quod patet ex sequenti *ibi*. Unde aliqui dicunt nomen loci excidisse, cf. *Ios.* « ad Iordanem ». Alii nomen loco fuisse Aiephim (« sitiens », ergo aridus, cf. Ps. 142, 6), eo quod omnes illuc viatores lassi ex itinere deserti adventarent. Alii tandem nomen loci incuria scribarum in Aiephim esse defiguratum contendunt. — *Refocillati sunt*, ינפש, *gall.* « reprendre haleine », ex festino itinere in locum tandem tutiorem recepti.

Absalomis strages 2 Reg. 16, 15-20, 26.

Arg. — Primum 16, 15-17, 23 rationes panduntur, ob quas tandem Absalomis res in peius sint versae : 16, 15-20 exhibetur Chusai simul cum Achitophel conciliis Absalomis adhibitus ; 16, 21-23 Achitophelis consilium de concubinis David foedandis nemine contradicente effectui mandatur ; sed 17, 1-23 consilium Achitophel consilio Chusai eliminatur. — Dein 17, 24-19, 8 Absalomis clades describitur, ad cuius nuntium rex summo dolore afficitur. Sequitur 19, 8-40 narratio regis per tribum Iuda Hierosolymam reducti, cui subnectuntur 19, 40-20, 26 Israelitarum contra Iudaeos invidiae indeque nata Sebae insurrectio. Pro conclusione proceres restitutae aulae davidicae describuntur.

Absalomis ruina ab eius in Ierusalem ingressu exordium sumpsit, quando Chusai suis conciliis adhibuit. v. 15 « *Absalom autem et omnis*

populus eius ingressi sunt Ierusalem, sed et Achitophel cum eo ». Hic versus evidenter redit ad 15, 37, cui 16, 1-14 appendicis cuiusdam instar adiiciebantur. v. 16 « *Cum autem venisset Chusai Arachites, amicus David, ad Absalom, locutus est ad eum : Salve rex, salve rex* ». Repetitio pingit devotionis, quam simulabat Chusai, instantiam ; totis buccis clamabat. v. 17 « *Ad quem Absalom : Haec est, inquit, gratia tua ad amicum tuum ? quare non ivisti cum amico tuo ?* » Videtur Chusai speciali omnino ratione fuisse amicus David, hinc specialiori ratione Absalomi suspectus, cuius ad rebellium factionem accessio minime speraretur. Verba non carent ironia : « Qualem ego te mecum futurum sperem, cum videam te eum deseruisse, qui de te bene meritus est » (*Menoch.*) ? v. 18 « *Responditque Chusai ad Absalom : Nequaquam, quia illius ero, quem elegit Dominus et omnis hic populus et universus Israel, et cum eo manebo* ». Omnes versiones praeferunt keri לוֹ ; *LXX* pro אשר mendose legebat אחר. Profitetur Chusai, pluris se facere divinam electionem amicitiae officiis. Argumentum hoc plenum adulationis, cuiusque effectus tanto esset maior, quod publice pronuntiaretur. Nihil iam Absalom antiquius habebat, quam ut sua auctoritas legitima haberetur ; argumentum opportune suggerit Chusai, tritum illud « Vox populi, vox Dei ». v. 19 « *Sed ut et hoc inferam* » : — alii *et secundo* ; expressio est minus usitata — « *Cui ego serviturus sum ? nonne filio regis ? Sicut parui patri tuo, ita parebo et tibi* ». Aliam iam affert fallaciam, qua ostendat legitime imperare Absalomem : successit patri, ast superstit et invito. Recte explicat *Ios.* : Et praeter illud, quod sis a Deo electus, ne muto quidem dominum, « non enim in diversam regnum transit familiam, sed in eadem mansit, filio succedente patri ». *Duguet* : « D'ailleurs y a-t-il si loin, je vous prie, du père au fils ? » Callide palliat simulatam proditionem. v. 20 « *Dixit autem Absalom ad Achitophel : Inite consilium, quid agere debeamus* ». *Hebr. inite consilium vobis.* En veri nominis dativus commodi, exclamat *Then.* : sin inieritis, vapulabitis vos. Num revera princeps censendus est, hoc animo venerandos duos consiliarios publice esse allocutus ? Ergo melius : inite consilium inter vos. — Dirigens orationem ad Achitophel consiliarium numero plurali, ipso facto Absalom consiliarii munus etiam Chusai defert, nam alios quosdam intelligi gratuito *Then.* affirmat. Verba simul sunt responsio Chusai data et acceptatio eorum, quae is obtulerat, officiorum. Confirmatur explicatio ex 17, 5.

Et primum quidem crederet quis, nullo usui futurum esse Chusai Davidi. Achitophelis enim consiliis de foedandis concubinis David exsecutioni mandatur, Chusai nec rogato, aut certe non contradicente. v. 21 « *Et ait Achitophel ad Absalom : Ingredere ad concubinas patris tui,*

quas dimisit ad custotiendam domum, ut cum audierit omnis Israel, quod foedaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum ». Hebr. quod te exhibueris foetentem patri tuo (cf. 10, 6), i. e. quod gravissime illum offenderis. Actio proposita erat incestuosa Lev. 18, 8. Recte *Ios.* : « ex hoc enim populum », inquit, « agniturum esse certissime, nunquam in futurum te posse cum patre in gratiam redire ; atque adeo multa cum alacritate militaturum esse tecum contra patrem ; nam hactenus veritos esse apertas suscipere inimicitias, conventurum inter vos exspectantes ». Quod ita explicat *Menoch.* : « Aliqui ex primoribus et populo timide sequebantur Absalomem, timentes ne fortasse inter se filius ac pater reconciliarentur et, qui pro Absalome stetissent, poenas luerent. Fit ergo Achitophel auctor Absalomi, ut adeo gravem patri irroget iniuriam, ut plane omnes sibi persuadeant, nullam inter ipsos reconciliationis spem superesse ». Cf. *Theodoret., Mar., Sanct., Calm.* Egregie etiam sibi his providebat Achitophel. v. 22 « *Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel* ». הַגָּג הָאֹהֶל, determinatum illud tabernaculum auctori coaevo notum (*Then.*). Solarium sane illud idem intelligitur, ex quo 11, 2 libidinose David in uxorem Uriae prospexerat. Quibus impleta est prophetia 12, 11. — v. 23 « *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum ; sic erat omne consilium Achitophel, et cum esset cum David, et cum esset cum Absalom* ». Non est necessario cum *keri* supplendum איש, nam ipsum verbum impersonaliter intelligi potest. Prima sententiae pars absolute ponitur, ac dein resumitur his verbis *sic erat omne consilium etc.*

At mox Chusai consilio suo perniciosissimum Achitophelis consilium vincit, Davidique colligendi exercitus copiam procurat. *Cap. XVII* v. 1 « *Dixit ergo Achitophel ad Absalom : Eligam mihi duodecim millia virorum, et consurgens persequar David hac nocte* », v. 2 « *et irruens super eum, quippe qui lassus est et solutis manibus, percutiam eum ; cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est, percutiam regem desolatum* », i. e. solum, ut patet ex *Hebr.*, *versionibus* et v. 3. — Norat Achitophel « futurum, ut, si spatium daretur populo scelus suum in regem legitimum cognoscendi, et Davidi tempus cogendi copias, eiusque amicis se colligendi e subita illa metus turbatione, Absalomi factio sponte per se rueret (?), ac Davidis res magis magisque confirmarentur » (*Calm.*).

Alterutrum numerale omittentes, *Syr.* legit duo millia, *Ios.* decem millia. Recte *Vulg.* articulum hebr. reddit addito pronomine *hac.* — *Percutiam eum ; Vulg.* legebat והרגתי, ubi ceteri fortasse melius והחרדתי, *et perterrebo eum*, percussio enim statim exprimitur.

v. 3 « *Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet : unum enim virum tu quaeris, et omnis populus erit in pace* ».

Quomodo reverti (*solet*) — hucusque omnes textus consentiunt, facile corrigitur *Chald.* pro כ legens כי. Similiter inde a *tu quaeris* etc. omnes consentiunt textus, nam ו ante כל (*et omnis*) secundum *Vulg. LXX Syr.* facile apud *Hebr. Chald.* restituitur. Verum, quae media interiacent, lectione differunt plurimum.

Hebr.	אשר				איש			הכלה
LXX			אך	נפש	אישה	אל	ה	הכל
Vulg.		אחד	כי	איש	אחד			
Chald.			כהכות	איש	איש			כל
Syr.	אשר				איש			כל.

Iam inspectis hisce textibus illico patet, *Hebr. Syr.* esse mancos, eo quod scriba, descripto priore איש, inadvertenter ad alterum איש transilierit ; item lectiones אחד et אשר unam ex altera esse ortam, satis quippe frequenter hae voces commutantur inter se. Textum incorruptum videtur *LXX* praeservasse : *Et reducam universum populum, sicut revertitur sponsa ad virum suum* ; *tantummodo animam unius viri tu quaeris, et omni populo erit pax.* Aliquid inter utrumque איש lectum esse, ex *LXX Vulg. Chald.*, quantumvis inter se differant, apparet.

v. 4 « *Placuitque sermo eius Absalom et cunctis maioribus natu Israel* ». v. 5 « *Ait autem Absalom : Vocate* » — *Hebr. LXX Chald.* addunt *etiam*— « *Chusai Arachiten et audiamus, quid etiam ipse dicat* ». v. 6 « *Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum : Huiuscemodi sermonem locutus est Achitophel : facere debemus annon ? quod das consilium* » ? Reliqui *Si non, tu loquere.* Recte *Vulg. LXX Syr.* punctabant pluralem *vocate.* v. 7 « *Et dixit Chusai ad Absalom : Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice* ». Adulationem quamdam Achitophelis ultima vox sapit, quasi hac unica primaque vice minus sapuerit (*Chrys.* 55. 83). Simul ea vox confirmat, quod ad 16, 21 dicebamus, Chusai non esse oblocutum consilio Achitophel de incestu committendo. v. 8 « *Et rursum intulit Chusai : Tu nosti patrem tuum et viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos et amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu saeviat* ». « Periculosum cum desperato hominum genere pugnare » (*Mar.*). *Hebr. veluti ursa orbata in agro ; LXX* addunt *et veluti sus fera in agro*, ubi vel sola ultima vox ostendit, agi de altera eiusdem incisi versione. « *Sed et pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo* ». Non lassus, uti supponit Achitophel, castra figet hac nocte, sed perget fugiens.

Hebr. non pernoctabit cum populo, et *Syr. apud populum.* Unde *Ios.* : « Nocte suis relictis aut in valle aliqua delitescet, aut ad rupem aliquam in insidiis erit ». *Mar.* : « ut est callidus, divertet noctu a ceteris », non in iisdem cum illis castris pernoctabit ; si opprimas castra, non opprimes ipsum. Et potest conferri Iob 19, 4 « pernoctavit mecum error meus », et appellari ad v. 2, ubi Achitophel ex-

spectat, se Davidem in medio suorum reperturum esse. Nota tamen, in commendanda regis non tam calliditate quam belli experientia versari Chusai : *vir bellator est*. Iamvero pessimi ducis est, noctu a suis se subducere securitatis gratia, atque ita illis animos adimere. Sensus vocis ex v. 16 colligitur : « Ne moreris nocte hac etc. » ; et a *Vulg.* feliciter redditus est *non morabitur*, i. e. non moram faciet. Supponente Achitophel, David noctu substiturum esse, affirmat Chusai, illum noctu esse fugam continuaturum (cf. *Calm.*).

Addit iam nocturni timoris argumentum v. 9 « *Forsitan nunc latitat in foveis aut in uno, quo voluerit, loco ; et cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet, quicunque audierit, et dicet : Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalom* ».

Hebr. in una fovearum, item *Chald.* et *LXX*, ubi βουνῶν corrigendum est in βοθυνῶν (*Then.*) et alia versio habet αὐλιτόνων. Foveam designat vox 18, 17 ; eadem Is. 24, 17 : Ier. 48, 43 ; Thren. 3, 47 intelligitur de foveis praeparatis ad capiendas feras vel viatores. — בּוֹקְעִים, a radice *assurgere*, praeprimis aptum videtur ad designandum locum excelsum. Hinc duplex videtur indicari genus insidiarum, alterum e loco demissiori inopinato prorumpens, alterum ex specula quadam in longinquum prospiciens. *LXX* ἐν τῷ ἐπιπεσεῖν αὐτοῖς, *cum ipse irruerit in eos* : sensus commodus in se, sed repudiandus eo, quod desideretur αὐτόν et in Hebr. correspondens suffixum.

v. 10 « *Et fortissimus quisque, cuius cor est quasi leonis, pavore solvetur ; scit enim omnis populus Israel fortem esse patrem tuum, et robustos omnes, qui cum eo sunt* ». v. 11 « *Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium : Congregetur ad te universus Israel a Dan usque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis, et tu eris in medio eorum* ». « Eo spectat Chusai, ut redimat tempus » (*Calm.*). « Duo dixerat Achitophel : primum, ut sibi duodecim hominum millia tribuerentur ; deinde, ut ipse tanto exercitui praeficeretur imperator. Utraque confutat Chusai » (*Sanct.*). Absalomis praesentia animos addet et certam faciet victoriam : neque id adulatione vacuum est.

Brevius *Hebr.* v. 11 *Sed ego censeo* : unde putavit Then., aliqua in Hebr. excidisse : sed voluerunt solum *Vulg. LXX* brevem hebr. sententiam clariorem reddere, est autem perquam probabile, consiliarios regios *brevi* aliqua formula consuevisse placita sua pandere. — *Hebr. et facies tua gradiens in medio*, sed punctandum בַּקְּרָב *Masor.* בְּקָרָב, *ad pugnam*.

v. 12 « *Et irruemus super eum in quocunque loco inventus fuerit, et operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram, et non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne unum quidem* ». *Operiemus eum*, i. e. locum : *Hebr. requiescemus*, descendemus super eum. Obiicit *Then.*, suavem roris descensum non praebere aptam comparationem ; verum tertium comparationis non est in descensus suavitate, sed in eiusdem infal-

libilitate et universalitate. v. 13 « *Quodsi urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes, et trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea* ». Urbs secus torrentem exstructa supponitur. Prudentia consilii Achitophel in eo erat, quod viro, cuius ruina quaerebatur, non dabatur tempus se colligendi sibique adiungendi socios, sive qui semper fidem servassent, sive quos poenituisset defectionis. Chusai ad ambitionem Absalomis provocat, cui eam victoriam reservat, quam Achitophel solus parare susceperat, cf. v. 1 cum 12,27 sqq. Magnificis comparationibus celat inanitatem suppositionis, cui totum superstruitur consilium, universum Israel congregatum iri ad Absalom. Ita fere *Duguet*. Et *Sanct*. : « Accommodat Chusai orationem suam ad adolescentis insani vanissimum ingenium, qui superbe de se cogitat, et nihil suae felicitati ac viribus non pollicetur. Duo loca sibi eligere posset ad resistendum David : aut campestrem locum, qui nullis vallatur moenibus, aut urbem aggere munitam. Si locum, qui coelo subest aperto, erit Absalomis exercitus sicut ros, qui patentem agrum sine ullo impedimento ac mora humectat et complet. Si vero ad civitatis alicuius septa confugerit, tunc innumerabilis multitudo implicatam funibus civitatem non maiori difficultate a fundamentis convulsam in torrentem praecipitem dabit, quam si truncus foret aut ramus ab arbore decussus ».

Verbum circumdandi etiam exhibet *Chald*., quamvis, funes intelligens funiculos mensorios, locum interpretatus est de dimetiendis circa civitatem castris. Videntur ergo *Vulg*. *Chald*. legisse וסבו ; *Hebr*. והשיאו, *et facient tollere* sensum non facile efficit.

v. 14 « *Dixitque Absalom et omnes viri Israel : Melius est consilium Chusai Arachitae consilio Achitophel. Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum* ». Quod consilium Chusai placuerit Absalom, eam etiam rationem affert *Clair*, impatienter tulisse Absalomem, in omnibus se regi consiliis Achitophel. — Petierat David 15,31, ut salvaretur « infatuato » divinitus consilio Achitophèl : aliter saepe Deus, atque petimus, petita concedit. Deus non Achitophelis, sed reliquorum infatuavit cogitationes.

Iam nuntium repudiati ab Absalome, saltem ad tempus, Achitophelis consilii Chusai transmittit ad regem eumque, ut citissime Iordanem traiiciat, hortatur, veritus (*Ios*.), ne Absalom aliquando consilium mutaret. v. 15 « *Et ait Chusai Sadoc et Abiathar sacerdotibus : Hoc et hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom et senioribus Israel, et ego tale et tale dedi consilium* ». v. 16 « *Nunc ergo mittite cito et nuntiate David, di-*

centes : Ne moreris nocte hac in campestribus deserti », vel « in vadis », cf. dicta ad 15,28, « *sed absque dilatione transgredere, ne forte absorbeatur rex et omnis populus, qui cum eo est* ». פן יבלע לבולך *Vulg. LXX* intellexerunt *ne forte absorptio eveniat regi*. Verbum ad destruendi sensum descendit Thren. 2,2. 8 ; Is. 49,19 ; hinc *ne forte exitium inferatur regi,* seu *ne pereat rex* (*Syr.*). v. 17 « *Ionathas autem et Achimaas stabant* », i. e. manebant, « *iuxta fontem Rogel ; abiit ancilla et nuntiavit eis, et illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium ; non enim poterant videri aut introire civitatem* ». *Hebr. non enim oportebat eos conspici intrantes urbem* : ratio redditur, cur in re quam secretissime peragenda tamen ancilla nuntia sit adhibita. Res nota erat, pontifices Davidi adhaerere eumque voluisse sequi ; unde observabantur illi, neque ipsis licuisset urbe egredi ad filios, neque filiis, si agnoscerentur, urbem intrare : hinc internuntio opus erat. — Ex situ loci etiam patet, Ionatham et Achimaam non exspectasse in via directa ad Iordanem, qua ipse David processerat, sed nonnihil secus eam, in via quae torrenti Cedron adhaeret, ad vitandam suspicionem.

Fons Rogel ex Ios. 15,7 sq. ; 18,16 eo fere loco situs erat, quo vallis Cedron et vallis Ben Hinnom convergunt, ergo ad meridiem urbis Ierusalem, quae ad orientem vergit. *Chald. Syr.* vertunt *fontem fullonis,* quam significationem radix רגל habere potest. Probabiliter idem est cum *piscina fullonis*, cf. *Euseb.* ad v. Thophet. Putant aliqui, fuisse eum fontem prope *agrum fullonis* Is. 7,3, sed id a quaestione pendet, quaenam fuerit *piscina superior* ibidem. — *Ancilla* hebr. articulum habet, ergo determinata ancilla, narratori nota, quam ergo testem eventuum immediatam fuisse oporteat (*Then.*). Tamen articulus etiam sic explicari potest, ut intelligatur determinata ancilla, cui antea condictum fuerat, ut, si qui esset nuntius perferendus, ipsa perferret. *Ios.* suggerit, eam egressam esse specie lavandi pannos.

v. 18 « *Vidit autem eos quidam puer* », unus e speculatoribus ab Absalome circa urbem dispositis, « *et indicavit Absalom ; illi vero concitato gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, et descenderunt in eum* ». Ergo non omnes Bahuritae sicut Semei Davidi infensi erant ; vel eius viri uxor nesciebat, quam ob causam filii pontificum a satellitibus quaererentur. v. 19 « *Tulit autem mulier et expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas, et sic latuit res* ».

Hebr. articulum habet, ergo illud velamen, quod ei usui inservire consueverat. שטה (*Hebr. Chald. Syr.*) proprie significat *extendere* (cf. Iob. 12,23 ; Ier. 8,2) ; recte explicant *Vulg. LXX siccare*, qui est extendendi effectus. ריפות *LXX* transcripserunt ἀραφώθ. *Chald.* vertit *dactylos, gall.* « dattes » ; *Syr. sicerculam* vel *zythum,* quod ultimum ex hordeo conficitur ; *Vulg. Aq. Symm. ptisanas, germ.* « Gersten-

grütze », *angl.* « pearl barley », et concordat cum Prov. 27,22, ubi ריפות dicuntur in mortario comminui.

v. 20 « *Cumque venissent servi Absalom in domum ad mulierem, dixerunt : Ubi est Achimaas et Ionathas? Et respondit eis mulier : Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi, qui quaerebant, cum non reperissent, reversi sunt in Ierusalem* ».

Pro מיכל, quod h. l. tantum occurrit neque facile explicatur, *Vulg. (paululum) LXX (μικρόν) Chald.* (כבר) legebant מעט. *Festinantes* non est nisi altera eiusdem vocis translatio, post Hier. in *Vulg.* invecta (*Verc.*). *Gustata* adiecit *Vulg.* explicationis gratia, sed, uti credimus, minus feliciter. Aquae gustatae mentio attentionem quaerentium direxisset ad puteum, unde haurienda erat aqua ; quod mulieri maxime omnium erat cavendum. Adde, illum puteum opertum tum fuisse velamine, supersparsis ptisanis, quasi non recens inde aqua esset hausta : ipsa igitur putei species contra verba mulieris suspicionem movisset. Malumus igitur aquam cum *Chald.* et v. 21 intelligere Iordanem, atque vertere : Brevi transierunt fluvium ; tantum iam, ex quo hic transierunt, effluxit tempus ut brevi transitus Iordanis ab ipsis futurus sit effectus. Qui dolus illud effecit, ut satellites missa domus perquisitione festinaverint Iordanem versus : nam *Hebr.* non habet *hi, qui quaerebant*, sed, *at hi quaesierunt*, sc. prope Iordanem.

v. 21 « *Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo et pergentes nuntiaverunt regi David et dixerunt : Surgite et transite cito fluvium, quoniam huiuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel* ». v. 22 « *Surrexit ergo David et omnis populus, qui cum eo erat, et transierunt Iordanem, donec dilucesceret; et ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium* ». Cum *Syr.* et secundum accentum *Masor.* divide sententiam post *Iordanem* : « et, donec dilucesceret, ne unus quidem residuus fuit » (*Malv.*). v. 23 « *Porro Achitophel videns, quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum surrexitque et abiit in domum suam et in civitatem suam et, disposita domo sua, suspendio interiit, et sepultus est in sepulcro patris sui* ». « Impatiens repulsae » (*Sanct.*) vidensque suum negligi consilium, illico perspexit, perditum iri Absalomis causam. Quare aliis subsidiis causam desperatam fulcire non est aggressus sed, disposita domo sua et iis, quae ad sepulturam spectabant, ordinatis, vita excessit.

Achitophelis interitu Davidis causa invaluit, Absalomis infirmata est. Ea erat viri interitus ratio, quae suspicionem moveret, illum de Absalomis causa desperasse. Ipse Absalom prudenti consiliario orbatus est, neque dubium, quin David etiam posthac de consiliis et actis filii certior fieret. Davidi tempus concessum colligendi et instruendi exercitus atque annonae comparandae. Quo tempore multi sane, re maturius perpensa, ad ipsum a filio transfugerunt, ut dici potuerit, quod 3,1 de domo Saul dicebatur :

« David proficiens et semper se ipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie ». Primum igitur 17,24-18,5 exercitus utrimque instruitur, a Davide annona providetur.

v. 24 « *David autem venit in Castra* », — hic et v. 27 verte *Mahanaim* cum *LXX Chald. Syr.*, cf. 2,8 — « *et Absalom transivit Iordanem, ipse et omnes viri Israel cum eo* », aliquo elapso tempore secundum consilium Chusai (*Sanct.*). — v. 25 « *Amasam vero constituit Absalom pro Ioab super exercitum; Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Iethra, de Iesraeli, qui ingressus est ad Abigail, filiam Naas, sororem Saruiae, quae fuit mater Ioab* ».

Pro Iethra 1 Par. 2,17 Iether. *Hebr. Chald. Syr.* faciunt *Israelitam*, sed s. scriptor certe viri originem nonnihil accuratius exprimere volebat. *LXX Iezrahelitae*, sed lectio non est sufficientis auctoritatis. Aliqui codices graeci cum 1 Par. 2,17 *Ismaelitam* scribunt, et haec lectio praeferenda, nam id reapse notatu dignum erat, alienigenam uxorem duxisse cognationis David (*Sanct.*). — בוא אל de actu coniugali usurpatur Gen. 16,2; 30,3; 38,8; Deut. 22,13; 25,5; de actu incestuoso Gen. 19,31. 33 et supra 16,21; ergo ex sola voce non licet inferre, Iethram cum Abigail rem illicitam habuisse ante matrimonium (*Sanct.*). — Abigail legunt *Vulg. LXX* h. l. et, ad 1 Par. 2, 17, praeter *Syr.* omnes; reliqui Abigal. 1 Par. 2,16 Abigail et Saruia dicuntur sorores David. Hinc *Ps. Hier.* putavit, Naas eundem esse qui Isai, quod is fuerit binomius. Vel potuit sororum mater duos successive habere maritos, Naas et Isai. Meminit *Malv.* opinionis quorundam, Naas esse nomen feminae, matris Abigail. Neque officit *Wellh.* protestatus, vocem נחש semper esse masc., nec posse esse nomen feminae : nam quaedam nomina reperiuntur, quae modo virorum, modo mulierum sunt propria, v. g. nomen Maacha. Hinc potuit Abigail esse filia mulieris Naas, uxoris Isai, ex praevio aliquo connubio. Obiicies 1 Par. 2,13 sqq. videri recenseri ipsius Isai posteritatem; sed ratio non cogit, nam potuere ei loco inseri nomina Saruiae et Abigail, non tam ratione earum originis ex Isai, quam ideo quod ex filiis celebritatem nactae sint. Tandem textus sic verti potest : filiam (mulieris) Naas, sororis Saruiae. Quo sensu Abigail erat Isai non filia sed neptis, Saruiae soror sensu tantum latiore. Quod praeplacet, defende.

v. 26 « *Et castrametatus est Israel cum Absalom in terra Galaad* ». v. 27 « *Cumque venisset David in Castra, Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, et Machir filius Ammihel de Lodabar, et Berzellai Galaadites de Rogelim* », v. 28 « *obtulerunt ei stratoria et tapetia et vasa fictilia, frumentum et hordeum, et farinam et polentam, et fabam et lentem, et frixum cicer* », v. 29 « *et mel et butyrum, oves et pingues vitulos* ; *dederuntque David et populo, qui cum eo erat, ad vescendum* ; *suspicati enim sunt, populum fame et siti fatigari in deserto* ». Haec *suspicio*, uti etiam donorum abundantia, suggerit, dona non fuisse a rege coram exacta, sed spontanee eidem allata et oblata. More regum orientalium instituerat David Sobi regem Ammonitarum tributarium, post devictum eius fratrem Hanonem (*Ps. Hier.*). Quidquid senseris de

Davidis severitate in puniendis Ammonitis exhibita, non utique negabis, eam pro aliquo saltem tempore effectu non caruisse. Non fidebat Sobi Absalomis rebus, unde concludere licet, dilata Davidis v. 14 impugnatione et sublato Achitophel consiliario, illico non paucos ad Davidem transfugisse, Absalomisque res minus sapienter administrari coepisse. Etiam Machir ex 9, 4 novimus virum fuisse domui Saul addictum ; tamen ipse quoque Davidi auxilio fuit, sive ex fidelitate in legitimum regem, sive quod tempus domus Saul restituendae nondum advenisse iudicaret.

Rogelim urbs ceteroquin ignota. De Berzellai cf. 1 Esdr. 2, 61 ; 2 Esdr. 7, 63. — *Stratoria* : משכב lectum significat ; cum vero lecti nonnisi pulvinaribus seu stragulis constiterint apto loco dispositis, recte vertit *Vulg.* ; recte etiam *LXX lectos stragulatos*, *Symm. stragulas*. — ספות *Vulg. Syr.* intellexere *tapetia*. Sed 3 Reg. 7, 50 idem obiectum inter opera, evidenter non textilia sed metallica, recensetur et a *Vulg.* vertitur *hydria*, a *Chald. patera* ; tandem *LXX* h. l. *lebetes*, qui sensus reapse tenendus. Quorum donorum valorem recte assecutus est *Ios.* his verbis : « Hi omnia ipsi suisque necessaria abunde suppeditabant, ut nec lectos stratos eis deesse paterentur » ; neque quae ad ciborum praeparationem requirerentur. — *Polentam* i. e. frumentum tostum, cf. 1 Reg. 17, 17. — *Frixum cicer* : *Hebr.* hic secundo eandem vocem קלי *polentam* habet, tutius utique cum *LXX Syr.* omittendam. — *Butyrum* : eam utique rem vox hebr. designat, sed plus minusve liquidam. — *Pingues vitulos*, שפות בקר. *Chald. Syr.* intellexerunt caseos vaccarum : sed quid ovibus mediis inter butyrum et caseum ? Propius veritati accedit *Theod.*, vitulos laetantes interpretatus. Praeplacet versio *Vulg.*, licet sensus derivatio difficilius explicetur.

Exercitum tandem quiete et cibo refectum David lustravit, copiisque *duces super mille et duces super centum* (*Hebr.*) praefecit. *Cap. XVIII* v. 1 «*Igitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos et centuriones* », v. 2 « *et dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, et tertiam partem sub manu Abisai, filii Saruiae, fratris Ioab, et tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth* ». Probabile videtur, Cerethaeos et Phelethaeos suos permanenter duces habuisse, sicut etiam Ethai iam antehac 15, 19 sqq. dux fuerat Gethaeorum, et ipse David sub Saule 1 Reg. 18, 13 permanenter constitutus fuerat chiliarchus. Ergo h. l. agitur de ducibus constituendis pro reliquis Israelitis, qui numerosiores in dies ad Davidem confluxerant. « *Dixitque rex ad populum : Egrediar et ego vobiscum* ». Cf. 17, 11 « et tu eris in medio eorum ». Animos militibus additura erat regis praesentia pro summa regni dimicaturis. v. 3 « *Et respondit populus : Non exibis. Sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit ; sive media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt, quia tu unus pro decem millibus computaris. Melius est igitur, ut sis nobis in urbe praesidio* ». Student Davidem cohibere, ne pugnam ipse subeat. Hinc ostendunt ipsius caedem vel ma-

xime ab hostibus quaeri, ipsius praeservationem summi esse momenti, insuper posse eum illis magno esse praesidio occupata urbe, quo se in adverso pugnae eventu recipiant.

Hebr. et tu sicut nostrum decem millia, ubi nota, sicut 1 Reg. 18,7, decem millia poni pro numero valde magno. Legendum cum *Vulg. LXX keri* אתה pro *kethib* עתה, « nisi enim *tu* legitur, nulla persona in oratione relinquetur, ad quam pertineat *decem millia* » *(Houb.)*. — *In urbe : Hebr. Chald. Syr. ex urbe*, poteris ex urbe prorumpere ad auxilium ferendum iis, qui in maioribus erunt angustiis.

v. 4 « *Ad quos rex ait : Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam, egrediebaturque populus per turmas suas centeni et milleni* », cf. 1 Reg. 29, 2. — v. 5 « *Et praecepit rex Ioab et Abisai et Ethai, dicens : Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat praecipientem regem cunctis principibus pro Absalom* ». *Hebr. Leniter mihi* (*agite*) *cum puero Absalom*. Disponebat Deus, ut David in urbe remaneret, quo Absalom perderetur, et Salomoni aditus regni pararetur.

Iam sequitur narratio cladis Absalom, in qua 10,6-18 proelium et Absalomis interitus refertur, 18,19-32 nuntius Davidi allatus describitur 18,33-19,8 Davidis de filio interempto luctus commemoratur. v. 6 « *Itaque egressus est populus in campum contra Israel, et factum est proelium in saltu Ephraim* ». Campus opponitur urbi, quae utique intelligitur Mahanaim : etenim rex adhuc trans Iordanem versatur, cf. 19,15. Locus pugnae tam parum ab hac urbe abest, ut nuntii unico continuo cursu illinc huc adveniant ; rex v. 19 sedet intra portam nuntium proelii exspectans quasi ex loco parum distante. Cf. *Clair.* Ergo saltus Ephraim non est cum *Winer* et *Keil* cis Iordanem quaerendus, sed trans Iordanem. Nomen putant obtinuisse *Vatabl.* aliique, quod reapse aliquomodo ad tribum Ephraim pertinuerit, *Tir.* quod ibi Ephraimitae a Iephthe insignem acceperint cladem Iud. 12,4. Sapienter *Sanct.* : « Quid in eo saltu fecerint Ephraimitae, ex scriptura, quod ego viderim, non constat ». v. 7 « *Et caesus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa viginti millium* ». v. 8 « *Fuit autem ibi proelium dispersum super faciem omnis terrae, et multo plures erant, quos saltus consumpserat de populo, quam hi, quos voraverat gladius in die illa* ». *Proelium dispersionis* (*Hebr.*), i. e. dispersos et per totam late regionem vagantes Davidis milites prosequebantur. Ceterum haec secundum popularem aestimationem narrantur : certum est praeter eos, qui in acie occubuerant, alios multos in fuga variis modis interiisse. Pro *consumpserat, Hebr. voraverat* : unde putavere *Chald. Syr.*, plurimos esse devoratos a feris. Melius ita : alii locis praeruptis interierunt

(*Ios.*), alii fame et siti consumpti sant (*Sanct.*), alii fugientium pedibus contriti aut vulneribus exhausti defecerunt (*Calm.*), alii a feris, paludibus etc. absorpti sunt. v. 9 « *Accidit autem, ut occurreret Absalom servis David sedens mulo ; cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum et magnam, adhaesit caput eius quercui et, illo suspenso inter coelum et terram, mulus, cui insederat, pertransivit* ». Perdidit Asaelem velocitas, Achitophel prudentia, Absalomem caesaries : saepe naturalia ornamenta homini perniciem inferunt (*Sanct.*).

Insueta videtur *Wellh.* expressio *occurrere ante faciem*, unde ויקרא corrigit in ויירא, *et timuit* : sed quorsum tum *sedens mulo* ? In silva facile potuit fieri, ut Absalomis et hostium tramites ex diverso profecti in unum convergerent, ita ut, quando primum ab illis conspectus est Absalom seu eis occurrit, ante faciem eorum fugiens conspectus est. — Mulis insidebant filii regis 13, 29. — Reliqui *subter ramos quercus magnae* ; arbor articulum habet, sive quod iam ante ob magnitudinem fuerit notata, sive quod ab hoc eventu celebritatem nacta sit. — Pro ויתן *dato* correctius legebant versiones ויתל *suspenso*.

v. 10 « *Vidit autem hoc quispiam et nuntiavit Ioab, dicens : Vidi Absalom pendere de quercu* ». v. 11 « *Et ait Ioab viro, qui nuntiaverat ei : Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra ? Et ego dedissem tibi decem argenti siclos et unum balteum* », « militare cingulum in mercedem ac monimentum egregii facinoris » (*Menoch.*). *Hebr. quare non cecidisti eum in terram, germ.* « niederhauen », quod explicant *Chald. Syr. : Quare non percussisti et proiecisti in terram* ? — Quinquaginta siclos promittit *Ios.*, militem inducit asserentem, se ne cum duobus quidem millibus fore contentum, exercitum Davidis dicit fuisse quatuor millium hominum, cum tamen David narretur praeter tres imperatores alios constituisse chiliarchos : auctor in numeris notandis minime accuratus. v. 12 « *Qui dixit ad Ioab : Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis* ».

Secundum *keri* ולו et *Chald. : Si ego appenderem* seu *ponderarem*. Merito supposuere *Vulg. Syr.*, agi de argento a Ioab accepto ponderando. Obiicit *Wellh., in manibus meis* non me ponderare pecuniam, sed ab alio mihi appendi ; hinc pro שְׁקַל punctandum esse שְׁקָל. Sed eo ipso, quod alius mihi in manu mea ponderat pecuniam, ego eam in manu mea etiam pondero ; neque necesse est recurrere ad constructionem, quae certe linguae arabicae magis propria est, quam hebraicae. — Etiam *kethib* ולא cum punctatione וְלֹא aptum sensum offert : Neque ego, si mille argenteos ponderarem in manibus meis, neque ego mitterem manum etc.

« *Audientibus enim nobis praecepit rex tibi et Abisai et Ethai, dicens : Custodite mihi puerum Absalom* ». Omnes versiones legebant *keri* לי pro *kethib* בּוֹ.—v. 13 « *Sed et si fecissem contra animam meam*

audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, et tu stares ex adverso ».

שקר non *audaciam* sonat, sed *falsitatem*, *nefas*. — *Contra animam meam*, i. e. contra vitam meam, quae iuste in tanti sceleris poenam foret adimenda. *Kethib* : *Sed et si fecissem nefas contra animam eius*, Absalomis, si eum interfecissem. Perperam tamen *Then.* lectionem *keri Vulg., Chald., Syr.* et plurium codicum hebr., tamquam minus aptam proscribit, quod sceleris natura, vitae sc. Absalomis ablatio, exprimi debeat ; nam sensus omnino commodus hic est : Quodsi ego vitam meam periculo exponam, et res regi innotuerit, non fidere possum tuo patrocinio, qui potius te servabis me derelicto, et contra me stabis. Omnino diversam lectionem legebant *LXX*, incisum cum v. 12 iungentes : *Custodite mihi puerum Absalom, ne fiat in animam eius nefas*. — Secundum accentum *Masor.* iungendum ita : Sed et si facerem etc., resque regi innotesceret, tu stares ex adverso — sc. mei : « Non patrocinatus esses mihi, sed potius institisses contra me apud regem, ut occiderer » (*Vatabl.*). Interrogationis signum, quod in *Vulg.* est, vocem refert ad regem : Auderesne tu meas partes contra regem sustinere ? fieresne patronus meus ? (*Menoch.*). Verum istud interrogationis signum, primum Sixtinis adscriptum, antiquiores ignorant libri (*Verc.*).

v. 14 « *Et ait Ioab : Non sicut tu vis, sed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu sua, et infixit eas in corde Absalom, cumque adhuc palpitaret haerens in quercu* », v. 15 « *cucurrerunt decem iuvenes armigeri Ioab, et percutientes interfecerunt eum* ». Omnia ex ambitione agit Ioab. Faverat Absalomi, quamdiu eo patri reconciliando et patri et filio gratam se navare posse operam speraverat. In rebellione fideliter regi ipse adhaeserat, neque parum ad victoriam contulerat : sed iam filii cum patre reconciliationem perhorrescebat, quod filio se post tam acerbam inflictam cladem acceptum iterum fieri posse dubitaret. Quod igitur filio ad regnum succedente secundum a rege se permansurum merito dubitaret, occidit filium.

Variant textus. *LXX hoc ego incipiam, non sic manebo coram te. Chald. nonne sic incipiam coram te* ? Legebat הלא pro לא. *Syr. Non sic incipiam coram te. Chald. Syr.* omnino legebant uti *Hebr.* לא כן אחילה לפניך. *LXX* duas eorumdem verborum versiones conglutinat. *Masor. LXX b (manebo)* אחילה derivabant a יחל, *Vulg. Chald. Syr. LXX a (incipiam, aggrediar)* felicius a חלל, cuius hiphil etiam significationem induit incipiendi seu aggrediendi, sed h. l. sensum primarium retinet : faciam, ut sit transfixus, i. e. transfigam. Verte : Non sic, ego transfigam coram te. Quod *Vulg.* habet *tu vis*, aut correspondet formae alicui verbi יאל, in quam אחילה fuerit depravatum, aut probabilius solius claritatis gratia est adiectum. — *Lanceas* : certum est in textu fuisse vocem, quae aliquod eiusmodi armorum genus exprimeret. *LXX Chald. iacula*. Ambigi potest, fueritne ea vox eadem, quae nunc *Hebr. Syr.* legitur שבטים, an fortasse cum *Then. Wellh.* emendanda sit in שלחים. Certe שבט neque in hebraea neque in affinibus linguis a significatione virgae ad illam lanceae vel iaculi unquam descendit, 23, 21 virga hastae diserte opponitur. Tamen omnino evidens non est textum esse emendandum. Nolim cum *Clair* vertere « tres virgas acutas » : qui enim decem habebat armigeros vir, sane meliora ad manum habebat arma quam

baculos acutos. — Unicum armigerum habuerant Abimelech Iud. 9,54, Ionathan 1 Reg. 14,1, Goliath 17,7 : decem iam habet Ioab (*Calm.*) : magis magisque res Iudaeorum a pristina recedebant simplicitate. Unius armigeri nomen recensetur 23,37 ; 1 Par. 11,39.

v. 16 « *Cecinit autem Ioab buccina et retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini* ». Reliqui : *et reversus est populus a persequendo Israel, quia prohibuit Ioab populum.* v. 17 « *Et tulerunt Absalom et proiecerunt eum in saltu in foveam grandem* », — vox articulum habet : ergo notam illam omnibus foveam — « *et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis. Omnis autem Israel fugit in tabernacula sua* ». *Tulerunt* vel armigeri Ioab vel alii. Certe non licet, ad unitatem subiecti praeservandam, cum *Wellh.* ordinem versuum invertere, ut prius dicantur armigeri Absalomem interfecisse et corpus proiecisse, dein Ioab buccina cecinisse : non ita unitati subiecti student Hebraei. — Is modus sepulturae reapse videtur fuisse ignominiosus, ut patet cum ex proiecto cadavere, tum exemplo Achan Ios. 7,26 et regis Hai Ios. 8,29. « Noluit vero Ioab cadaver ad Davidem deferri, ne oculi augerent parentis dolorem, quem sciebat acerbissimum fore » (*Menoch.*) ; vel Ioab furorem suorum militum cohibere non valuit, qui Absalomem belli civilis auctorem sibique specialiter infensum perhorrescebant. *Fugit*, seu verius *fugerat* : haec ideo h. l. animadversio ponitur, ut ostendatur nemo adfuisse, qui Absalomi defuncto parentaret eiusque sepulturae piam gereret curam.

v. 18 « *Porro Absalom erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in Valle Regis ; dixerat enim : Non habeo filium, et hoc erit monumentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine suo, et appellatur Manus Absalom usque ad hanc diem* ». « Huius porro tituli ideo videtur hic inductus sermo, ut ostendatur, quam aliter Absalomi contigerit, quam ipse secum antea meditabatur » (*Sanct.*). « Ironiae speciem habet ista commemoratio tituli, quem sibi erexerat. Quasi dicat scriptura : Ecce ille, qui sibi adeo magnifice triumphalem titulum erexerat, nunc aliud longe diversum genus monumenti accepit » (*Est.*). Similiter iam *Vatabl.*

Titulus idem, quod lapis sepulcralis Gen. 35,20. — *Vallis Regis* antiquitus vocabatur Vallis Save Gen. 14,17 ; eo usque rex Sodomorum obviam progressus est Abrahae, cum rediret devicto Chodorlahomor ; eratque illa vallis haud procul a Salem seu Ierusalem, Gen. 14,18. 21. Putant esse partem vallis Cedron, *Ios.* affirmat, duobus stadiis distare Hierosolymis. — Reliqui : *Non habeo filium ad perpetuandum nomen meum.* Ergo Absalom eum titulum videtur erexisse ante occisum Amnon ; postea, ex exilio Hierosolymam reversus, videtur genuisse 14,27 tres filios, quod factum insperatum stimulos addidit eius ambitioni, ut iam suis posteris regnum vindicaret.

v. 19-32 narratur, quomodo proelii nuntius ad Davidem fuerit perlatus. v. 19 « *Achimaas autem, filius Sadoc, ait : Curram et nuntiabo regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius* », i. e. quia iudicium faciens liberaverit etc. v. 20 « *Ad quem Ioab dixit : Non eris nuntius in hac die, sed nuntiabis in alia ; hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus* ». Recte explicant *Chald. : non vir idoneus tu ad nuntiandum hodie,* et *Syr. : non par est, ut nunties hodie.* Favebat Ioab Achimaas : « Negans aequum esse, ut, qui semper sibi nuntius faustorum exstitisset, nunc obitus filii nuntius ad regem proficisceretur » (*Ios.*). v. 21 « *Et ait Ioab Chusi : Vade et nuntia regi, quae vidisti. Adoravit Chusi Ioab, et cucurrit* ». v. 22 « *Rursus autem Achimaas, filius Sadoc, dixit ad Ioab : Quid impedit, si etiam ego curram post Chusi? Dixitque ei Ioab : Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntii baiulus* ».

Chusi semper habet articulum, non tamen v. 21 in fine ; unde iam *Sa* putavit, fortasse agi de Aethiope. Vix tamen concedendum erit *Keil*, eo iam aevo mancipia Aethiopica per Iudaeam adhiberi consuevisse. Versiones omnes, auctor inscriptionis Ps. 7, *Ios.* nomen proprium intellexerunt ; potuit autem illud derivari ex viri origine, vel alia quadam re, v. g. « nigrore faciei » (*Vatabl.*). — *Quid impedit etc : Hebr. Et erit quid ? curram etiam ego post Chusi* ; i. e. quidquid sit rei, curram. ויהי מה : similem constructionem habes Iob. 13, 13 ויעבר עלי מה, « quodcunque obvenerit menti meae » ; Num. 23, 3 דבר מה, « sermo, de quacunque fuerit re ». Sensum *Vulg.* reddit. — בשרה non est necessario *bonus nuntius. Chald. : et tibi non est nuntius praesto ;* sed significatio *praesto esse* pro מצא est dubia. *Ges.* « et tibi non est nuntius recipiens, i. e. lucrativus », quod recidit in *Syr. et nemo dat tibi nuntii mercedem.* Eundem sensum expressit *LXX*, duas tamen voces bis reddens : *Huc ! non est tibi nuntius ad utilitatem eunti,* ולכה אין לכה בשרה מצאת לצאת. Sensus textus obscurior est ; hoc tamen clarum, negare Ioab adesse causam eundi, sive quod unicum, qui esset, nuntium iam Chusi praeoccupasset, sive quod ille nuntius non esset talis, quem quis cum utilitate deferret.

v. 23 « *Qui respondit : Quid enim, si cucurrero? Et ait : Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, transivit Chusi* ». *Chald. per viam planitiei.* Nomine ככר intelligitur « regio circa Iordanem », ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου Matth. 3, 5 ; cf. Gen. 13, 10 sqq. ; 19, 17 ; 3 Reg. 7, 46 ; 2 Par. 4, 17. Est ipsa fluminis vallis. Quibus locis recte vertit *Vulg.* «regio circa Iordanem », « regio campestris Iordanis ». H. l. secuta *Aq. Symm. Theod. Ios.* circumlocutione utitur. Certum est, hanc viam planitiei de se fuisse longiorem ; secus, cum certe fuerit facilior, Chusi eadem usus esset. Ea planities in utraque fluminis ripa patebat, unde perperam ex hoc facto desumit *Keil* argumentum pugnae habitae cis Iordanem. Nihil hinc inferri potest. v. 24. « *David autem sedebat inter duas portas ; speculator vero, qui erat in fastigio portae super murum,*

elevans oculos, vidit hominem currentem solum ». *Hebr. et ierat speculator super solarium portae super murum.* Ast in utra duarum portarum versabatur speculator ? Nota duas portas in Hebr. habere articulum determinantem. Intelliguntur non duae portae exteriores, sed portae una exterior, altera interior, invicem correspondentes (*Sanct.*), unicum urbis aditum efficientes, quibus, pro more antiquo, turris reliquo muro altior erat superstructa. Hinc v. 4 de unica porta sermo est. Rex autem versabatur inter utramque portam, exteriorem et interiorem, ergo intra ipsam turrim. v. 25 « *Et exclamans indicavit regi ; dixitque rex : Si solus est, bonus est nuntius in ore eius* ». *Hebr.* non habet *bonus,* neque id vi vocis in בשרה continetur, cum v. 27 טובה explicite adiungatur, et 1 Reg. 4, 17 verbum de nuntio nefasto adhibeatur, ut iam notavit *Amama.* Sensus est : Si solus est, non fugit ex acie, nam fugientium plures esse consueverunt ; sed est nuntius (*Sanct.*). Hinc utique iam sequitur, nuntium allatum saltem non esse pessimum. « *Properante autem illo, et accedente propius* », v. 26 « *vidit speculator hominem alterum currentem, et vociferans in culmine ait : Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex : Et iste bonus est nuntius* ». *Hebr. Chald. vociferans ad ianitorem,* ergo speculator desursum visa communicabat custodi, qui ad portam excubabat, isque audita ad regem deferebat ; ita rem etiam v. 25 actam esse, ex hoc loco discimus. *LXX Syr. ad portam* (!), punctantes הַשַּׁעַר pro הַשֹּׁעֵר, sed deberet esse בשעל pro אל. — *Bonus* etiam h. l. delendum. Secundi viri adventus utique argumentum regis v. 25 debilitabat ; verum spes non ita facile exstinguitur, unde protestatur rex, fugientes e proelio binario plures esse consuevisse. v. 27 « *Speculator autem : Contemplor, ait, cursum prioris quasi cursum Achimaas, filii Sadoc* ». Agnosci potuit Achimaas vel ex celeritate cursus (*Then.*), vel ex corporis habitu, cf. 4 Reg. 9, 20. — « *Et ait rex : Vir bonus est, et nuntium portans bonum venit* » ; est vir fortis, qui non primus conspiciatur in fuga, ergo non cladem nuntiaturus adest. Probabile est, ideo etiam noluisse Ioab nuntium mittere Achimaas, quod coniectaretur, regem a nuntii persona ad rei nuntiandae naturam facturum esse illationem, atque ita a laeta exspectatione delapsurum esse in imam tristitiam. v. 28 « *Clamans autem Achimaas dixit ad regem : Salve rex. Et adorans regem coram eo* », melius *super faciem suam* (*LXX Chald. Syr.*), « *pronus in terram, ait : Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui levaverunt manus suas contra dominum meum regem* ». Clamavit, dum appropinquabat. *Conclusit* vertunt *Vulg. LXX, tradidit Chald. Syr.* : vox hebr. utroque sensu accipitur. v. 29. « *Et ait rex : Estne pax puero Absalom ? Dixitque Achimaas : Vidi tumultum magnum, cum mitteret Ioab servus tuus, o rex, me servum tuum ; nescio aliud* ». *Hebr. nescio quid,* et *LXX* addunt *ibi,* sc. acciderit. Achimaas

regem ad audiendum nuntium funestum gradatim praeparat. v. 30 « *Ad quem rex : Transi, ait, et sta hic. Cumque ille transisset et staret* », v. 31 « *apparuit Chusi et veniens ait : Bonum apporto nuntium, domine mi rex* » : — reliqui *accipiat nuntium dominus meus rex* — « *iudicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium, qui surrexerunt contra te* ». כבב motum in gyro significat, hinc assidere convivio 1 Reg. 16, 11, h. l. se iungere coronae aulicorum : *transi*. Rex, a Chusi plura exquisiturus, nihil amplius interrogat Achimaas. — v. 32 « *Dixit autem rex ad Chusi : Estne pax puero Absalom. Cui respondens Chusi : Fiant, inquit, sicut puer inimici domini mei regis, et universi qui consurgunt adversus eum in malum* ».

Luget 10, 33-19, 8 filii interitum David. Non enim egregiis dotibus caruerat Absalom ; insuper eo tempore natu maximus filiorum erat, et a patre haeres futurus regni omniumque divinarum promissionum credebatur. Confer hunc Davidis luctum vehementiorem sed naturalem, ob destructam in poenam peccati domum suam seu exstinctos filios (cf. 12, 7 sqq.), cum altero luctu 1, 17 sqq., propter ruinam domus Saul edito. v. 33 « *Contristatus* » — *Hebr. contremens* prae dolore — « *itaque rex ascendit coenaculum portae* », cubiculum superius, quod erat in turre (cf. dicta ad v. 24), ut esset solus, « *et flevit* ». Fletui *Ios.* addit pectoris contusionem capillorumque evulsionem, quibus res evadat magis tragica. Paulo differunt exclamationes in *Hebr.*, sed nullatenus sensus afficitur. « *Et sic loquebatur vadens : Fili mi Absalom, Absalom fili mi ! Quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom !* » — *Cap. XIX.* Apte hoc caput *Hebr.* ab 18, 33 orditur, unde illud 44 pro 43 versibus apud ipsum constat. v. 1 « *Nuntiatum est autem Ioab, quod rex fleret et lugeret filium suum* » ; v. 2 « *et versa est victoria in luctum in die illa omni populo, audivit enim populus in die illa dici : Dolet rex super filio suo* ». v. 3 « *Et declinavit populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus et fugiens de proelio* ». *Declinavit :* ita versiones, ut videatur dici populus non intrasse civitatem. *Sed* גנב praeter declinandi etiam *furandi* assumit significationem ; unde iam *Vatabl., Sa* : « furtive se subducebat populus, dum ingrederetur civitatem », furtive irrepebat. — *Hebr. populus confusus in fuga sua de proelio.* Descripsit s. auctor v. 2 sq. effectum luctus regii in populum, qui effectus impulit Ioab, ut v. 5 regem adiret : iam v. 4 resumit 18, 33, describens luctum regis, et dein v. 5 resumit v. 1, ostendens quid Ioab accepto nuntio apud regem egerit. v. 4 « *Porro rex operuit caput suum, et clamabat voce magna : Fili mi Absalom, Absalom fili mi, fili mi !* » v. 5 « *Ingressus ergo Ioab ad regem in domum, dixit : Confudisti hodie vultus omnium servorum tuo-*

rum, qui salvam fecerunt animam tuam, et animam filiorum tuorum et filiarum tuarum, et animam uxorum tuarum, et animam concubinarum tuarum». *Malv.* : » Hoc tuo facto effecisti, ut tuum exercitum victorem facti sui pudeat, perinde ac si victus esset». Melius *Calm.* : Confudisti, quia excepisti ratione tantopere diversa ab ea, quam ipsi exspectaverant ; unde, veluti in temeraria exspectatione deprehensi, erubuerunt. Ioab luctum ab amore naturali profectum compescere studet ope alius amoris naturalis, ostendens, quanto discrimine liberati sint reliqui de familia regis, interitu Absalomis. Simul innuit, gratitudine obligari regem, ut aliquam exercitui gratiam exhibeat, accepto tanto beneficio. v. 6 « *Diligis odientes te, et odio habes diligentes te ; et ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis et de servis tuis, et vere cognovi modo, quia, si Absalom viveret et omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi* ». *Hebr. Chald. LXX* hunc versum cum praecedente iungunt : *eo quod diligas... et odio habeas ;* dein *Hebr. quia ostendisti* explicat, quomodo David cognoscatur diligere odientes se etc. ; et coordinantur sequentia *quia vere cognovi*. Hinc versus penitius ostendit, quomodo confuderit David servos suos (v. 5) : confudit sc., faciens id quod minime omnium exspectabatur, diligens odientes se et odio habens diligentes se. Si iam argumentum praecedentis versus prosequeretur Ioab, pergeret nunc : quia ostendisti hodie, quia non curas de vita tua et de vita filiorum etc. ; sed illud argumentum ei sufficit indicasse, unde aliud superaddit : quia ostendisti hodie, quia non curas de ducibus tuis et de servis tuis ; quod argumentum non iam ad amorem naturalem appellat, sed ad prudentiam politicam. Quis enim rex aequo animo ferat, credere milites, eum nihil de ipsis curare ? Idem altera coordinata sententia exprimit dein Ioab : quia vere cognovi modo, quia, si Absalom viveret et omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. Id practice quasi professus est David, quando, totus absorptus luctu filii, de incolumitate exercitus nequaquam sollicitus apparuit. v. 7 « *Nunc igitur surge et procede, et alloquens satisfac servis tuis ; iuro enim tibi per Dominum, quod, si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum nocte hac ; et peius erit hoc tibi, quam omnia mala, quae venerunt super te ab adolescentia tua usque in praesens* ». *Hebr.* concisius *Surge, egredere, et loquere ad cor*, expressio usitata de benevolo alloquio, cf. Gen. 34, 3 ; 50, 21. v. 8 « *Surrexit ergo rex et sedit in porta, et omni populo nuntiatum est, quod rex sederet in porta, venitque universa multitudo coram rege* », i. e. coram ipso ordinibus suis transibant, eo benigne alloquente et laudante.

Describitur 19, 8-20, 26 Davidis reditus. Ubi primum 19, 8-10 ostenduntur « cunctae tribus » de reducendo rege deliberasse. Qua tamen vice David non, quod mortuo fecerat Isboseth, exspectavit, ut ipsae ad se venirent, sed aliquid sibi faciendum ratus tribum Iudam per pontifices sollicitavit, Amasae non veniam solum sed militare imperium promisit, quo propriam tribum conciliaret, urbem munitissimam, centrum regni recuperaret, et ita maiori cum auctoritate reliquas tribus, ut in deditionem venirent, exhortaretur. Res, quod tribum Iudam attinet, prospere cessit : Iudaei enim « quasi vir unus » (v. 14) regi adhaeserunt eumque Hierosolymam deduxerunt. Sed indidem nata est aliarum tribuum invidia, et ex invidia rebellio.

« *Israel autem fugit in tabernacula sua* ». Revertitur narratio ad 18, 17. Iunge : Cum fugisset Israel, i. e. qui secuti fuerant Absalom, unusquisque in tabernaculum suum, omnis populus « disceptabat » (*Mar.*), altercabatur, unusquisque defectionis culpam a se removere, et in reducendo David primas partes agere studebat. v. 9 « *Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens : Rex liberavit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philisthinorum; et nunc fugit de terra propter Absalom* » ; v. 10 « *Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bello : usquequo siletis et non reducitis regem* »? — *Hebr. Quare inertes estis, i. e. haesitatis in reducendo rege?* Omnes Davidis titulos in memoriam revocant : ius indubium, accepta ab eo beneficia, adversarii interitum. — *LXX* h. l. inserunt verba, quae omnes habent in fine v. 11 : « Sermo autem omnis Israel pervenit ad regem » ; transpositio apud *LXX* explicari potest ex desiderio pressioris contextus, ut, quae totum Israel spectent, v. 10 absolverentur. Sed contextum scriptores hebr. non tam presse sequuntur, et verba v. 11 omnino sunt apta, si cum *Vulg.* tempore plus quam perfecto exprimantur. Quod sc. rex didicisset, totum Israel de se reducendo iam deliberare, id eum magis etiam impulit ad Iudaeos sollicitandos, ut, his deditionis initium facientibus, alii facilius sequerentur. Nemo quippe facilius sollicitationi cessurus existimabatur, quam Iudaei, qui in rege Davide primatum reliquarum tribuum obtinerent. Aliunde magis ipsi amica sollicitatione indigebant, quod atrocior eorum defectio fuisset (*Sanct.*), quodque defectionis exemplum Hebrone dedissent, civitate Iudaeae principe (*Tir.*).

v. 11 « *Rex vero David misit ad Sadoc et Abiathar sacerdotes, dicens : Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes : Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem in domo eius* ». Alii omnes iam deliberant ; nisi festinetis, praevenient vos. Pontificum erat deditionem suggerere,

virorum summae auctoritatis Davidique ob servatam fidem acceptissimorum, qui tamen toto turbarum tempore inter rebelles essent versati. v. 12 « *Fratres mei vos, os meum et caro mea vos : quare novissimi reducitis regem ?* » Cf. 5, 1. Plus reliquis Amasae erat timendum, quod consanguineus esset regis et sub Absalome imperio functus : hinc v. 13 « *Et Amasae dicite : Nonne os meum et caro mea es ? Haec faciat mihi Deus et haec addat, si non magister militiae fueris coram me omni tempore pro Ioab* ». Prius iam 3, 29. 39 statuerat rex se a Ioab expedire ; verum is potentior fuerat, et in capienda Iebusaeorum arce imperium exercitus universi Israel promeritus 1 Par. 11, 6. Nunc, ubi Ioab, neglecto regis expresso mandato, Absalomum interemisset, rursus cogitabat rex de illo imperio privando. v. 14 « *Et inclinavit cor omnium virorum Iuda, quasi viri unius, miseruntque ad regem, dicentes : Revertere tu et omnes servi tui* ». v 15 « *Et reversus est rex et venit usque ad Iordanem : et omnis Iuda venit usque in Galgalam, ut occurreret regi, et traduceret eum Iordanem* », trans flumen et inde Hierosolymam, solemni ritu.

In hoc regis reditu viri plures conspicui fuere, sive quod iratum placare zelo studerent, sive quod sincero agerentur amore. v. 16 « *Festinavit autem Semei, filius Gera, filii Iemini, de Bahurim, et descendit cum viris Iuda in occursum regis David* », v. 17 « *cum mille viris de Beniamin* ». Cf. 16, 5 sqq. Ubi primum Iudaei exemplum dedissent recipiendi regis, noluerunt Beniaminitae, saltem ii per quorum fines agmen triumphale ducebatur, ea in re ipsis videri desidiores, quod ob regionis affinitatem regis indignationem vererentur magis. Prae ceteris hac in re eminuit Semei, vir, uti apparet, inter suos primariae auctoritatis, quique iustas sibi prioris impudentiae poenas timeret. Adfuit item Siba, insigni 16, 4 a rege beneficio ornatus, sive grati animi ostendendi, sive accepti beneficii confirmandi cupidus. « *Et Siba, puer de domo Saul, et quindecim filii eius ac viginti servi* » (9, 10) « *erant cum eo : et irrumpentes* », traiicientes, « *Iordanem, ante regem* » v. 18 « *transierunt vada, ut traducerent domum regis et facerent iuxta iussionem eius* ».

Utrum Siba cum suis inter mille viros computetur, non liquet, sed parum refert, cum ille numerus mille sit tantum approximativus. Aliter interpungit *Syr.*, copulam ante *irrumpentes* omittens, quae utique facile ex praecedenti אתו oriri potuit. Secundum quam lectionem sequentia non iam de Semei et Siba, sed de solo Siba affirmantur, Siba zelo omnibus praevit, rege non solum cis flumen exspectato, sed ipso flumine traiecto, atque opera cum suis impensa in traducenda regis familia ; unde etiam facilius explicatur regis v. 29 in Sibam liberalitas (*Wellh.*). Pro qua lectione, praeter Syri auctoritatem, illud afferri potest, praeteritum cum copula (וצלחו) cum significatione temporis praeteriti minus esse usitatum. Nota tamen, etiam in lectione

recepta evidens esse, non omnes mille viros, additis insuper Iudaeis, operam navasse regi cum suis trans flumen comportandis, sed id officii praestitum esse a quibusdam, fortasse a Siba et sociis proxime recensitis. — *Transierunt : LXX*, in una ex duabus quas conglutinant versionibus, et *Syr.* pro עברו legebant עבדו *et operati sunt vadum*, onera portantes vel scapham gubernantes. Reapse transitum fluminis iam exprimit vox *irrumpentes*.

« *Semei autem, filius Gera, prostratus coram rege, cum iam transisset Iordanem* », v. 19 « *dixit ad eum : Ne reputes mihi, domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum servi tui in die, qua egressus es, domine mi rex, de Ierusalem, neque ponas, rex, in corde tuo* », *gall.* « prendre à cœur ». — Reliqui *cum transiret*, ut non pateat, in utra fluminis ripa haec acta fuerint, utrum rege scapham ingrediente, aut ex ea egrediente ; rem mechanice composuere *Syr. Ios.* exstructo ponte, in quo Semei regi occurreret. *Clair* putat verba ad ipsum Semei referri, qui, ubi primum flumen traiecisset, ad pedes regis se prostraverit : verborum ordo huic explicationi non favet. v. 20 « *Agnosco enim servus tuus peccatum meum, et idcirco hodie primus veni de omni domo Ioseph, descendique in occursum domini mei regis* ». *Domum Ioseph* intelligi Israel, habes ex glossa, quae in textum *LXX* penetravit. Cur autem Israel universim domus Ioseph appelletur, explicat 1 Par. 5,1 : « Ipse quippe (Ruben) fuit primogenitus eius ; sed cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph, filii Israel, et non est illi reputatus in primogenitum ». v. 21 « *Respondens vero Abisai, filius Saruiae, dixit : Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini ?* » *Hebr. pro hoc*, quod potest iungi sequenti inciso : Numquid non occidetur Semei pro hoc, quod maledixit ? Ceterum *pro his verbis*, secundum modum loquendi scripturae et Vulgatae, potest idem esse atque *pro hoc*. Iam vero *pro hoc* non potest referri cum Keil ad verba compunctionis v. 19 sq. a Semei prolata, licet enim ea supponerentur ex ficta compunctione profecta, non constituerent delictum morte plectendum. Potest autem ita exponi locus : Nonne pro his verbis, in commutationem quasi horum verborum v. 19 sq. prolatorum, potest occidi Semei, quia praevie maledixit etc. ? Ita verba v. 19 sq. non essent simpliciter causa, sed mera occasio propositae occisionis Semei.

v. 22 « *Et ait David : Quid mihi et vobis, filii Saruiae ?* » Cf. 16, 10. « Quid vestra interest, si ego misericors esse voluero ? » (*Menoch.*). « *Cur efficimini mihi hodie in satan ? Ergone hodie interficietur vir in Israel ?* » Cf. 1 Reg. 11, 13. « *An ignoro, hodie me factum regem super Israel ?* » Vocem *satan Vulg.* 1 Reg. 29,4 vertebat *adversarius ; Hebr.* pro *cur* habet quidem כי, sed, si sententiam pronunties tono interrogativo,

recte vertes *cur*. Quorsum vero filii Saruiae adversarii? Explicat *Ios.* : «Nolite novas nobis post priores movere turbas et seditiones» ; et *Menoch.* : « Erat enim reipsa huiusmodi consilium inimici, mors quippe Semei omnes tribus a Davide alienas reddidisset, dum de venia desperarent, et par supplicium sibi formidarent ». — Tantum condescendit rex, ut profiteatur, reverti se animo non regis eiecti, qui acceptas ulturus sit iniurias, sed recens electi, cui nonnisi collati regni grates sint reddendae. « Nolo laeti huius diei serenam lucem supplicio hominis turbari ; perinde enim diem hunc habeo, ac primum suscepti imperii. Mos olim obtinebat, ut e carcere dimitterentur sontes, qua die principes imperium capessebant » (*Calm.*). v. 23 « *Et ait rex Semei : Non morieris. Iuravitque ei* ».

Vituperant nonnulli regem, quod non sincere inimico ignoverit, cf. 3 Reg. 2, 8 sq. Adverte, delictum Semei eiusmodi fuisse, quod severam omnino animadversionem mereretur ; simul tamen eius in ipso regis reditu punitionem futuram fuisse omnino impoliticam. Quae duo momenta debite prae oculis habet David. Ex comparatione v. 22 patet, vi verborum promitti Semei impunitatem tantum pro *hodie*. Ita etiam *Sanct.* : « Abulensis dicit, sensum iuramenti iuxta Davidis mentem esse, neque illo die, neque sua manu, aut dum ipse viveret, occidendum esse Semei ». Davidis iuramento non obligabatur Salomon : ergo etiam licebat Davidi suadere Salomoni, ut de Semei poenas sumeret. Si ipse David iudicasset, aliquid plus Semei deberi, certe non morti proximus verba 3 Reg. 2,9 locutus esset ; neque sapientiae Salomonis tribueretur 3 Reg. 2,44 sq. interemptus tandem Semei.

v. 24 « *Miphiboseth quoque filius* » i. e. nepos « *Saul, descendit in occursum regis illotis pedibus et intonsa barba, vestesque suas non laverat a die, qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis eius in pace* ». *Hebr. non fecerat pedes suos ; Chald.* vertit uti *Vulg.* ; *LXX non praeciderat ungues pedum.* — *Hebr. infectis labiis,* quod recte advertit *Vere.* intelligi de barba non compta, etenim barbam non tonderi nequaquam erat significatio moestitiae. Sensit id iam *LXX*, vertens μύσταξ i. e. labium superius, « quod Hispanus ab origine graeca, mostachos, vocat » (*Sanct.*). v. 25 « *Cumque Ierusalem occurrisset regi, dixit ei rex : Quare non venisti mecum, Miphiboseth ?* » v. 26 « *Et respondens ait : Domine mi rex, servus meus contempsit me, dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, et ascendens abirem cum rege : claudus enim sum servus tuus* ». « Excusat se Miphiboseth ab impossibili » (*Sanct.*). *Ierusalem* h. l. dicuntur ii, qui v. 15 dicebantur *omnis Iuda*, et indicatur Miphiboseth descendisse, non cum Beniaminitis v. 17, sed cum Iudaeis. v. 27 « *Insuper accusavit me servum*

tuum ad te dominum meum regem : tu autem domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi ». Cf. 14, 17. 20 ; 1 Reg. 29, 9.

וירגל non intellexit *Chald.*, paraphrasi usus. Lexica pro hoc unico textu affixere explanationem : concursavit — ad calumniandum, i. e. calumniatus est (!). Sed *Syr.* legebat וידגל, cui radici in linguis chald. syr. arab. significatio *mentiendi* omnino propria est. *Vulg. accusavit.*

v. 28 « *Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi* », cf. 21, 7 : « *tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensae tuae. Quid ergo habeo iustae querelae, aut quid possum ultra vociferari ad regem* », « quasi mihi fiat iniuria » (*Menoch.*)? Quod a me abstulisti, non iure mihi debebatur, culpa enim maiorum omnia amissa fuerant ; post tot accepta gratuita beneficia non possum nunc iure conqueri ; longe maiora sunt accepta beneficia privatione inflicta. Cf. *Sanct.* — *Hebr. Quod ergo adhuc mihi est ius? Vulg.* laesi iuris consequentiam exprimit : *Quid ergo habeo iustae querelae ?* — v. 29 « *Ait ergo ei rex : Quid ultra loqueris?* ». Recte *Syr. Satis dixisti verborum* ; nolebat rex, saltem in illis circumstantiis, plura ea de re audire. Minus feliciter *Malv.* « Accipio excusationem tuam ». « *Fixum est, quod locutus sum* », seu potius quod nunc loquor. « *Tu et Siba dividite possessiones* » aequaliter ; quod patet tum ex comparatione eiusdem expressionis 1 Reg. 30, 24, tum ex eo, quod sine hac determinatione sententia Davidis reapse esset nulla.

Iam clarum est, sententiam h. l. a Davide prolatam diversam esse et ab ea 9, 7, qua omnia Miphiboseth, et ab ea 16, 4, qua universa Sibae addicebantur. Nam, quod fingunt aliqui, Davidem h. l. declarare agros communes tam Miphiboseth quam Sibae, illi sc. tamquam hero et huic tamquam villico, absurdum est. Qua nova sententia utique agnoscebat David, condemnationem 16, 4 in Miphiboseth prolatam fuisse severiorem. Verum hinc a plurimis, tum Iudaeis tum christianis, interpretibus iniustitiae accusatur David ; ut nobis videtur, immerito. Duorum nobis est ratio reddenda, et gratiae Sibae concessae, et poenae Miphibosetho inflictae. Ac primum quidem, demus Sibam et in herum fuisse infidelem, et in regem mendacem. Ast nonne licebat ipsum impunem abire, qui certe minus quam Semei in regem deliquisset ! num non oportebat Davidem stare verbis a se solemniter enuntiatis : « An ignoro hodie me factum regem super Israel » ? Quibus protestabatur, se priorum iniuriarum memoriam abdicare. Accedebat ratio politica summi momenti. Beniaminitae exemplo potius Iudaeorum abrepti regi obviam ierant ; non ex toto corde neque universi ipsi adhaerebant, ut clare demonstrat factum cap. 20 narratum. Quid, si rex Sibam, cui triginta quinque (9, 10) erant familiares, et utique longe plures numero amici, omnibus bonis privasset? Nonne imminens erat periculum defectionis Beniaminitarum et belli civilis atrocissimi ? Imo obligabatur rex hac in re dissi-

mulare saltem. Privari dimidia possessione Sibae non ita grave erat, tum quod Absalome imperante non potuerat actu occupare, quae a Davide sibi essent tradita, tum quod ademptae illi unius dimidiae partis facto confirmabatur possessio alterius dimidiae partis, neque quidquam assecuturus fuisset ab alio quoquam, quam David rege. Verum enimvero, nonne per summum nefas privatus est Miphiboseth medietate bonorum. Respondeo cum sapientissimo Sanct. : « An aliquid David addiderit eorum loco, quae ex alienis bonis Sibae concesserat, non constat ; mihi, cum Davidis ingenium et fidelitatem, tum etiam liberalem animum intueor, verisimile est, iacturam illam alia ex parte liberali manu compensasse : nam illum admisisse innocentis hominis excusationem, mihi dubium non est. Quodsi ita est, non erit cur quisquam accuset Davidem violati foederis cum Ionatha percussi ». Atque ipsa tandem Miphiboseth innocentia, num praeter omnem dubitationem demonstratur ? Habes Sibam affirmantem 16, 3, Miphiboseth negantem 19, 26 sq., inter utrumque Davidem, uti apparet, dubitantem. Ast habemus v. 24 Miphibosethi barbam, imo secundum LXX ungues, horrentia corporis appendicia, quorum foedo aspectu ipse Sanct. ita movetur, ut affirmet : « In Miphiboseth nullam haesisse culpam, facile ex eius illuvie et sordibus intelligere potuit ». Num ita evidens est, ungues inde a Davidis egressu intonsos crevisse ? num non fortasse uno die minus, sc. a tempore, quo Miphiboseth Achitophelis suspendium didicit, atque de Absalomis rebus serio dubitare coepit ? Non raro, qui aliquo corporis defectu sicut Miphiboseth laborant, perquam sagaces sunt et malitiosi. Non omnino evidens Iosepho erat viri innocentia : « Quibus auditis », inquit « neque Miphibosethum decrevit punire, neque Sibam tamquam mendacii reum condemnare ». Cave igitur, ne, dum unguium et sordium argumento regem prudentissimum iniustitiae arguis, te ipsum levitatis reum constituas.

v. 30 « *Responditque Miphiboseth regi : Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam* ».

v. 31 « *Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Iordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum* ». v. 32 « *Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius, et ipse praebuit alimenta regi, cum moraretur* » (pro בְּשִׁיבְתּוֹ lege cum versionibus בְּשָׁבְתּוֹ, *de Rossi*) « *in Castris; fuit quippe vir dives nimis* ». Veniens cum rege de Mahanaim (cf. 17, 27), solemniter illum deduxit usque ad eum locum, ubi solemnius illum Iuda et Beniamin excipiebant. Piel שלח habet sensum *dimittendo comitari*, Gen. 18, 16 ; 31, 27 : hinc *Hebr. traduxit regem Iordanem, ut comitaretur eum usque ad Iordanem*. Berzellai senex statuerat regem non longius quam ad flumen comitari ; rex, summam viri existimationem professus, ut ulterius progrederetur, urgebat. *Kethib* את בירדן corruptum est vel ex את הירדן, vel ex בירדן. *Chald. ut comitaretur eum usque Iordanem* ; *Syr. ut dimitteret eum inde a Iordane ; LXX* ἐκπέμ. ψαιαὐτὸν τοῦ Ἰορδάνου. —

v. 33 « *Dixit itaque rex ad Berzellai : Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Ierusalem* ». *Hebr. ut alimenta praebeam tibi mecum.* v. 34 « *Et ait Berzellai ad regem : Quot sunt dies annorum vitae meae, ut ascendam cum rege in Ierusalem?* » Quantum vitae adhuc mihi superest? Sum nimis provectae aetatis. v. 35 « *Octogenarius sum hodie : numquid vigent sensus mei ad discernendum* » — *Hebr.* breviter *numquid discernam* — « *suave aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus et potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? Quare servus tuus sit oneri domino meo regi?* » v. 36 « *Paululum procedam famulus tuus ab Iordane tecum* ».

Solus *Syr. : aegre transiit servus tuus Iordanem,* iam hoc aegre praestiti, plus praestare non valeo. Sed reliqui habent futurum, quod explicat *Vatabl.* : Paululum tantum ultra flumen te comitabor, ac dein revertar. Nec obest, quod dicit *Wellh.*, ex v. 31 eam fuisse mentem Berzellai, comitari regem ad flumen usque tantummodo ; nam potuit is paululum mutare mentem, ut se gratum exhiberet regiae liberalitati. Sed bona etiam expositio *Keil*, et quae aptissimum cum sequentibus nexum praebet : Pro exiguo tantum tempore traiiceret servus tuus Iordanem ; vix operae pretium est pro tam exiguo tempore traiicere flumen, cum ob provectam aetatem tam exiguo tempore mihi licitum foret cum rege versari eiusque bonis frui : *utquid largiatur mihi rex largitionem hanc* (*Hebr.*)? seu cum *Vulg.* « *Non indigeo hac vicissitudine* », v. 37 « *sed obsecro, ut revertar servus tuus, et moriar in civitate mea, et sepeliar iuxta sepulcrum patris mei et matris meae. Est autem servus tuus Chamaam* », filius meus, quod per se et ex 3 Reg. 2, 7 patet, « *ipse vadat tecum, domine mi rex, et fac ei, quidquid tibi bonum videtur* ». v. 38 « *Dixit itaque ei rex : mecum transeat Chamaam, et ego faciam ei, quidquid tibi placuerit, et omne, quod petieris a me, impetrabis* ». *Hebr. quod elegeris super me* est brachylogia, quam explicat *Chald.* : quod elegeris, et eligendo *imposueris super me.* Ipso expresso desiderio obligationem mihi impones petita praestandi. Petierat Berzellai : « Fac ei, quidquid bonum videtur in oculis tuis » ; respondet rex : « Faciam ei, quidquid bonum videtur in oculis tuis ». v. 39 « *Cumque transisset universus populus et rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai et benedixit ei, et ille reversus est in locum suum* ». *Hebr. Et transivit universus populus Iordanem, et rex transivit.* Universum populum intellige eum, qui trans Iordanem fuerat : non sequitur omnes Iudaeos traiecisse flumen. v. 40 « *Transivit ergo rex in Galgalam, et Chamaam cum eo* ».

Occasione triumphalis reditus exortae sunt civiles dissensiones. « *Om-*

nis autem populus Iuda traduxerat regem, et media tantum pars adfuerat de populo Israel ». v. 41 « *Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei : Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, et traduxerunt regem et domum eius Iordanem, omnesque viros David cum eo?* » Non iam agitur de rege trans Iordanem, sed a Galgalis Hierosolymam traducendo. « Media sumitur pro parte aliqua » (*Mar.*). Adverte querelam dirigi ad regem, responsum v. 42 dari a Iudaeorum turba : tumultus videtur locum habuisse, quo prohibitus est rex, quominus pacifice rem componeret. Querelarum occasio v. 43 exprimitur, quod tribus Israel non fuerint invitatae, et quidem ante tribum Iuda invitatae ad reducendum regem. Revixit antiqua tribuum aemulatio. Notat *Clair*, licet querelae videantur esse de solis viris Iuda, reapse tamen esse de ipso rege, qui tribum Iuda, neglectis reliquis tribubus, per pontifices sollicitasset.

Traduxerat : kethib ויעבירו, sed versiones ignorant copulam ; legebant *keri* העבירו ; *LXX* legebant עברים, quod sensui certe optime convenit, *erant traducentes*. — *Furati sunt*, « clam nobis reducentes » (*Sa*). *Domus* intelligitur familia David, *viri* eius bellatores, imprimis Cerethi, Phelethi, Gethaei. « Quare illi soli fuerunt comites, ut reducerent te ? debebant enim nos vocare » (*Vatabl.*).

v. 42 « *Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel : Quia mihi propior est rex* », « quippe qui ex eadem tribu Iuda est, et in nostra tribu, ex quo rex est, semper habitavit » (*Menoch.*) ; « *cur irasceris super hac re? Numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt?* » Urgent Iudaei sanguinis affinitatem, nullumque derivatum privatum emolumentum. Quae duae rationes certe non sufficiebant ad placandos Israelitas, qui sibi, sin primum, at certe aliquem penes regem locum vindicabant, et in eo reducendo honorem ambibant potius quam emolumentum. Nota, sermones magis magisque acescere. Causatus erat Israel *furtum* veluti quoddam : retorquet Iuda, nullo se avaritiae motivo instigari, ubi *Then.* cernit acerbam allusionem ad 1 Reg. 22, 7 : « Numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros et vineas etc. ? » Videntur Beniaminitae regnante Saul ditati esse haud parum. v. 43 « *Et respondit vir Israel ad viros Iuda, et ait : Decem partibus maior ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David quam ad te : cur fecisti mihi iniuriam, et non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Iuda viris Israel* ».

Hebr. Decem partes mihi sunt in rege, quod explicat *Menoch.* : « Si David spectetur ut privatus, magis ad vos pertinet, quia ex vestra tribu ; si vero ut rex, magis ad nos, qui decem partibus vos numero superamus, et ideo maxima illius regni pars sumus ». Similiter iam *Theodoret.* Decem dicuntur partes, quo sensu Israel postmodum regnum decem tribuum appellabatur : Beniamin fortasse neutri parti adnumeratur. — *Hebr. et etiam in Davide ego plus quam tu*, quod explicavit *Chald.* : *et etiam*

in Davide complacemus nobis, plus quam tu, plus eum diligimus ; sed id vix concordat cum 20,1. *Vulg. magisque ad me pertinet David*, conclusionem veluti derivat ex praecedentibus *decem partibus maior ego etc. LXX Ios.* pro בדוד legebant בכור : *et etiam primogenitus ego prae te*, quo novum et efficax introducitur argumentum. Israel erat primogenitus tum ratione 1 Par. 5,1 dictorum, tum ratione maioris potentiae. — *Hebr. potest etiam verti : Cur me minuisti ? Nonne verbum meum primum fuit mihi ad reducendum regem meum ?* Ubi *Ps. Hier.* provocat ad v. 9 : « Sermo autem omnis Israel pervenit ad regem in domo eius » ; ut sensus sit : Nonne ego prior locutus sum de reducendo rege ? — *Hebr. Et durius fuit verbum virorum Iuda quam verbum virorum Israel* ; contentio magis magisque efferbuit, donec 20,1 in apertam prorupit rebellionem ; neque viri Iuda omni culpa vacabant.

Cap. XX intime cum praecedentibus cohaeret : continuat narrationem eorum, quae acta sunt *ibi*. v. 1 « *Accidit quoque, ut ibi esset vir Belial nomine Seba, filius Bochri, vir Iemineus* », i. e. Beniaminita ; « *et cecinit buccina et ait : Non est nobis pars in David neque haereditas in filio Isai : revertere in tabernacula tua Israel* ». *Accidit quoque* : ita נקרא recte vertunt *Vulg. Chald.* ; cf. 1,6 *casu veni*. Nomen parentis Isai per contemptum ponitur, quod is fuerit vir obscurus. *Menoch.* italice vertit : « Non abiamo che fare con David ». Cur autem buccina cecinit Seba? *Sa* : « ut sedaret tumultum et attentis loqueretur » ; melius *Menoch.* : « Israelitas convocans, ut relicto Iudaeis rege ipsi secederent ». Fortasse iam tum diversa habebantur buccinae signa, quorum unum iubebat « ad tabernacula reverti ». v. 2 « *Et separatus est omnis Israel a David secutusque est Seba, filium Bochri ; viri autem Iuda adhaeserunt regi suo a Iordane usque Ierusalem* ». *Hebr. Et ascendit omnis Israel de post David post Seba :* ascendit sc. in montem Ephraim (*Then.*) fere inde a Galgalis. Reliquis continuo deficientibus, viri Iuda toto itinere regi fideliter adhaeserunt.

v. 3 « *Cumque venisset rex in domum suam in Ierusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam domum, et tradidit eas in custodiam* », — *Hebr. in domum custodiae,* « velut in claustro » (*Malv.*) — « *alimenta eis praebens ; et non est ingressus ad eas, sed erant clausae usque in diem mortis suae* » — *Hebr. earum,* — « *in viduitate viventes* ». Harum concubinarum mentio apte subiungitur, ubi de regis Hierosolymam adventu sermo est. Non decebat regem ad illas licet innocentes ingredi, postquam tam publice fuerant foedatae ; neque liber repudii regiis coniugibus dabatur, quo illis liceret ad secundas nuptias convolare.

In viduitate viventes, אַלְמְנוּת חַיּוֹת. Vox חַיּוֹת secus non occurrit, *Vulg. LXX* certe punctabant חַיּוֹת, unde vertendum erit *viduitas vitae*, et explicat *Mar.* : « Viduitas mortis est, cum vir obiit ; viduitas vitae, cum eo vivente coniuges separantur » ; vel etiam viduitas ad vitam, sine possibilitate secundarum nuptiarum. *LXX Chald. Syr.*

punctabant אַלְמְנוֹת, ergo *viduas vitae,* viduas ad vitam, seu viduas viventes, quas explicat *Chald. viduas, quarum mariti superstites sunt*, estque ea expressio, licet minime logica, a genio tamen linguae haudquaquam aliena. *Vulgatam* crederem intellexisse *viduas vitae*, sed liberius vertisse.

v. 4-13 narratur Amasae interfectio, cuius causa fuit Ioabi ambitio ; Amasae enim 19, 13 promiserat David, futurum eum magistrum militiae loco Ioab. Tanto impunius autem poterat illum Ioab interficere, quod eo interempto alius non esset nisi Ioab, qui ei muneri par esset : quod facto comprobatum est. v. 4 « *Dixit autem rex Amasae : Convoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, et tu adesto praesens* ». Ita omnes textus : tertius dies fuit tempus praestitutum cum habendae concioni, tum reditui Amasae. Amasae missio ostendit regem Amasam aut iam constituisse principem militiae (*Malv.*), aut brevi constituturum fuisse (*Menoch.*). Deducto Hierosolymam rege, illico videntur Iudaei in suam quisque domum abiisse, more hominum strictis militaribus legibus nondum assuetorum. v. 5 « *Abiit ergo Amasa, ut convocaret Iudam, et moratus est extra placitum, quod constituerat ei rex* ». v. 6 « *Ait autem David ad Abisai : Nunc magis afflicturus est nos Seba, filius Bochri, quam Absalom ; tolle igitur servos domini tui, et persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas et effugiat nos* ».

Ad Abisai legunt *Hebr. Vulg. Chald.*, et explicat *Malv.* : « quia Ioabum iam imperatorio munere depulerat ». *LXX ad Amasam*, quod certe est falsum. *Syr. Ios. ad Ioab*, quae lectio solidam habet probabilitatem, quia secus Ioabi mentio v. 8 abruptior est, quia vix potest supponi Ioab militasse sub fratre Abisai natu minore, quia Ioab v. 11 sqq. evidenter effertur tamquam dux expeditionis supremus, quia *viri Ioab* v. 7 minime sub alio duce militassent ; cf. *Then.* — *Effugiat nos*, והציל עינינו. Quod verbum derivat *Vulg.* a נצל, sed obiiciunt illud significare *eruere, eripere*, nunquam vero *se eripere, se subducere*. Unde *Syr.* vertit *et eruat oculos nostros*. *LXX* derivat a צלל *obumbrare*, quae significatio utrique propositae explicationi adaptari potest. *Chald.* legebat והציק, *et affligat nos.*

v. 7 « *Egressi sunt ergo cum eo viri Ioab, Cerethi quoque et Phelethi, et omnes robusti* », i. e. Gibborim, post quos reliqui textus, et quidem merito, inserunt copulam *et* — « *exierunt de Ierusalem ad persequendum Seba, filium Bochri* ». *Viri Ioab* aut sunt eius armigeri, aut pars exercitus cui ipse immediate imperabat (*Clair*), aut ea expressione generali designantur ipsi Cerethi, Phelethi et Gibborim. v. 8. « *Cumque illi essent iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis* ». Sensus obvius est, Amasam e terra Beniamin, in qua erat Gabaon, Hierosolymam versus iter fecisse : ex quo fortasse licebit coniicere, nomine Iudae v. 4 intelligi etiam Beniamin, quotquot Davidis partes sequebantur ; cf. dicta ad 19, 43. « *Porro Ioab vestitus erat tunica stricta*

ad mensuram habitus sui, et desuper accinctus gladio dependente usque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat et percutere ». Circumscribit *Vulg.* expressionem *hebr. : et ipse egrediebatur et cadebat,* i. e. recidebat in vaginam.

חָגוֹר מִדּוֹ לְבֻשׁוֹ. *vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui.* E duobus suffixis unum certe abundat, et reapse versiones omnes prius suffixum ignorant, punctantes מֶדֶּה, quod (cf. 10, 4 et 1 Par. 19, 4) vestimentum exterius seu pallium significat ; ergo simpliciter vertendum *indutus erat pallio pro vestimento suo (LXX).* Compingit *Vulg.* in unum duas earumdem vocum versiones, nam *ad mensuram habitus sui* est מִדַּי לְבֻשׁוֹ. — *Et desuper* : malim vocem referre non ad pallium, sed ad Ioab : quodsi enim gladium supra pallium gestabat is, minus facile intelligitur, quomodo v. 10 Amasa gladium non observaverit ; sed id facillime intelligitur, si gladius sub pallio gestabatur. — *Accinctus gladio : Hebr. Chald.* חֲגֹרָה, *cingulum gladii* ; verum hoc nomen est masc., dum מוצמדת, quod ad illud necessario refertur, fem. est. Ergo melius *Vulg. LXX Syr.* חָגוּר *accinctus.*

v. 9 « *Dixit itaque Ioab ad Amasam : Salve, mi frater ; et tenuit manu dextera mentum Amasae, quasi osculans eum* ». Menti seu potius barbae prehensio in osculis dandis videtur fuisse usitata, simul quadamtenus velabat, quae altera osculantis manu fiebant. Prehendit autem barbam Ioab dextera, qua gladius educi consueverat, quo securior esset Amasa (*Then.*). v. 10 « *Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, et effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, et mortuus est. Ioab autem et Abisai, frater eius, persecuti sunt Seba, filium Bochri* ». v. 11 « *Interea quidam viri, cum stetissent iuxta cadaver Amasae, de sociis Ioab, dixerunt : Ecce, qui esse voluit pro Ioab comes David* ». *Hebr. : Quidam vir stetit iuxta ipsum de sociis Ioab, et dixit : Qui favet Ioab et qui adhaeret David, sequatur Ioab.* Idem legebant *LXX Chald.*, dum *Vulg.* et *Syr.* aliqua ignorant. Ergo Ioab, uno iuxta cadaver constituto custode, qui transeuntes urgeret, procurat, primum ne milites prope cadaver consistant, dein ne caedes facta putetur ad iuvandum Seba et contra Davidem, tandem ut milites sciant expertum et dilectum se habere ducem. v. 12 « *Amasa autem conspersus sanguine iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir* » — *Hebr. Ios.* articulum habent, ergo ille unus vir v. 11 a Ioab constitutus —, « *quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, et amovit Amasam de via in agrum operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum* ». Ioabi mandatum primum effectu caruit, cadavere maiorem sibi vindicante attentione, quam Ioabi mandatum : *quia aspiciebat in ipsum omnis veniens et subsistebat* (*Hebr.*). Hinc ille vir, imperatoris mentem interpretatus, cadaver

amovit. v. 13 « *Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Ioab ad persequendum Seba, filium Bochri* ».

Iam bellum contra Seba gestum describitur. v. 14 « *Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam et Bethmaacha, omnesque viri electi congregati fuerant ad eum* ». *Hebr. : Et transiit per omnes tribus Israel in Abel Bethmaacha* (ita ex v. 15 corrigendum, cf. 10, 6. 8, est locus tribus Nephthali), *omnesque viri electi, et congregati sunt et venerunt post eum.* Deficiente subiecto, quod *Vulg.* supplevit *ille*, sententia aliqua obscuritate laborat.

Vulg. igitur subiectum intellexit *Sebam*. Subiecti abrupta mutatio non ita infrequens est apud auctores hebraeos, hic tamen inde redditur durior quod recurrente eodem verbo עבר, ויעבר obtineat ; aliunde cum hoc subiecto bene concordant suffixa in fine sententiae ; sed ignoranda est cum *Vulg.*, contra *Hebr. LXX Chald.*, copula ante *congregati sunt*. Ex identitate vocum עבר, ויעבר se commendat subiectum *omnis vir*, ex v. 13 transsumptum ; quod cum sit collectivum, facile explicatur transitus in plūralem in fine versus, ubi אף אחריו, cui v. 13 respondet אחרי שבע, refertur ad Sebam ; sed etiam sic ignoranda est illa copula. Qua copula retenta, subiectum rursus potest esse *Seba* : Et transivit Seba per omnes tribus Israel usque Abel Bethmaacha, et omnes viri electi (cum ipso) ; et congregati sunt (exercitus Ioab) et venerunt post Sebam. Vel subiectum potest esse *Ioab*, cuius opinionis iam meminit *Malv.* : Et transivit Ioab per omnes tribus Israel usque Abel Bethmaacha, et omnes viri electi (cum ipso), et congregati sunt et venerunt post Sebam. — *Omnesque viri electi :* hoc *Masor. LXX Chald. Syr.* (עירים, *civitates !*) ad praecedentia trahunt, *LXX Chald.* nomen proprium interpretantur. Tamen בר cum significatione *electus* nonnisi in poesi, et nunquam de militibus usurpatur, unde malim versionem *Vulg.* revocare ad formam בחרים (*Then.*), quae colligitur ex *LXX* πάντες ἐν χαρᾷ. — *Congregati fuerant : keri* ויקהלו sequuntur *Vulg. LXX Chald.* ; forma ויקלהו sensu caret.

v. 15 « *Venerunt itaque et oppugnabant eum in Abela et in Bethmaacha* », — in Abel Bethmaacha : est unica urbs — « *et circumdederunt munitionibus civitatem, et obsessa est urbs ; omnis autem turba, quae erat cum Ioab, moliebatur destruere muros* ».

Hebr. effuderunt aggerem, et quidem, ut ex contextu patet, non ad sola castra protegenda, sed etiam ad urbem impugnandam. Pro *obsessa est urbs, Hebr. LXX et stetit in pomoerio, gall.* « glacis », et subiectum est agger. — *Chald. circumdederunt eam castra, Syr. stetit in angustiis* : uterque ad civitatem refert, sed quid legerint, non constat. — *Moliebatur* omnes exprimunt versiones, unde probabiliter pro משחיתם legebatur מחשבים (*Wellh.*) vel משחרים.

v. 16 « *Et exclamavit mulier sapiens de civitate : Audite, audite, dicite Ioab : Appropinqua huc, et loquar tecum* ». Explicat *LXX de muro*, cf. *Syr.* v. 17 « *Qui cum accessisset ad eam, ait illi : Tu es Ioab? Et ille respondit : Ego. Ad quem sic locuta est : Audi sermones ancillae tuae.*

Qui respondit : Audio ». v. 18 « *Rursumque illa : Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio : Qui interrogant, interrogent in Abela; et sic perficiebant* ». Omnes versiones : *Ita dicebatur antiquitus.* Antiquitus interrogabant in Abela, atque sic expediebant rem eamque feliciter componebant. Videntur generali quadam sapientiae laude antiquitus floruisse Abelitae, quod reapse confirmatur facto, ut tempore, de quo agimus, floruerit Abelae aliqua insignis prudentiae mulier. Quam Abelitarum sapientiam initio orationis commemorat mulier, non tam ut Ioabum de non interrogatis Abelitis reprehendat, quam potius ut eius attentionem conciliet, quod prudens ei sermo audiendus promittatur (*Cai.*).

Alias explicationes tentavere alii, cur Abelam interrogari oporteret. Putavere *Theodoret.* et *Ps. Hier.*, agi de lege Deut. 20, 10 sqq., qua iubentur Hebraei, antequam urbem aggrediantur expugnandam, ea quae pacis sunt proponere. Verum legem aliquam Mosaicam in libris V. T. nomine antiquitus dicti induci, inusitatum est : et sane illa lex minus apte exprimeretur vocibus « Qui interrogant, interrogent in Abela ». — Meminit iam *Malv.* quorumdam putantium, Abelitas floruisse laude prudentiae et sapientiae, « quos ut consultissimos rerum solerent alii consulere », atque inde esse natum proverbium. Ita *Angelom.* : « Haec civitas urbs consilii exstitit et, qui aliquod consilium requirebant, hic interrogabant ». Quam sententiam discutiens *Sanct.* nonnulla affert de academiis quibusdam putatitiis Palaestinae, quae, si lubet, apud ipsum videas. Imo ulterius progressus atque *Abul.* secutus, putat *Sanct.*, Abelae antiquitus exstitisse « commune quoddam et celebre totius Israelis oraculum. Si quid enim dubium incideret, de quo esset instituenda deliberatio, si qua de religione controversia, si quis denique nodus, qui non posset ab aliis facile dissolvi, res tota deferebatur ad Abelam ». « Controversias de religione » non fuisse Abelam delatas, ex ipsa religionis Mosaicae indole constat ; pro aliis nodis dissolvendis semper in s. libris ad ephod vel prophetas, nunquam Abelam recurritur. Sed fortasse Abelae auctoritas nunquam fines tribuum septemtrionalium excessit. — Praeplacet, in generali illa, quam supra diximus, sapientiae laude sistere.

Eundem sensum, sed lectione longe diversa, exprimunt *LXX.* Ipsi pro וְכֵן הֻתַּמּוּ, *et sic perficiebant*, legebant וְיִבְדֹּן הֻתַּמּוּ, *et in Dan, num defecerunt* ? nam תמם aeque *perficere* et *deficere* significat. Dein prima v. 19 verba cum prioribus iungebant, hac ratione defigurata אֲשֶׁר הִשְׁיִמוּ אֱמוּנֵי יִשְׂרָאֵל (*Then.*), ut sensus totius incisi sit : *Interrogent in Abela et in Dan : Numquid defecerunt, quae definiunt fideles in Israel ?* En iam multiplicantur oracula, cum praeter Abelense etiam Danense adstruatur, de quo ceteroqui silet scriptura. Sensus est, semper antiquitus inventos esse in Abela et in Dan, qui definirent, quid verum, honestum, moribus maiorum consonum esset.

v. 19 « *Nonne ego sum, quae respondeo veritatem in Israel? Et tu quaeris subvertere civitatem et evertere matrem* », i. e. metropolim, « *in Israel? Quare praecipitas* », i. e. destruis, « *haereditatem Domini* ?»

Nota oppositionem inter *tu* et *ego*, qua lectio ceteroqui dubia אנכי solide confirmatur. Haud paucorum inde a *Vatabl.* opinio est, mulierem interrogationem *Nonne ego sum etc.* nomine civitatis elocutam esse eiusque personam gessisse ; sed cum ipsius mulieris sapientia v. 16 commendetur, non est cur nomine suo locutam esse cum *Theodoret.* non affirmemus.

Divergunt lectiones.

Hebr. אנכי שלמי אמוני ישראל, ego pacifici fidelium Israel.
Vulg. אנכי משיבה אמונת ישראל, ego respondens veritatem Israel.
LXX אשר השיבו אמוני ישראל, qui definiunt fideles Israel.
Chald. אנחנו שלמי אמונת ישראל, nos pacifici in fidelitate cum Israel.
Syr. אנכי משיבת מנת(?)ישראל, ego retribuens poenam Israel.

Hinc collige, e quinque testibus quatuor vocem אנכי confirmare, nam *Chald.* ad eandem revocatur ; tres pro אמוני legisse vocem desinentem in ת ; duos pro impossibili שלמי, consonantibus transpositis et nonnisi parum mutatis, habuisse משיבה. Ergo genuinus est *Vulg.* textus, et correcta versio.

v. 20 « *Respondens Ioab ait : Absit, absit hoc a me : non praecipito, neque demolior* ». « Dixit, se nec belli nec obsidionis teneri cupiditate, sed solum eum in suam potestatem redigere velle, qui adversus regem attentasset tyrannidem » (*Theodoret.*). v. 21 « *Non sic se habet res ; sed homo de monte Ephraim, Seba filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David. Tradite illum solum et recedemus a civitate. Et ait mulier ad Ioab : Ecce caput eius mittetur ad te per murum* ».

Hebr. Chald. contra regem, contra David : non inepte nomini specialius insistitur, cum brevi antea, cui regnum competeret, in ambiguo fuisset. —*Per murum, LXX* διὰ τοῦ τείχους, ergo per orificia muri, sagittis iaciendis fortasse destinata. *Chald. Syr. de muro* : ergo vel legebant מבעד, vel ipsum בעד significat *de post.*

v. 22 « *Ingressa est ergo ad omnem populum et locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Seba, filii Bochri, proiecerunt ad Ioab. Et ille cecinit tuba, et recesserunt ab urbe unusquisque in tabernacula sua. Ioab autem reversus est Ierusalem ad regem* ».

Uti summarium bellorum David cap. 8 claudebatur elencho eorum, qui summa in eius aula munera obibant, ita similiter h. l., post restitutum Davidis regnum, similis elenchus subiicitur ; cf. quae diximus Intr. n. 4. De illis muneribus diximus ad 8,16 sqq. ; item de quibusdam nominibus propriis, quae iam ibi occurrebant. Quoad ea, quae diversa utrobique leguntur, notanda *Sanctii* verba : « Videtur David aliter atque antea disposuisse, tam quae ad regnum, quam quae ad ipsius familiam pertinebant : nam aliqui in ea conspiratione non satis fidem suam regi probaverant ».

v. 23 « *Fuit ergo Ioab super omnem exercitum Israel; Banaias autem, filius Ioiadae, super Cerethaeos et Phelethaeos* » (cf. 8, 16. 18). Etiam hi extranei praetoriani, qui pluribus fortasse invisi fuerant, sed egregiae fidei dederant documenta, pristinam eminentiam retinuerunt. Ioab « imperium iure sibi ademptum, improbe recuperavit, invito potius quam volente rege » (*Malv.*). v. 24 « *Aduram vero super tributa; porro Iosaphat, filius Ahilud, a commentariis* ». De Iosaphat vide 8, 16. Adoniram legitur h. l. apud *LXX Syr.* ; Adoniram apud omnes 3 Reg. 4, 6 et 5, 14 (28) ; et 12, 18 et 2 Par. 10, 18 Adoniram apud *LXX Syr.*, Aduram apud reliquos. Cum מס non solum tributum, sed frequentius angariam significet, cum David de hoc officio instituendo nondum cogitaverit post varias gentes cap. 8 sub tributum redactas, instituerit autem regno ad finem vergente, quando totus erat in necessariis ad templum aedificandum comparandis, videtur tam tributum quam angaria h. l. intelligi. v. 25 « *Siva autem scriba; Sadoc vero et Abiathar sacerdotes* », cf. 8, 17 ; v. 26 « *Ira autem Iairites erat sacerdos David* », cf. 8, 18. Pro Iairites probabilius cum *Syr.* h. l., et omnibus ad 23, 38, legendum Iethrites, sc. de Iether civitate alioquin ignota. Adnumerabatur is heroibus David.

APPENDIX AD HISTORIAM DAVID REGIS 2 Reg. 21-24.

Rationes, ob quas haec capita appendicis instar narrationi subnectimus, atque in illis sex diversa documenta nequaquam ordine chronologico disposita, ex auctoritate interpretum et ex ipso textu distinguimus, habes Intr. n. 10.

1) Ulterior ruina domus Saul 2 Reg. 21, 1-14.

Arg. — Propter Saulis in Gabaonitas iniustitiam regnante David saevit fames. Gabaonitis poscentibus septem Saule prognati morte plectuntur, Miphiboseth ob Ionathae fidem servato. Post quorum supplicium cessavit plaga.

Hoc factum non ad finem, sed potius ad initia regni Davidici pertinuisse, inde fit probabile, quod filiorum et nepotum Saul nulli recenseantur liberi ; unde videntur illi vixdum puberes interiisse. Quod confirmatur Davidis quaestione 9, 1 : « Putasne, est aliquis, qui remanserit de domo Saul ? » Quae supponit, excepto Miphiboseth totam tum Saulis progeniem fuisse exstinctam. Ex v. 7 licebit forte coniicere, eo fere tempore eos esse interemptos, quo Miphiboseth, filius Ionathae, ad aulam est accitus, quod utique factum est ante bellum Ammoniticum. Haec vero narratio, licet per modum appendicis annexa, nequaquam a praecedente narratione est aliena. Complet quippe narrationem ruinae domus Saul, cui tota Davidis Historia innititur.

v. 1 « *Facta est quoque fames in diebus David tribus annis iugiter, et consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus : Propter Saul et domum eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas* ». Ille modus indicandi temporis ostendit, haec cum praecedentibus non connecti ordine stricte chronologico (*Sanct., Clair*). *Vulg. LXX* post *domum* legebant suffixum, ergo cum *LXX* iungendum : *Propter Saul domumque eius culpa sanguinis est.*— v. 2 « *Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos — Porro Gabaonitae non erant de filiis Israel, sed reliquiae Amorrhaeorum ; filii quippe Israel iuraverant eis, et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Iuda* ». Iuraverant, « quod non occiderentur » Ios. 9,15. Gabaonitae Ios. 9,6 (7) ; 11,19 dicuntur Hevaei : Amorrhaeorum nomen pluribus gentibus videtur fuisse commune. *Hebr. eo quod zelaret pro filiis Israel et Iuda.*

Iam quae et quando fuerint hae Saulis cum Gabaonitis inimicitiae, tacente scriptura, definire non valemus. Nota, quae diximus ad 4,2 sq., eas probabiliter locum habuisse simultanee cum alteris contra Berothitas inimicitiis. Coniicit *Calm.* locum habuisse, quo tempore Saul, occisis in Nobe sacerdotibus, tabernaculum transtulit in Gabaon ; meminitque *Malv.* coniecturae quorumdam, id esse factum, quo tempore Saul abstulerit magos et ariolos 1 Reg. 28,3, et quidem studio exsequendi mandata Deut. 7,2. 24, in quibus tamen Ios. 9 exceptionem statuerat pro quatuor urbibus Hevaeorum. Voluit utique Saul Gabaonitis vitam adimere, secus enim non egisset contra iuramentum Ios. 9. Insuper h. l. docemur, eum praetendisse zelum pro Hebraeorum natione, ergo sane appellasse ad mandata Deut. 7,2. 24. De facto debuit res cedere utilitati Beniaminitarum, intra quorum fines eae urbes sitae erant, cf. dicta ad 4,2 sq

v. 3 « *Dixit ergo David ad Gabaonitas : Quid faciam vobis ? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis haereditati Domini ?* » Benedictio est pia bonorum apprecatio,amici animi index, cf. 13,25 ; 19,39 : « acsi dicat : Ne efficiatis, ut divina nobis maledictio exitio sit, sed potius orate Deum, quem vestrae vexationis vindicem habetis, ut cohibeat ultricem manum ab inferenda plaga » (*Sanct.*). v. 4 « *Dixeruntque ei Gabaonitae : Non est nobis super argento et auro quaestio, sed contra Saul et contra domum eius ; neque volumus, ut interficiatur homo de Israel* ».

Hebr. : *Non est nobis argentum et aurum cum Saul et cum domo eius, non est nobis vir ad interficiendum in Israel.* Patet, utrumque *non est* in eadem sententia eadem ratione esse interpretandum. Ubi *Vulg.* quoad sensum supplevit vocem, quae v. 4 quidem non exprimitur, sed a v. 5 suggeritur : Neque volumus, ut interficiatur *alius* homo de Israel. Aliam versionem proponit *Then.* : « Non licet nobis accipere

argentum vel aurum, respectu Saul eiusque domus, neque licet nobis quemquam Israelitam interficere ». Supponuntur alludere ad Num. 35, 31 : « Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim et ipse morietur » ; qua quidem lege non tenebantur Gabaonitae, nisi supponantur legem Mosaicam suscepisse, quodsi locum obtinuisset, vix potuisset Saul tanto in eos zelo agi. Illis non licuisse virum Israelitam interficere, ideoque ad id regis permissione indiguisse, utique probabile est. Planior est versio *Vulg.*, cui *Chald.* assentitur.

« *Ad quos rex ait : Quid ergo vultis, ut faciam vobis* ? » v. 5 « *Qui dixerunt regi : Virum, qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel* ». At quomodo hoc ? virum exstirpare volunt, ut nulla ei relinquatur posteritas, et tamen Miphiboseth eius nepotem negligunt, et septem viris contentos se fore declarant ?

Formam נשמדנו *Vulg.* (*delere debemus*) et altera lectio *LXX* (ἀφανίσωμεν, si tamen ea vox genuina sit) hiphil interpretatae sunt, quae versio quadrat cum Athnach *Masor.*, sed eam, quam modo expressimus, parit difficultatem. *Chald.* punctabat praeteritum niphal : *deleti sumus, ne permaneamus de stirpe nostra ne unus quidem etc.* ; verum ante illud niphal exspectares copulam, iungentem hanc querelam praecedentibus querelis. *LXX* (παρελογίσατο ἐξολοθρεῦσαι ἡμᾶς) et *Syr.* punctabant infinitivum niphal, et iungunt cum voce praecedente : *cogitavit contra nos, ut deleret nos, ne permaneremus etc.* Ubi adverte eam vocem, quam *Vulg.* vertit *oppressit inique*, recte a *Chald. LXX Syr.* verti *cogitavit*. Ergo Gabaonitae nequaquam petunt, ut exstirpetur domus Saul, sed tantum ut congrua satisfactio concedatur, interfectis septem eius posteris. Sententia, ut saepe apud Hebraeos, est anacoluthica : *Virum ... dentur nobis septem viri.*

v. 6 « *Dentur nobis septem viri de filiis eius, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam* » — vocem adiecit *Vulg.* — « *electi Domini. Et ait rex : Ego dabo* ». Non potuit rex petita denegare secundum Num. 35, 33 : « Nec aliter expiari potest, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit ». — *Domino*, « ad eum vobis placandum et reconciliandum, iura eius exsequendo in familiam istam » (*Malv.*). — *In Gabaa Saul* : « Miserum putatur et ignominiosum, magis ibi aliquem pati, ubi prius cum magistratu et splendore vixerat » (*Sanct.*). — *Electi Domini* : *Castalio* et post ipsum *Calm.* pro בחיר יהוה censent uti v. 9 legendum בהר יהוה, *in monte Domini*, sc. in excelso Gabaa. Alii putavere Saulem a Gabaonitis dici electum Domini ironice : at num eiusmodi ironia uti coram rege David ausi essent Gabaonitae ?

v. 7 « *Pepercitque rex Miphiboseth, filio Ionathae, filii Saul, propter iusiurandum Domini, quod fuerat inter David et inter Ionathan, filium Saul* » (1 Reg. 20, 15). Sensus obvius 9, 1 sqq. is est, interemp-

tos esse septem viros de filiis Saul, priusquam David fieret certior superesse Miphiboseth, filium Ionathae. Nonnisi illis sublatis videtur locus fuisse quaestioni : « Numquid superest aliquis de domo Saul? » Ergo h. l., quae brevi interiecto spatio evenere, narrantur per modum unius : Pepercit rex Miphiboseth, et tulit duos filios Respha etc. v. 8 « *Tulit itaque rex duos filios Respha, filiae Aia, quos peperit Saul, Armoni et Miphiboseth, et quinque filios Michol, filiae Saul, quos genuerat Hadrieli, filio Berzellai, qui fuit de Molathi* », v. 9 « *et dedit eos in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino; et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei* ». De Respha cf. 3, 7. Pro Michol legendum cum *keri* Merob, ea enim nupsit Hadrieli 1 Reg. 18, 19, et *Syr.* נדב evidenter corruptum est ex ברב et non ex מיכל. *Chald.* utrumque nomen compingit. *Coram Domino* idem sonat atque *Domino* v. 6. Messis mentio fit, ut indicetur tempus, quo coepit Respha, quae v. 10 referuntur, peragere. Discimus ex hoc textu, messem initium duxisse a messe hordei, dum messis tritici (Gen. 30, 14; Lev. 23, 10 sqq., Deut. 16, 9 sqq.) ultima erat, quam sequebatur festum pentecostes. v. 10 « *Tollens autem Respha, filia Aia, cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de coelo, et non dimisit aves lacerare eos per diem, neque bestias per noctem* ». Hinc et ex v. 13 colligimus decretum fuisse Gabaonitis, relinquenda esse cadavera in patibulo, quoad pluvia caderet de coelo (*Malv.*), « quod signum erat, Deum esse placatum et iam famem mitigandam » (*Est.*). Ast hinc rursum infer cum *Sanct.*, Gabaonitas eo tempore legem Mosaicam non suscepisse, secus tenebantur lege Deut. 21, 23 : « Non permanebit cadaver eius in ligno sed in eadem die sepelietur ». Diutius illi cadavera in crucibus retinenda decreverunt, quo penitius discerent Iudaei, non impune violari fidem Gabaonitis quondam datam.

« Quantum temporis maternas illas et assiduas excubias egerit Respha, ex scriptura non constat, quia neque certo cognoscitur, quo tempore stillare coeperit pluvia coelestis » (*Sanct.*). Id cum *Menoch.* credimus accidisse « non multo post » ; quod etiam *Ios.* sentit. Admirationem sane facit, reperiri etiamnum interpretes, qui Rabbinos secuti Respham affirment ab aprili ad octobrem excubasse, quod tempus est annuarum pluviarum. Cogita intolerabilem putrescentium cadaverum foetorem, in quibus brevi praeter ossa custodiendum superesset nihil. Potius cum *Theodoret.* teneamus : « Sumpto de eis supplicio placatus est Dominus, et nubium resolvit praegnantiam, et terram iussit more solito producere fructus ». — Non inepte *Calm.* : «Animadverte», inquit, « veterem morem excubias agendi ad cadavera reorum e cruce pendentium ». Item *Sacy* matres christianas monet, ut saltem tantum pro liberis praestent vivis, quan-

tum praestitit Respha pro mortuis, ut diu noctuque illis invigilent, ne gratia Dei illis eripiatur.

Cilicium, saccum שק, vestimenti genus asperum, quod vel poenitentiae vel luctus causa assumebatur. *Substravit*, ut in illo consideret (*Sa*), non pro tentorio *defixit*, ut cogitasse videntur *LXX*. *Supra petram,* אל הצור, pro quo *Syr.* legebat אל הארץ, *humi*, lectione paulum differente, quae sua probabilitate non caret.

v. 11 « *Et nuntiata sunt David, quae fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul* ». v. 12 « *Et abiit David et tulit ossa Saul et ossa Ionathae, filii eius, a viris Iabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim, cum interfecissent Saul in Gelboe* » ; v. 13 « *et asportavit inde ossa Saul et ossa Ionathae, filii eius ; et colligentes ossa eorum, qui affixi fuerant* », v. 14 « *sepelierunt ea cum ossibus Saul et Ionathae, filii eius, in terra Beniamin, in latere, in sepulcro Cis patris eius ; fecerunt que omnia* », « ad funus spectantia » (*Menoch.*), « *quae praeceperat rex, et repropitiatus est Deus terrae post haec* ». Notabamus ad 1 Reg. 31, 13, probabiliter solas carnes Saul et filiorum igni absumptas, relictis ossibus. Pro *in latere* cum *Chald. Syr.* retine nomen proprium *Sela*, quae erat urbs tribus Beniamin, haud procul, uti videtur, a Ierusalem Ios. 18, 28. *Repropitiatus est etc.* : pluviam immiserat iam v. 10 sed, ea continuante, messis maturuit ac tandem fames sublata est.

Bethsan, cf. 1 Reg. 31, 10 sqq.. Ibi dicebantur suspensa cadavera in porta urbis : platea illa erat secus portam, cf. expressiones 2 Par. 32, 6 « in platea portae civitatis », et 2 Esdr. 8, 1. 3. 16 « platea, quae est ante portam aquarum ». — *Sepelierunt ea cum ossibus etc.* : durum est h. l. particulam את vertere *cum*, quae immediate ante ter usurpabatur ut mera nota accusativi ; unde suadetur, genuinas esse voces, quas h. l. sola praeservavit *LXX* : *et sepelierunt ossa Saul et Ionathae filii eius, et ossa eorum, qui affixi fuerant.*

2) Quatuor bella contra Philisthaeos gesta 2 Reg. 21, 15-22.

Versus 15. 18. 19. 20 omnes incipiunt formula ותהי עוד מלחמה, *et factum est rursum bellum,* quae *continuationem* alicuius narrationis bellicae exprimit et hinc non est apta copula inter v. 15 et praecedentem narrationem. Ergo nostra pericope est fragmentum ex alia aliqua bellorum narratione derivatum : fortasse in fastis David eorum, quae cap. 5 narrantur, bellorum contra Philisthaeos narrationem excipiebat. Eadem, prima expeditione e quatuor omissa, habetur 1 Par. 20, 4-7 ; sed ibi s. auctor, qui nolebat eam in forma fragmenti retinere, sed potius reliquae narrationi conformare cupiebat, levi adhibita textus mutatione primum

ותהי עוד מלחמה mutavit in ויתעמד מלחמה, « et ortum est bellum », omissa voce *rursum*. Sententiam, quae illa quatuor bella prius gesta esse, ordinemque chronologicum in hac narratione deseri defendit, *Sanct.*, utvis ipse dissentiatur, communem vocat et antiquam. Sane haec bella obtigisse crediderim in priore regni Davidici parte, quo tempore Goliath Gethaei frater (cf. v. 19 cum 1 Par. 20,5) adhuc esset inter vivos.

v. 15 « *Factum est autem rursum proelium Philisthinorum adversum Israel, et descendit David et servi eius cum eo, et pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem David* », v. 16 « *Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastae trecentas uncias appendebat* » (4· 911 Kilogr.) « *et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David* ». Tota narratio sapit tempus antiquius, a temporibus regni Saul non ita multum remotum. Adest David cum suis *servis* ; quamvis Abisai proxime ei adstet, et postea Sobochai (1 Par. 11,29), tamen legionis Gibborim nulla fit mentio, neque legionum Cerethi et Phelethi. — Arapha seu Rapha est progenitor tribus cuiusdam insignis proceritatis, qui tempore Abrahae reperiebantur in Astharoth Carnaim Gen. 14,5, tempore Moysis in Basan Deut. 3,11 ; Ios. 12,4 ; 13,12, cuius urbs erat Astharoth Carnaim ; inter Ammonitas nomen nacti erant Zomzommim Deut. 2,20 ; cf. Deut. 2,10 sq. *Genus*, יליד videtur esse vox archaica, quae fere de sola gigantum progenie adhibetur.

Locus pugnae, aliter ac secus, non nominatur ; fortasse excidit ; certe eae textus mutationes, quas proponit *Wellh.*, fundamento critico destituuntur. — Suggerit *Calm.*, formam Iesbibenob, ישבי בן נב oriri potuisse ex ישביבנב, ergo : Iesbi, filius Nob. — *Chald. LXX et pondus ferri hastae eius trecenti sicli ponderis aeris* ; in *Hebr.* שקל excidit ob similitudinem cum משקל. Pondus autem aeris dicitur, ut describatur non ponderis, sed rei ponderatae natura (*Calm.*), *germ.* «Gewicht *an* Erz». Sexcentorum siclorum 1 Reg. 17,7 fuerat ferrum hastae Goliath. — *Ense novo :* ita *Vulg. Syr.* Hebraea vox utique aliquid novum exprimit, quod a *Chald.* vertitur *cingulum*, a *LXX clava* κορύνη, a *Symm.* μάχαιρα, a *Theod.* παραζώνη, a *Ios.* θώραξ ἁλυσιδωτός thorax catenatus, vel ῥομφαία. Quae versionum discrepantia satis evincit, ne antiquos quidem auctores, quod armorum genus intelligeretur, probe perspexisse. Rem fortasse non inepte hac vice imaginatus est *Ios.*, fuisse regem a gigante iamiam humi prostratum : cuiusmodi sinistri eventus in fastis regum orientis consignari haud consueverunt.

v. 17 « *Praesidioque ei fuit Abisai, filius Saruiae, et percussum Philisthaeum interfecit. Tunc iuraverunt viri David dicentes : Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne exstinguas lucernam Israel* ». Utrum id postmodum semper servatum fuerit, non constat : cf. 18,2 sq. ; 11, 1 et 12,27 sqq. ; 10,7, dum e contra 10,17 ipse David egressus esse videtur.

v. 18 « *Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philisthaeos. Tunc*

percussit Sobochai de Husathi Saph de stirpe Arapha, de genere gigantum ». 1 Par. 20,4 addit *et humiliati sunt*, sc. Philisthaei. *De genere gigantum* non est nisi altera versio vocum *de stirpe Rapha* : ergo delendum.

Hebr. Et factum est post hoc, et factum est rursus proelium ; ergo non fuit *secundum*, si nostra narratio sit continuatio narrationis cap. 5 ; est utique secundum in ordine bellorum, quae nostro fragmento recensentur. — Loca pugnarum v. 18 sqq. quod attinet, tertiam pugnam v. 20 textus omnes assignant urbi Geth. Primam h. l. *Hebr. Vulg. Chald.* assignant loco ceteroqui ignoto Gob, pro quo *LXX Syr.* Geth ; ad 1 Par. 20, 4 autem omnes Gazer, praeter *Syr.*, qui Gazam scribit ; Gazer etiam habet *Ios.* Pro secunda pugna v. 19 *Syr.* h. l., et 1 Par. 20, 5 omnes, item *Ios.* nullum locum assignant ; *Hebr. Vulg. Chald.* Gob ; *LXX* fluctuat inter Ῥώμ, Ῥόβ et Νώβ, sed ultima lectio in alteram Gob refunditur, cum multi codices hebr. v. 18. sq. pro Gob habeant Nob. Hinc adest aliqua probabilitas Gob non esse nisi mendum pro Geth, vel etiam pro Gazer. Cf. 5, 25, ubi dicebatur David percussisse Philisthaeos usque Gazer, et 1 Par. 18, 1, ubi dicebatur potitus esse urbe Geth : quae altera expressio nostrum hoc bellum referret ad tempus, de quo ibidem et supra 8, 1 agebatur. — Sobochai 1 Par. 11, 29 inter Gibborim recensetur, 27, 11 dux octavae turmae describitur, 2 Reg. 23, 27 (*keri*) rursum heroibus David adnumeratur. חשתי patronymicum est a חושה 1 Par. 4, 4, *Vulg. Hosa*, loco tribus Iuda : ergo accuratius *Sobochai de Hosa* (*Chald.*). — *Saph* : pro סף 1 Par. 20, 4 ספי ; hoc י etiam latitat in ספר, quod h. l. legit *Syr.*

v. 19 « *Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthaeos, in quo percussit Adeodatus, filius Saltus, polymitarius Bethlehemites, Goliath Gethaeum, cuius hastile hastae erat quasi liciatorium texentium* ». Quandoque *S. Hier.* abripitur pruritu transferendi nomina propria. Noster heros hebraeus est *Elchanan, filius Iair*, qui nequaquam necessario idem est cum Elchanan, filio Dodo (quod *Vulg.* perperam transtulit « patrui eius ») 23, 24 et 1 Par. 11, 26. Iam *Piscator* et *Calm.* intellexerunt, ארגים *polymitarius*, quod h. l. intromittit *keri*, non esse nisi ultimam versus vocem (*Vulg. texentium*) huc inadvertenter translatam, et genuinum esse textum 1 Par. את לחמי אחי גלית, « percussit Elchanan filius Iair Lachmi fratrem Goliath ». אחי ob praecedens simile לחמי facile excidebat, et pronum erat את לחמי mutare in בית לחמי, quo noster Elchanan *Bethlehemites* evaderet et ita facilius cum altero Elchanan Bethlehemita 23, 24 confunderetur. — *Cuius hastile etc.* : idem 1 Reg. 17, 7 de hasta Goliath dicitur, — par nobile fratrum.

v. 20 « *Quartum bellum fuit in Geth, in quo vir fuit excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, i. e. viginti quatuor, et erat de origine Arapha* ». Sexti digiti, frequentius in manibus, rarius in pedibus, apud alios quoque variorum temporum homines observabantur. « Idem quod 2 Reg. 21, 20 narrant Acta Academiae Paris. 1743 de infante aliquo sexdecim mensium, qui senos in manibus pedibusque habe-

bat digitos; viditque Saviard Parisiis in loco, qui Hotel Dieu audit, infantem recens natum denos in manibus pedibusque habentem digitos. Erat in Anglia, teste Lond. med. Gaz. vol. XIV Apr. 1834, familia Copsey, in qua a patribus solito maiore digitorum numero praeditis filii genitoribus haud absimiles procreabantur ». *J. B. Friedreich*, Zur Bibel, Nürnberg 1848, I. 298 sq. — v. 21 « *Et blasphemavit Israel; percussit autem eum Ionathan, filius Samaa, fratris David* ».

Samaa, idem qui 13, 3 ; 1 Reg. 16, 9. Pro Ionathan legit *Syr.* h. l., et *Arabs* tam h. l. quam 1 Par. 20, 7 Ionadab : quod fortasse solum irrepsit intuitu 13, 3. — *Vir excelsus*. Forma מדין vel hominem dicit rixae ; vel hominem de Meddin tribus Iuda Ios. 15, 61, sed verisimile non est, hominem Philisthaeum ex ea urbe fuisse oriundum ; vel est fortasse pluralis antiquatus vocis מדה, quae 1 Par. 20, 6 legitur, ergo *vir proceritatum (Keil)* ; vel est corruptum ex מדה vel ex מדהר (*Wellh.*), ergo *vir proceritatis*, gigas. Certe retinenda *Vulg.* versio.

v. 22 « *Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, et ceciderunt in manu David et servorum eius* ». *Quatuor* omisit 1 Par. 20, 7, ubi tres tantum expeditiones recensentur. Davidi adscribitur, quod per eius subditos gestum est ; ceterum contra Iesbibenob ipse pugnavit, licet eum non ipse prostraverit (*Sanct.*).

3) Canticum petrae 2 Reg. 22, 1-51.

Hoc caput, cum idem sit cum Ps. 17 (18), h. l. non exponimus, sed Psalmorum interpreti variantes utrobique lectiones conferendas et discutiendas permittimus. Si tempus exquiras, quo canticum concinnatum sit, non est necesse, ut illud post absoluta omnia Davidis bella confectum defendas. Tribuit quidem titulus carminis originem diei, « qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, et de manu Saul ». Sed sufficit intelligere omnes inimicos, quos David habuerit usque ad tempus concinnati carminis ; tum enim vere dici poterat liberatus esse David de manu omnium inimicorum suorum, licet postmodum alii etiam inimici in eum insurrexerint. Unde non immerito *Clair* censet concinnatum esse carmen ante Absalomis rebellionem, quod illud gaudio et exultatione redundet partae victoriae, David autem non supponendus sit tanto tripudio filii interitum fuisse celebraturus. — Si carminis materiam inspicias, illud utique intime connectitur cum promissione cap. 7 facta de domo Davidi a Deo aedificanda. Eam respiciunt ultimi versus verba : « Magnificans salutes regis sui, et faciens misericordiam christo suo David et semini eius in sempiternum ». Eandem respicit tropus in toto cantico principalis, quique diversis vocibus synonymis exprimitur : est autem is tropus *Dei petrae*. Illum fronte praefert canti-

cum in ipso suo exordio : « Dominus petra mea (סלע) et arx mea montana (מצודה) et salvator meus ; Deus petra mea (צור), scutum meum etc. ». Variis dein aliis imaginibus Dei protectio celebratur, sed v. 32 redit ad imaginem petrae : « Quis est petra (צור) praeter Deum nostrum ? » Item v. 47 : « Benedicta petra mea, et exaltetur Deus petra (צור), salvator meus ». Iamvero Dei petrae imago necessario quadamtenus fluit ex idea Dei domum aliquam fundaturi, aedificaturi, conservaturi. Confer ecclesiae ad Petrum i. e. petram, et ad Christum invisibilem petram relationem. Hoc canticum cum exprimit affectum, qui ex divina cap. 7 promissione prae ceteris oriri debuit, affectum firmissimae in Deum fiduciae. Evidens igitur existit nexus inter canticum et promissionem, eaque ratio est, cur hoc canticum prae ceteris psalmis omnibus appendicis instar libro Samuelis fuerit annexum. Imo equidem non infitiarer, per diem, « qua liberavit eum (Davidem) Dominus de manu omnium inimicorum suorum », intelligi illud ipsum tempus, de quo 7, 1, « cum Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis ».

4) Davidis ultimum eloquium propheticum 2 Reg. 23, 1-7.

ARG. — David, senio exhaustus sed spiritu Dei plenus, supremo et brevissimo carmine venturum regem Messiam, domui suae gloriam promissam, veluti e longinquo salutat : haec carminis summa, haec eius in hunc Appendicem recepti ratio.

v. 1. « *Haec autem sunt verba David novissima* ». *Chald.* intellexit verba *de* rebus novissimis, at non is est sensus obvius hebr. vocis. *Michaelis* comparativum pro superlativo intelligit : Ecce canticum quoddam recentius illo, quod cap. 22 refertur, a Davide concinnatum. Sensus unice obvius ille est, quem *Vulg. LXX Syr.* exprimunt : verba novissima, respectu non tam reliquorum psalmorum (*Vatabl.*), de quibus h. l. non est sermo, quam potius vitae Davidis (*Clair*), quam s. auctor narrandam suscepit. Intellige : verba, « quae spiritu afflatus prophetico edidit » (*Sanct.*), ut ex sequentibus patebit, et speciatim ex voce נאם bis usurpata, quae nonnisi de dicto inspirato vel prophetico usurpari consuevit.

CARMINIS INTRODUCTIO. « *Dixit David filius Isai, dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Iacob, egregius psaltes Israel* ». Ut hunc textum, qui difficultate non caret, penitius intelligamus, iuvat primum adscribere verba *Sanctii* : « Usitatum est prophetis, in principio suarum visionum certas aliquas praeponere notas, quibus alii postea auctorem prophetiae certa aliqua notatione cognoscant, ut patet in Isaia, Ieremia, denique in prophetarum plerisque, quorum aliquid in principio praefigitur, quod genus prophetae conditionemque describit..... Ab aliis pro-

phetis, qui sua scriptis oracula mandarunt, nullum habuit David, quod imitaretur exemplum, quia illos antecessit. Unum, credo, audierat, qui spiritu loquebatur prophetico, cuius permanarant ad posteros oracula, qui pluribus signis titulisque se ipsum notaverat, cuius imitatus consuetudinem David titulos sibi assumpsit non dissimiles. Hic fuit *Balaam* Num. 24, 3, qui aggressurus prophetiam ait : Dixit Balaam filius Beor ; dixit homo, cuius obturatus est oculus ; dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est ; qui cadit, et sic aperiuntur oculi eius. Ad eius, ut reor, et aliorum exemplum, quorum oracula monumentis consignata non sunt, David hanc de Christo prophetiam exorsus est ». Iisdem fere verbis alteram Balaam 24, 15 prophetiam orditur. Iuvat h. l. tam Davidis quam Balaami exordium adscribere :

נאם בלעם בנו בער	נאם דוד בן ישי
ונאם הגבר שתם העין	ונאם הגבר הקם על
נאם שמע אמרי אל	משיח אלהי יעקב
אשר מחזה שדי יחזה	ונעים זמרות ישראל :
נפל וגלוי עינים :	

Ex quo utriusque exordii parallelismo illico cum *Sanct.* concludimus, sicut Num. 24, 3. 4, ita etiam 2 Reg. 23, 1 solos s. vatis titulos contineri, et quae de « christo », dicuntur, non ad Servatorem nostrum, sed ad ipsum David referri : Quae « est communis omnium ferme sententia » ; item, falsum esse LXX אבנ pro נאם. Ex hoc rursum patet, merito vocibus הקם על *Masorethas* unum versus membrum absolvere, neque illud cum *Vulg. LXX* ad sequentia esse trahendum : ergo על neque est praepositio *de*, ἐπί. *Syr.* punctavit עֹל *iugum*, sed is sensus esse non potest. *Masor. Chald.* intellexerunt substantivum עָל ; *Chald.* videtur intellexisse *constitutus, (ut) altitudo,* vertit enim *exaltatus in regnum.* Vox עָל aliquoties, attamen raro, tamquam substantivum adhibetur : Os. 7, 16 (cf. 11, 7) ; absolutum בְּעָל Gen. 27, 39 ; 49, 23 ; Ps. 49 (50), 4, vel ut substantivum vel ut adverbium concipi potest. Ceterum locis citatis עָל de solo numine vel coelo adhibetur, nunquam de homine ; quare « constitutus excelsus » (*Mar.*) expressio esset omnino insolita. Insuper הֻקַם non est partic. *constitutus*, sed praeteritum *constitutus est.* Hinc *Then.* iudicat, excidisse pronomen אשר, quod omnes legerint versiones. At eius pronominis in nullo textu superest vestigium, et versiones legebant aut praeteritum cum pronomine, aut participium sine pronomine. Unde, si supponamus textum antiquitus, i. e. ante concinnatas antiquissimas versiones, fuisse corruptum, oportebit minutiorem corruptionem adstruere, potius quam notabiliorem, et pro הֻקַם עָל legere מֻקָם עָל *constitutus, (ut) altitudo,* vel *constitutus altus*, quod idem est atque *exaltatus* (*Chald.*) ;

seu, quod etiam probabilius est, *constitutus altissimi*, *constitutus ab altissimo*. Ita voces, adhibita levissima, quam suggerunt versiones, correctione, aptum praebent sensum. Liceat addere coniecturam. Voces vix ullae ita frequenter in textu hebr. permutantur, atque voces על et אל, ubi advertas, etiam Num. 24, 4 voce אל concludi incisum. Supponamus igitur easdem tempore perantiquo h. l. fuisse commutatas, et legere licebit מְקֻם אֵל, *constitutus* seu *electus Dei*. — In sequenti dein membro זמורות non est *psaltes* (*Vulg.*), sed *psalmi* (*LXX Chald. Syr.*) ; tamen sensum *Vulg.* omnino expressit, sonat quippe *Hebr. delectabilis in psalmis Israel*. Videtur vox נעים *delectabilis* selecta esse propter assonantiam cum bis usurpato נאם. Ergo totus versus ita videtur esse vertendus : Oraculum David filii Isai, oraculum viri constituti a Deo, uncti Dei Iacob, suaviloqui psaltis Israel.

v. 2 « *Spiritus Domini locutus est per me, et sermo eius per linguam meam* ». Sensus clarus est, psaltes inspirationem profitetur : « Non fui nisi interpres et organum supremi rerum Domini ; ipse linguam movebat eique pronuntianda verba dictabat ; os meum tuba erat ad celebranda in aevum mirabilia eius » (*Duguet*). Verum pro *locutus est* potius verte *loquitur* : vox enim refertur ad sequentia, et praeteritum ponitur pro re praeter omne dubium certa affirmanda. v. 3 « *Dixit Deus Israel, mihi locutus est fortis Israel* ». « Pronomen *mihi* ad sequens referunt codices veteres fere omnes » (*Verc.*), uti etiam *Hebr.* — *Fortis Israel*, צור i. e. *petra* Israel, eadem vox, quae cap. 22 erat tam conspicua, et divinam respicit promissionem domus Davidi aedificandae.

Sanct. : « Haec omnia eo videntur spectare, ut magis appareat fides firmitasque verborum, quae a Deo instinctus propheta numeris inclusit poeticis et musicis. Quia vero dixerat haec verba Dei esse, non sua, sicut vox, quae resonat a clangente tuba, non est aenei instrumenti sed tibicinis, cuius inflatur et, ut ita loquar, animatur spiritu : ideo oportuit, ut loquentis auctoritatem et fidem commendaret. Quare illum vocat imprimis *Deum*, non fallacem aut infirmum, qui aut nolit aut non possit promissa atque praedicta praestare ; non quales gentes et manu fingunt et mente colunt, sed Deum, quem colit et veneratur *Israel* ; qui *fortis* est, cuius nemo potest aut obstare consiliis, aut infirmare aut retardare potentiam etc ».

MESSIAS VENTURUS. « *Dominator hominum iustus, dominator in timore Dei* ». Nostra quidem *Vulg.* comma ponit post *hominum*, hoc modo : « dominator hominum, iustus dominator in timore Dei ». Sed « pro *iustus dominator* », inquit *Verc.*, « multi libri *iustus, dominator* » scribunt, et consentit *Hebr.* *In* omnes versiones cum *keri* legebant ; *kethib dominator timoris Dei* seu *timens Deum*. Discutienda nobis iam est quaestio,

quae ad totum hoc vaticinium intelligendum primarii omnino est momenti, sintne duo haec incisa continuatio priorum, enumerationis sc. titulorum Dei loquentis, an pertineant ad sequentia, sintque initium divini eloquii tot magnificis titulis annuntiati. Quod alterum omnino defendimus. — Prius a nullo interprete assertum invenimus, et obstant rationes sequentes. Exordium cantici utique aliquid grande annuntiat : verba sane « novissima » tanti vatis egregium quid sint oportet; tituli vatis v. 1 enumerati et affirmata v. 2 inspiratio grande quid portendunt ; item invocata v. 3 auctoritas Dei fortis Israel. Verum si verba *dominator hominum etc.* ad priora trabas, quid tandem grande relinquitur? comparatio aliqua aurorae et solis, propriae domus agnita humilitas, contra praevaricatores directa imprecatio. Utut vera haec sunt, non sunt adeo grandia, sexcenties in psalmis recurrunt. Ergo verba *dominator hominum etc.* ad sequentia sunt trahenda.

Primum igitur *Münst.*, *Vatabl.*, *Clar.*, *Gord.*, *Mar.* praecedens *mihi* interpretati sunt *de me*, et sequentia de ipso Davide intellexerunt. Intellexit item *Est.* de Davide, licet illa vocis *mihi* interpretatione abstinuerit. « Fortis Deus Israel », inquit *Münst.*, « dixit ad Samuelem prophetam de me, quod ego futurus essem dominator in hominibus, unxitque me in regem et voluit, ut praeessem in timore Dei et conservarem iustitiam ». Aliquam haec explicatio confirmationem accipit a *Chald.*, pro לי scribente עלי ; attamen lectio לי inconcussa manet, et verborum de Davide interpretatio ab ipso Chald. sequentibus repudiatur. Accedit, hac etiam adhibita interpretatione, argumentum psalmi potius videri tenue, si cum tam magnifico titulo comparetur. — Aliter rem concipiunt *Sanct.*, *Tir.*, *Duguet*, qui totum hoc canticum declarant esse « *titulum totius psalterii* Davidici, eorum saltem psalmorum, qui Davidi a Domino inspirati sunt. In hoc porro differre videtur hic psalterii titulus a titulis, quos suis vaticiniis alii praeposuerunt prophetae, quia alii prophetarum principiis praepositi, hic vero psalmorum omnium fini suppositus est ». Titulus autem psalterii canticum catenus est, quatenus eius *argumentum* breviter resumit. « Cuius multae sunt partes. Prima est, Deum esse fortem, quod saepe psalmi praedicant ; esse Deum dominatorem omnium et iustum saepius audimus ; esse dominatorem in timore Dei, i. e. esse illorum dominum, qui Deum timent ». Et ita porro, nam singillatim per totum canticum suam ideam prosequitur Sanct. Quae expositio ingeniosa est et, si melior non reperiatur, sufficiens. Fateor tamen aliquid plus etiam cantici titulum praetendere ; et, cum Iacob et Moyses novissime loquentes egregia ediderint vaticinia, exspectares « verba David novissima » non merum esse conspectum praecipuarum materiarum in psalmis celebratarum. — Aliam interpretationem affert *Sa* et inter alias recenset *Malv.* : « Quasi dicat : Qui hominibus imperat, cum Dei timore imperet ». « Qui dominatur hominibus istis sc. Israelitis, iustus esto, dominans in timore Dei ». Ubi regula quaedam gubernationis proponitur, fortasse ut illam Salomon successor sequatur. Quam expositionem etiam approbat *Duguet*. « Qui hominibus iuste imperat et in timore Dei, est sicut lux aurorae etc. » (*Then.*).

Verior ea est explicatio, cuius meminerunt *Castalio* et *Calm.*, quamque suam facit *Chald., verba signate ad messiam referens.* David, senio

confectus necnisi paucis veluti frustatim proferendis verbis par, spiritus tamen divini impetu inebriatus, in unam brevem tesseram comprimit tot prophetiarum summam atque coronam et, venturum haeredem e longinquo salutans, quem videt, proclamat : Dominator hominum iustus ! Dominator in timore Dei ! ille ex meo semine nascetur, ille solis instar mundum restaurabit, ille domum meam in aeternum firmabit, omnia promissa et desideria implebit, regnum peccati conteret. — Haec sunt novissima verba suaviloqui psaltis Israel, haec supremo concentu comitata est lyra filii Isai : conticuit iam, et appositus est cum Iacob et Moyse. Singulas vaticinii voces quod attinet, promittitur dominator super *homines*. Non quidem possumus ex kamez sub ב inferre, totum intelligi genus humanum, nam *LXX* illud non recipiunt, articulum non expresserunt. Possumus tamen quadamtenus inferre ex oppositione inter « homines » h. l. et « Israel » immediate ante : ergo agitur de dominatore, cuius regnum quidem Israel non excludat, sed ulterius in homines extendatur. Promittitur dominator *iustus*, eximiae, absolutae iustitiae. Praedicitur dominaturus esse *in timore Dei* ; timor Dei motivum et norma erit eius actionum, unde sequitur hunc eum timorem constituturum esse legem subditorum. « Quae ultima verba ostendunt agi de dominatore homine, non autem de dominio Dei ; vel si ad Christum referas, consentire videtur Chald. ». (*Gord.*).

Placet adscribere verba *Chald.*, ubi advertas, vocem *David* prope initium erronee suppletam esse, quod in versionibus satis frequens est, et verba *ipse est messias* glossam esse, veram quidem, sed a paraphraste adiectam. *Dixit* [*David*], inquit, *Deus Israel, super me locutus est fortis Israel, qui dominatur in filiis hominum, iustus iudex dixit, constituturum se mihi regem, (ipse est messias), qui surrecturus est et dominaturus.* Qui textus nostrum locum saltem a posterioribus Iudaeis habitum esse messianicum, omnino evincit. Aliqua Chald. habet, quae in Hebr. desunt et obiter consideranti ad paraphrasim pertinere videbuntur ; verum eorumdem aliqua vestigia in *LXX* reperiuntur, unde efficitur probabilitas aliqua, Chaldaeum nobis praeservasse textum magis integrum eo, qui in *Masor. Vulg. Syr.* legitur. Et *LXX* quidem textus sine dubio corruptus est. Pro צור, *fortis* seu *petra*, legebat נצר, φύλαξ ; pro בישל *dominator* legebat בישל, παραβολήν ; ubi alii habent *iustus dominator*, *LXX* πῶς κρατεῖ ὥσητε. Iam adscribam textum hebr., qualem puto prae oculis fuisse Chaldaeo et LXX :

Chald. בואדם צדיק מושל אמר להקים לי מלך וקם ומישל ביראת אלהים
LXX מ ישל אמר באדם (?) איך תמשלו ביראת אלהים

In quibus duobus textibus adverte repetitum אמר (quod etiam esse potuit לאמר, praecedente sc. littera ל in מושל vel בישל). Illud אמר apud *LXX* declarat *Wellh.* corruptione ortum ex sequenti באדם : quae tamen expositio inde infirmatur, quod idem repetitum אמר apud *Chald.* etiam legatur, et quidem loco a *LXX* diverso. Rursum LXX איך *Wellh.* corruptum putat ex Hebr. צדיק, sed toto coelo differunt istae duae voces ; facilius intelligitur corruptum ex מלך. Quae momenta lectioni Chaldaei suam vindicant probabilitatem, licet ea minor sit probabilitate textus *Hebr. Chald. Syri.* Uterque textus versum demonstrat esse messianicum. *Hebr.* secundum *Chald.*

sic vertes : Dixit Deus Israel, mihi locutus est fortis Israel, qui dominatur in homines ; iustus dominus dixit, constituturum se mihi regem : surget et dominabitur in timore Dei.

v. 4 « *Sicut lux aurorae, oriente sole, mane absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terra* ». Descripsit v. 3 dominatoris excellentiam, iam describit dominationis effectus. Ubi primum adscribimus textum hebr., qualis a diversis legebatur :

Hebr.	ממטר	מנגה	עבות	לא	בקר	יזרח שמש	בקר			וכאור
Vulg.	וכממטר	מנגה	עבות	לא	בקר	יזרח שמש	בקר			וכאור
LXX	וכמימטר	מנגה	יהוה עבר	לא	בקר	יזרח שמש	בקר		אלהים	וכאור
Syr.	ו ממטר	מנגה	עבות	לא	בקר	יזרח שמש	בקר			וכאור

Hebr.	מארץ	דשא	
Vulg.	מארץ	דשא	מדשיא
LXX	מארץ	דשא	
Syr.	ארץ		מדשיא

Voces facillime iunguntur ita : quasi lux matutina orietur (Messias), sol matutinus sine nubibus rutilans ; et sicut post pluviam virescere faciens terram, seu *herbam de terra* (*Vulg.*). Pulcherrima imago abundantiae gratiarum ex adventu Messiae derivandarum ; eademque psalmistae et prophetis perquam familiaris, cf. Ps. 71.

Chald. tantopere paraphrasi indulget, ut ad crisin textus adhiberi nequeat. *LXX* duo nomina divina perperam inseruit. מנגה *Masor.* *LXX Syr.* punctabant מִנֹּגַהּ *a splendore, ab aurora* ; melius *Vulg.* מְנַגַּהּ *rutilans*. Ante ממטר (*pluviis*) *Vulg.* *LXX* legebant וכ *et sicut*, *Syr.* cum pluribus codicibus hebr. saltem ו. *Hebr.* *LXX* דשא, *Syr.* מדשיא, *Vulg.* utrumque simul. — *Keil* subiectum sententiae statuit indeterminatum, non Messiam : quasi lux matutina illucesceret etc. Est ergo imago conditionis rerum Messiae tempore, cuius utique ipse Messias causa futurus est ; et ita sensus fere recidit in idem. Sed nimis studiose Keilii vestigia premit *Clair*, affirmans subiectum sententiae *evidenter* non posse esse Messiam : cur, quaeso, verbum יזרח nequeat praedicari de Messia ?

v. 5 « *Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum aeternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum* ». *Hebr. determinatum in omnibus atque firmatum*. Mea domus est « indigna, cui Deus tanta praestaret » (*Sa*). Neque est necesse, cum *Then.* sententiam intelligere interrogative : « Nonne ita domus mea se habet ad Deum, ut etc. ? » Ob propriam indignitatem prorumpit psaltes in affectum admirationis, qualem iam 7, 18 expresserat : « Quis ergo sum, Domine Deus, et quae domus mea, quia adduxisti me hucusque ? » « *Cuncta enim salus mea et omnis voluntas* : *nec est quidquam ex ea, quod non germinet* ». Post *voluntas* rursum supplent *mea Chald. Syr.*, ergo omne desiderium

meum ; *Keil* supplet *Dei*, ergo omne beneplacitum Dei ; melius utrumque coniungas, ut sit omne desiderium, sc. tam Dei quam meum. Sed quid sibi vult tota phrasis ? Ellipsin adstruunt *Sanct.* aliique : Cuncta salus mea et omnis voluntas mea — ipse est messias ; ubi fere necesse erit, cum *LXX* sequens incisum cum v. 6 coniungere : quia non germinabit praevaricator etc. Sed praestat, missa ellipsi, stare divisioni versuum, quam alii omnes sequuntur. Si textui *Masor.* adhaerere velis, oportebit cum *Calm.* כי לא sumere interrogative : Cunctam enim salutem meam et omne desiderium, nonne germinare faciet ? Quam sententiam si ex interrogatione vertas in affirmationem, habebis textum *Vulg.* Sensus est : erit in regno Messiae abundantia salutis et consolationis. *Chald.* pro לא legebat לו, quae facillime inter se commutantur : *germinabunt ipsi*, i. e. coram eo. *Syr.* כי חוא יצמיח : *Cunctam enim salutem meam et omne desiderium ipse germinare faciet.*

v. 6 « *Praevaricatores autem quasi spinae evellentur* » — *Hebr. abiicientur,* idque melius, nam statim dicuntur non evelli — « *universi, quae non tolluntur manibus* » ; v. 7 « *et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato* », i. e. hastili, cf. 1 Reg. 17, 7, « *igneque succensae comburentur usque ad nihilum* ». בשבת explicant : usque ad requiem, cessationem, exterminationem ; sed num ב significat *usque ad* ? *Then.* : in cessatione, sine mora, ubi primum cessavit evellere, comburit ; sensus satis coactus. *Kimchi* vocem derivat a ישב : in habitando, in habitaculo earum, ubicunque inventae fuerint ; et consentiunt *Pagnin.*, *Sanct.*, *Duguet*, *Mar.* Legebant *LXX* בשתם, αἰσχύνην αὐτῶν. — Abundantibus benedictionibus messianicis opponitur ruina completa et probrosa adversariorum regni messianici. Ne aequa quidem pugna prosternentur, sed velut ignobiles spinae excidentur de terra ope instrumentorum divinae vindictae, et igne absumentur.

Vaticinium *messianicum* esse praeter *Chald.* etiam agnoscunt *Vatabl.*, *Sanct.*, *Malv.*, *Menoch.*, *Lap.*, *Duguet*, *Clair* : sed varie explicant, prout varie intelligunt v. 3. Fusius de vaticinio agunt *L. Reinke*, Beitraege IV. 457 sqq. ; *Bade*, Christologie I. 172 sqq.

5) Catalogus heroum David 2 Reg. 23, 8-39.

ARG.—Heroes hi 1 Par. 11, 10 accuratius describuntur tamquam ii, « qui adiuverunt eum » (*David*), « ut rex fieret super omnem Israel » ; et inseritur ib. hoc documentum statim post narratum David ab omnibus tribubus agnitum regem. Ex v. 8 patet fuisse omnes *Gibborim*, quorum h. l. triginta septem, 1 Par. quinquaginta tres enumerantur ;

fortasse etiam plures enumerari potuerunt, maxime cum quibusdam diem supremum obeuntibus alii subintrarent ; tamen vix crediderim, numerum eorum multo maiorem fuisse, neque illos cohortem aliquam constituisse, quae distincta a reliquis cohortibus militaret. Videntur ii potius fuisse viri fortitudinis eximiae, qui cum rege assidue versarentur et ab eo ad varia maioris momenti officia deputarentur, quos *Clair* non inepte vocat « aides de camp » ; in proeliis ii eorum, qui non imperia quaedam obtinebant, custodes corporis regis (1 Reg. 28, 2) erant, ut sequens narratio et etiam 21, 17 abunde ostendit. 1 Par. 27, 2-15 recensentur duodecim Gibborim, qui singuli singulis mensibus praecerant viginti quatuor millium bellatorum turmae ; Banaias constanter praeerat Cerethis et Phelethis, ita ut suam turmam 1 Par. 27, 6 per Amizabad filium administraret : ergo, ut supra monuimus, Gibborim nequaquam ad instar separatae a reliquis cohortis militabant. Eorum originem habes 1 Reg. 14, 52, ubi « quemcunque viderat Saul virum fortem (Gibbor) et aptum ad proelium, sociabat eum sibi ». Ex eorum numero ipse fuerat David, qui modo armigeri modo militaris tribuni apud regem partes sustinuerat. Ergo Gibborim non sunt iidem atque sexcenti Gethaei 2 Reg. 15, 18, quibus praeerat Ethai Gethaeus ; quod post *Reinke* defendit *Weiss* l. c. p. 173, vocans illos « die alte Garde ».

Iam horum Gibborim quatuor insigniuntur titulo *Rosch-ha-Schalischim*, « principes Schalischim », sc. Iesbaam, Eleazar, Semma, Abisai (v. 8. 13. 18), dum Banaias et Asael (v. 23. 25) solummodo *Schalischim* dicuntur.

v. 8 ראש השלשי nullatenus potest verti *princeps inter tres* vel *princeps trium*, sed ad summum *princeps tertii* (*LXX*) vel *tertius* (*Syr.*). *Vulg.* legebat השלשה, loco parallelo 1 Par. 11, 11 habetur השלישים vel השלישים. Infra v. 18 *kethib* habet השלשי, sed *keri* השלשה, cui assentiuntur *Vulg.* *LXX* et locus parallelus 1 Par. 11, 20, dum *Syr.* legebat שלשים. *Chald.* vocem non intellexit, substituens Gibborim. Schalisch vel Schalischi videtur designasse genus quoddam seu gradum militum ; nomen etiam occurrit post aevum Davidicum, in regno tam Iuda quam Israel, 3 Reg. 9, 22 ; 4 Reg. 7, 2 ; 9, 25 ; 15, 25, item apud Chaldaeos Ez. 23, 15 et in ipso exercitu Pharaonis Ex. 14, 7 ; 15, 4. Quod vero Aegyptii hi rhedis veherentur, non probat Schalischim universim classem fuisse militum e rhedis dimicantium ; Davidici certe pedites erant. Iam quod Schalischim primum in exercitu Aegyptiaco hoc nomine veniant, suspicionem facit, nomen nequaquam ex lingua hebr. esse derivandum, quod post versiones h. l. faciunt recentiores, sed fortasse ex aegyptiaca vel etiam aliunde, cf. *Calm.* ad Ex. 14, 7. Similiter nostro aevo husarorum et marescalli nomina, ex lingua hungarica et germanica mutuata, ad omnes fere Europae nationes descenderunt. Nominis a שלשים *triginta* derivatio, praeter soni affinitatem, nullo nititur fundamento ; horum bellatorum numerum ad triginta fuisse limitatum probari nequit, nam omnes nostro elencho enumeratos, qui numerum triginta longe excedunt, fuisse Schalischim gratis supponitur, et insuper alii alibi (1 Par. 12, 4. 18) recensentur

Scalischim. Una ratio, cur nomen Schalischim h. l. interpretes plures pro numerali interpretati sint, ea est, quod numerale ternarii השלשה reapse identidem in hoc elencho recurrat.

Sed quinam erant Schalischim ? Non erant cohors aliqua a reliquis cohortibus, puta Cerethi et Phelethi, distincta : nullibi cohortis Schalischim in rebus bellicis narrandis fit mentio ; non recensentur 15, 18 inter eos, qui Davidem fugientem a facie Absalom secuti sint ; Banaias, qui erat de Schalischim et tamen continuo imperabat Cerethis et Phelethis, certe non erat gregarius miles alterius cuiusdam cohortis. Videtur Schalischi esse nomen gradus cuiusdam militaris, et Rosch-ha-Schalischim nomen gradus immediate superioris, qui proximus accederet ad magistrum militiae (Ioab). Sicut nos in re militari habemus gradum, « marescalli » et gradum « marescalli locum tenentis », ita Hebraei aevi Davidici habebant Rosch-ha-Schalischim et Schalischim.

Haec expositio confirmatur omnibus iis locis, ubi Schalischim nomen habetur : nullo eorum cogimur illud de cohorte aliqua explicare, in pluribus interpretatio de gradu aliquo militari maxime obvia est. Ita 3 Reg. 9, 22 : « De filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam : sed erant viri bellatores, et ministri eius, et duces (שרין cf. supra 18, 1), et Schalischi, et praefecti curruum et equitum ». 4 Reg. 7, 2 : « Et respondit ille Schalischi, qui adstabat ad dexteram regis ». 9, 25 : « Et dixit Iehu ad Badacer ducem », i. e. Schalischi, utique unum ex ducibus nobilioribus. 15, 25 : « Coniuravit autem adversus eum Phacee, filius Romeliae, qui erat Schalischi eius ». Ez. 23, 15 describitur Ooliba capta insano amore ducum i. e. Schalischim Babyloniorum, quorum imagines in muro depictas viderat. Ex. 14, 7 ; 15, 4 Schalischim Pharaonis etiam possunt intelligi duces dignitate praestantes. Hac tandem explicatione admissa intelliges, cur Ioab nusquam inter Gibborim vel Schalischim recenseatur ; licet sc. ipse in eorum aliquando numero fuisset, ad superiorem dignitatem magistri militiae ascendit. Item Amasa, qui inter Gibborim non recen.. ur ; quodsi dixeris, eundem illum esse atque Amasai 1 Par. 12, 18, respondebo, eum, quo tempore ad Davidem primum accessit, reapse fuisse in gradu Schalischi tantum, postea vero brevi tempore dignitatem magistri militiae obtinuisse, ideoque in elencho Gibborim non recenseri. Tandem intelliges, cur Abisai, qui Rosch-ha-Schalischim appellatur, tamen inter duodecim praefectos turmarum 1 Par. 27 non recenseatur. Ipse sc. illum quidem gradum militarem obtinebat, sed quod continuo Ioab fratri tamquam eius « aide de camp » adesset, ad alia militaria imperia deputari haud poterat. — Quibus praemissis ad elenchi heroum explicationem accedimus.

v. 8 « *Haec nomina fortium David. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno* ». Textum hebr. esse corruptum atque ex 1 Par. 11, 11 restituendum, consentiunt critici, cf. *Verc.* Ibi legitur ישבעם בן חכמוני, *Iesbaam filius Hachamoni,* ubi nos habemus יושב בשבת התחכמני. Ultimae vocis ת initiale ortum est reduplicatione praecedentis ת finalis, reliqua facile componuntur ; בשבת ex v. 7 huc irrep-

sisse, iam adnotavit *Kennicott*. Etiam altera versus pars emendatione indiget. Ex comparatione cum 1 Par. 11, 11 colligitur, pro *kethib* הוא עדינו העצני, vel העצני substituendum esse *keri* הוא עורר את חניתו, *iste levavit hastam suam*; ubi *LXX*, derivans עורר non ab עור *agitare*, sed ab עור vel ערר *nudum esse*, vertit *eduxit gladium*. Ceterum *LXX* cum versione keri etiam versionem kethib conglutinat, et eam de altero aliquo heroe intelligit, de *Adino Eznita*; *Syr.* de *Gedehu*, *qui descendit* (עד ינו הנחת). *Vulg.* a novo heroe introducendo feliciter abstinuit, verba serviliter transtulit secundum lectionem, quae ad keri propius quam nostrum kethib accedebat : הוא עדינו העץ שני. — Versus secundum 1 Par. 11, 11 ita vertendus : Haec nomina Gibborim David : Iesbaam, filius Hachamoni, Rosch-ha-Schalischim; iste levavit hastam suam super trecentos (?) vulneratos impetu uno.

S. Hier. nomina propria, quae corrupta lectione prae oculis habebat, appellative transtulit, sicut *Chald.* totum textum de Davide intelligens; imo vox *David* postmodum in non paucis codicibus repetebatur : *Haec nomina fortium David. David sedens etc.* Atque in eundem sensum iam *Ps. Hier.* textum interpretatus est (ad 1 Par.), dum *Beda* optime perspexit, non de Davide esse sermonem, sed de Iesbaam. — Qui h. l. *filius Hachamoni* dicitur Iesbaam, idem 1 Par. 27, 2 *filius Zabdiel* scribitur : rem componit *Keil*, fuisse illum filium Zabdiel de stirpe Hachamoni. — Adscribimus coniecturam *Wellh.*, nonnihil quidem audaciorem. Legebat *LXX* v. 7 בשתם pro בשבת, hoc vero versu Ἰεβοσθέ i. e. ישבשת, Isboseth pro Iesbaam; 1 Par. 11, 11 habent Ἰεσεβαδά. Unde si recolamus, quam facile in graeco Δ et Λ (Ἰεσεβαδά, Ἰεσεβαλά) commutentur, et quomodo in libris historicis V. T. (cf. dicta ad 1 Reg. 14, 49) iterato in nominibus propriis substitutum fuerit בשת « opprobrium » pro בעל, idoli nomine, non absona fortasse videbitur coniectura, ex una parte ישבשת, ex altera ישבעם et Ἰεσεβαδά seu Ἰεσεβαλά revocari ad formam originalem ישבעל, Isbaal. Nota tamen, *Ios.* habere Ἰέσσαιμος, ergo etiam ipse apud *LXX* legebat ישבעם. — Pro *octingentos* 1 Par. 11, 11 *trecentos*, *Ios.* « nongentos » et ita etiam codex legion. (apud *Verc.*) et quatuor codices graeci. Quodsi h. l., uti v. 18, legendum sit *trecentos*, maioris etiam ponderis esset *Sanctii* animadversio : « Notum est, magnam aliquam multitudinem atque indefinitam disparibus admodum numeris significari. Sic dicimus : millies audivi, centies, decies, septies. Quanta sit inter hos numeros differentia, quis non videt ? at est eadem omnino significatio ». Ceterum poterit Iesbaam intelligi interfecisse magnum illum numerum non solus, sed cum sua cohorte, nam et illud iam eximium erat facinus, ut una cohors primo impetu tantam hostium multitudinem prostraverit.

v. 9 « *Post hunc Eleazar, filius patrui eius, Ahohites; inter tres fortes, qui erant cum David, quando exprobraverunt Philisthiim, et congregati sunt illuc in proelium* ». Non debuit *Vulg.* vertere nomen proprium *patrui eius* sed cum *LXX Chald. Syr. Ios.* illud servare, *filius Dodo* vel *Dodi*. *Inter tres fortes* ; id clarius exprimit 1 Par. 11, 12 « qui erat inter tres Gibborim » ; שלשה h. l. significare non Schalischim, sed numerum ternarium, ostendit v. 13. 19. 23. *Philisthiim* in

Hebr. patet esse accusativum, ergo illi tres heroes provocaverunt Philisthaeos. Sed quo *illuc* ? Reapse lectio בחרפם בפלשתים נאספו שם defectiva est ; copula necessario alicubi inserenda, quod praestitere versiones ; שם ad locum prius expressum refertur, sed nullus ante exprimebatur ; verbum חרף cum ב construi non consuevit. Hinc tamquam genuina praeferenda est lectio 1 Par. 11, 13 בפס דמים והפלשתים נאספו שם, ergo : *qui erant cum David in Ephesdammim, et Philisthiim congregati sunt etc.* Qui locus idem est, qui habetur 1 Reg. 17, 1 et a *Vulg.* vertitur « in finibus Dommim ». Correctioni consentit *Ios.*, nam ἐν Ἀραστάμῳ est בפרסם, quod per metathesin et corruptionem ortum est ex בפס דם (*Then.*).

Recte *Ahohites Vulg.* cum 1 Par. 11, 12, ubi pro בן legitur ה. *Hebr. LXX Chald.* h. l. *filius Ahohi* ; sed post nomen patris (Dodo) in nostro catalogo consuevit nomen patriae seu stirpis exprimi. Cf. v. 28 ; 1 Par. 11, 29. Ahohites videtur esse derivatum ab Ahoe 1 Par. 8, 4, nepote Beniamin (*Ges.*). Iam noster Eleazar, filius Dodo, Ahohites omnino videtur esse idem atque « Dudia Ahohites » 1 Par. 27, 4, cum omnes illi duces turmarum ex Gibborim sint desumpti, et quidem fere ordine nobilitatis, ille autem Dudia secundam turmam obtinens secus in nostro catalogo desideraretur. — Sequentia usque ad alteram v. 11 partem desunt 1 Par. 11 ; ea ibi aliquando scripta fuisse, sed, scriba ab uno « et congregati sunt Philisthiim » ad alterum transiliente (*Kennicott*), excidisse, inde patet, quod Semmae (hic v. 11) nomen 1 Par. 11, 13 non exstet, et tamen v. 15. 18 *tres* exhibeantur, qui ante fuerint recensiti.

Primum membrum v. 10 recte *Vulg.* ad sequentia traxit, reliquis illud v. 9 iungentibus. v. 10 « *Cumque ascendissent viri Israel* » fugientes (*Sanct.*), quod patet sequentibus, « *ipse stetit et percussit Philisthaeos, donec deficeret manus eius et obrigesceret cum gladio* », « contractione nervorum prae labore » (*Sa*) ; « *fecitque Dominus salutem magnam in die illa, et populus qui fugerat reversus est ad caesorum spolia detrahenda* ». *Hebr. tantum ad caesorum etc.* quod explicat *Malv.* : « Nihil opus fuit pugnare, sed tantum de caeso hoste spolia reportare ». v. 11 « *Et post hunc Semma, filius Age, de Arari. Et congregati sunt Philisthiim in statione, erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus a facie Philisthiim* », v. 12 « *stetit ille in medio agri et tuitus est eum percussitque Philisthaeos ; et fecit Dominus salutem magnam* ». Hae omnes pugnae nos ad regni Davidici initia revocant, quando Philisthaeorum terror adhuc Israelitas obtinebat, et res singularibus adhuc certaminibus dirimebatur. Imo potuit una alterave harum pugnarum tum locum habuisse, quando David iuvenis a Saule praefectura militari insignitus fuerat.

Semma 1 Par. 11, uti diximus, excidit ; 1 Par. 27 aut identicus est cum Samaoth Iezerite v. 8, quod dignitatis locus suadet, aut dicendus est praefectura turmae non

fuisse honoratus. Adverte 1 Par. 11,44, ubi *Vulg.* habet Arorites et *LXX* τοῦ Ἀραρί, *Hebr. Syr.* legere ערערי, « de Aroer » cf. 1 Reg. 30,28 ; unde probabile apparet, per Arari h. l. et v. 33, vel Harodi v. 25, intelligi Aroer tribus Iuda. — *In statione. Malv.* iam meminit explicationis *in caterva*, contra quam merito obiicit *Then.*, eam vocem videri superfluam post verbum *congregati sunt*. Ceterum חיה aptius vertitur *castra*, quod patet ex 1 Par. 11,15 substituente מחנה et *Vulg.* vertente *in statione* et *castra* (v. 13). Videtur ea esse vox antiquata, loco cuius 1 Par. eam, quae planius intelligeretur, substituit. *Vulg. LXX Ios.* perspexerunt designari locum, ad quem utique respicit sequens שם : *Ios.* εἰς τόπον Σιαγόνα, punctabat לְחָיָה, Lechi, qui locus Iud. 15,9 ob Samsonis de Philisthaeis victoriam celebratur. Falsa punctatio לַחַיָּה ex analogia ad חַיִּת v. 13 orta est. — Pro *lente* 1 Par. habet *hordeum* : facile commutari in manuscriptis poterant עדשים et שערים (*Calm.*). — Pro ויעש *fecit*, 1 Par. ויושע *salvavit*, formae valde similes.

v. 13 « *Necnon et ante descenderant tres, qui erant principes inter triginta, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam ; castra autem Philisthinorum erant posita in valle Gigantum* ». Vox *tres* articulo caret, unde censuere *Abul., Cai., Sanct., Sa* esse diversos a tribus primis : Iesbaam, Eleazar, Semma. Et *Ps. Hier.*, traditione nisus nescio qua, nominat Abisai, Sibbachai Usathiten, et Ionathan filium Semmaa. Certe heroes illi, quicunque tandem fuerint, in numero triginta septem (v. 39) includuntur. E contra *Vatabl., Mar., Malv., Menoch., Gord., Calm.* censent intelligi eosdem illos tres primo iam loco recensitos, cui sententiae accedit *Ios.* et, uti videtur, etiam *Vulg.* eum eventum arctius cum praecedentibus copulans. Utique vix probabile apparet, in nostro elencho, qui totus in recensendis nominibus est (cf. v. 8 « Haec nomina fortium David »), unum aliquod praeclare gestum tacitis nominibus narrari. Dein expressio v. 19. 23 « usque ad tres non pervenerat » suggerit, ante v. 18 non de pluribus quam tribus sermonem fuisse. Sed tum, tam h. l. quam 1 Par. 11,15, supplendus erit articulus, res in textu erroribus haud carente nequaquam improbabilis ; ubi notat *Then.* etiam 1 Par. 11,18 legi articulum, qui in textu parallelo interciderit.

Tres, qui erant principes inter triginta. Putat *Sanct.*, illos tres dici fortiores aliis triginta, qui post eos usque ad finem capitis numerentur ; neque obest, numerari praeter illos tres non triginta, sed unum supra triginta. Sed s. textus proprie illos non dicit *principes inter triginta*, sed *tres (keri) de triginta principibus*, uti vertunt — *Vulg. LXX* ad 1 Par. 11,15. *Chald.* שלשים non intellexit numerale, sed vertit Gibborim, quod nos verteremus Schalischim ; ראש ignorabant *LXX Syr.* h. l. et *Syr.* ad 1 Par. 11,15. Ceterum ex textu evidenter incerto nulla potest erui peremptoria difficultas. — *Tempore messis* : vix aliter verti potest אל קציר, licet אל vel על sensu *tempore* durum sit ; sed 1 Par. 11,15 habet אל הצר, *in petram*, spelunca quippe Odollam in rupe aliqua erat, cf. *Calm.* Quoad haec loca cf. 1 Reg. 22,1 ; 2 Reg. 5,18. Pro inusitato חיה rursum 1 Par. substituit מחנה.

v. 14 « *Et David erat in praesidio* » ; (cf. dicta 1 Reg. 22, 4) « *porro statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem* ». Gesta haec esse putat *Malv.* durante bello, de quo 5, 17. — v. 15 « *Desideravit ergo David et ait : O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem iuxta portam* ! » Seu potius *in porta*, in qua de more gentis Israeliticae maximum esse solet urbium munimentum » (*Sanct.*) ; ergo intra portam. *Menoch.* : « Nec iussit David suos aquam afferre, nec eo animo est locutus, ut ipsi regi gratificantes se in illud discrimen darent. Accidit tamen, quod in huiusmodi fieri amat, ut sc. desideria principum subditis sint pro iussionibus ». *Sanct.* : « Sic ergo reor, in cisterna Bethlehem nihilo meliores esse aquas, quam quae in aliis cisternis e coelestibus pluviis esset collecta ; fecit tamen patriae memoria et naturalis amor, ut aqua, quae ex patria cisterna hauriretur, multo esset iucundior, multo magis ad stomachum ». Porro contendunt *Sanct.* et *Lap.*, primarie desideravisse Davidem patriae liberationem, id vero desiderium figurate enuntiasse, exprimens appetitum aquae ibidem asservatae. v. 16 « *Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quae erat iuxta portam, et attulerunt ad David ; at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino* », — « quasi victimarum obtulisset sanguinem » (*Sanct.*), « quia aquam tam pretiosam, emptam sc. humano sanguine, dignam esse iudicavit, quae Domino libaretur per extraordinarium quoddam sacrificium » (*Menoch.*), idque late sic dictum. Unde perperam ex hoc facto *Rabbi Levi* (ap. Mar.) colligebat, posse fieri aquae sacrificium, aut *Sa*, fuisse illam aquam vino mixtam. Longius item *Ps. Hier.* (in 1 Par.) progressus asserit : « Sacrificavit eam Domino gratias agens, quia tam fortes viros in Israel dederat » ; id verbis nequaquam exprimitur. Verius *Ps. Eucher.* aliique : « Vicit naturam, ut sitiens non biberet, et exemplum de se praebuit, quo omnis exercitus tolerare sitim disceret ». — v. 17 « *Dicens : Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc : num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. Haec fecerunt tres robustissimi* », tres Gibborim primo loco nominati. Pro mero יהוה *Dominus*, quod cum *LXX* vocativo esset exprimendum, codices plurimi, *Syr. Chald.* et 1 Par. legebant מיהוה. — *Hebr. Num sanguinem hominum, qui iverunt pro vita sua — : bibam* supplent 1 Par., et h. l. *Vulg. LXX* ; aut est aposiopesis, quam 1 Par. explicavit, aut textus h. l. ex 1 Par. est complendus.

Iam primo ternario absoluto, ad alios heroas insignes describendos procedit s. auctor. v. 18 « *Abisai quoque, frater Ioab, filius Saruiae, princeps erat de tribus ; ipse est, qui levavit hastam suam contra trecentos* »,

Ios. « sexcentos »; idem codex Legion. (ap. *Vere.*) et quatuor codices graeci, « *quos interfecit; nominatus in tribus* », v. 19 « *et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat* ». Verte : Erat Rosch-ha-Schalischim . . . et ipsi nomen erat inter Schalischim, et inter Schalischim nonne gloriosus erat? הכי, cf. 9, 1. — *Primos* explicationis gratia *Vulg.* addidit : intelliguntur Iesbaam, Eleazar, Semma. Sensus planus est : nomen sibi fecerat Abisai et gloriam acquisierat inter Schalischim, tribus tamen celebratissimis heroibus non aequiparabatur. Miram versionem proponit *Keil* (1 Par.) : trium heroum princeps erat, licet virtute illis nequaquam esset par. — 1 Par. 11,21 additur בשנים, « et inter tres *secundos* inclytus », *LXX* ὑπὲρ τοὺς δύο ; quam vocem *Syr.* ignorat. Ei sane imprimis voci debetur multorum placitum, nostrum elenchum confici duobus ternariis, quibus inde a v. 24 tertia heroum classis addatur. Primus ternarius Iesbaam, Eleazar, Semma. Secundus Abisai, Banaias, et tertius quidam, cuius nomen *Munst.*, *Vatabl.*, *Clar.* reticeri putant, dum *Abul.*, *Menoch.*, *Calm.* Asaelem v. 24, *Cler.* Ioabum, *Lap.* Ionatham, filium Samaa fratris David 21,21 suggerunt. Ast secundus ille ternarius ex textu emungi nequit, Asael 1 Par. 11,26 evidenter tertiae classi adscribitur. Aliunde integritas textus 1 Par. 11,21 non extra dubium versatur. Ubi is בשנים, ibi noster textus habet הכי, cui 1 Par. 11, 25 correspondet הנו : num aliquid 2 Reg. irrepserit in textum, aut aliquid 1 Par. exciderit, aut textus deformatus fuerit, affirmare nequimus.

v. 20 « *Et Banaias, filius Ioiadae viri fortissimi, magnorum operum, de Cabseel; ipse percussit duos leones Moab, et ipse descendit et percussit leonem in media cisterna in diebus nivis* ». Id additur, non quod eo tempore leones sint ferociores, aut homines ad pugnandum minus expediti; sed ut tempus eventus et memorabilis circumstantia designetur. *Sanct.* putavit, percussos esse veros leones : sed non dicuntur simpliciter leones, sed leones Dei; tamen secundum usum loquendi scripturae, leo Dei intelligi potest leo magnitudine et ferocitate praestans. *Bochart* Hieroz. P. I. l. III. c. 1 p. 716 sq. ostendit, apud Arabes et Persas heroas nomen habuisse leones Dei : sed num is loquendi modus Hebraeis etiam usitatus erat? Id videtur sensisse *Syr. gigantes, Chald. magnates.* *LXX* habet *duos filios Ariel Moab,* sed 1 Par. *LXX* omittit *filios. Ios.*, LXX secutus, putat fuisse duos fratres Moabitas. Lectio LXX h. l. inde utique commendatur, quod vox Ariel omnino videatur esse singularis, ergo non « leones ». — Banaias dux erat Cerethi et Phelethi 8,18; 20,23, dux tertiae turmae 1 Par. 27,5. Eius pater erat sacerdos (ib.), probabilius idem qui 1 Par. 12,27 « princeps de stirpe Aaron » appellatur; eratque de Cabseel, civitate in finibus Iuda ad meridiem sita Ios.

15, 21. Ad ipsum patrem refertur *viri fortissimi et facinoribus inclyti.* v. 21 « *Ipse quoque interfecit virum Aegyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam; itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Aegyptii, et interfecit eum hasta sua* ».

Pro אשר legendum *keri* איש. Omnes h. l. habent ביראה *aspectu* (*spectaculo*), item *LXX* ad 1 Par.; reliqui ibi במדה, ergo *virum procerum*; sensus idem. 1 Par. addit fuisse quinque cubitorum, et lanceam sicut liciatorium texentium; *LXX* h. l. aiunt fuisse sicut lignum διαβάθρας, quod potius quam scalam nauticam malim interpretari cum contum, quo scaphae trans fluvium, puta Iordanem, propelli consuevere. Quae quidem comparatio haud videtur Hebraeis universis fuisse familiaris, potuit vero invehi ab ipsis *LXX*, rei nauticae in Aegypto inferiori nequaquam ignaris. Comparatio e contra liciatorii texentium (cf. 21, 19; 1 Reg. 17, 7) videtur Hebraeis fuisse perquam familiaris eoque minus premenda. Sed commode etiam textus omni comparatione caret, quo efficacius percellat oppositio lanceam inter et baculum (Wellh.).

v. 22 « *Haec fecit Banaias, filius Ioiadae* », v. 23 « *et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores, verumtamen usque ad tres non pervenerat, fecitque eum sibi David auricularium a secreto* ». Vertendum uti v. 18 sq.: Et ipsi nomen erat inter Schalischim, et inter Schalischim gloriosus erat, verumtamen usque ad tres primos (Jesbaam, Eleazar, Semma) non pervenit. Qui tres cum in posteriori Davidis historia nunquam commemorentur, dum Abisai et Banaias constanter nominantur, censendi sunt maturius iam obiisse. — *Auricularium a secreto*: 1 Reg. 22, 14 ostendimus, משכיעת intelligi cohortem praetorianam, quae hic non alia esse videtur, quam Cerethi et Phelethi, cf. 20, 23.

Sequuntur Gibborim reliqui, qui 1 Par. 11, 26 introducuntur hac formula: « Porro fortissimi viri in exercitu ». v. 24 « *Asael, frater Ioab, inter triginta* », i. e. inter Schalischim.

Quod additum *Keil* censet etiam valere pro omnibus sequentibus heroibus; ast id minime liquet. Additum omittit 1 Par. Videntur h. l. legisse *LXX* ואלה שמות גבורי דוד המלך, *et haec nomina Gibborim David regis*: verum ואלה שמות non videtur esse nisi corruptio praecedentium verborum repetitorum אל משכיעתו, et altera pars incisi fortasse ortum duxit ex verbis 1 Par. adiectis וגבורי החילים. Quod Asael Schalischim adnumeretur et 1 Par. 27, 7 uni ex duodecim turmis praeficiatur, ostendit varios in exercitu Davidis ordines et cohortes iam ab ipsis regni primordiis fuisse distincta; sed non est necesse admittere, iam tum singulas turmas viginti quatuor bellatorum millia numerasse.

« *Elchanan, filius patrui eius, de Bethlehem* »; filius Dodo vel Dodi, cf. v. 9. Sed non idem atque ibi Dodo videtur intelligi, cum ille Ahohites

dicatur, a nomine sive ignotae urbis sive Beniaminiticae cognationis, hic Bethlehemita dicatur et fortasse idem sit atque Elchanan, filius Iair, Bethlehemita 21, 19 (*Lap.*). v. 25 «*Semma de Harodi*». Is 1 Par. 11, 27 vocatur Sammoth שַׁמּוֹת, videturque idem esse cum Samaoth Iezerite, שַׁמְהוּת, 1 Par. 27, 8 (*Calm.*) : cum enim reliqui ibi duces omnes ex Gibborim sint desumpti, etiam Samaoth videtur indidem repetendus.

Iezerites יִזְרָח idem est, quod Ezrahita אֶזְרָח 3 Reg. 4, 31 (5, 11) et Zarahi זַרְחִי 1 Par. 27, 11. 13, et designat familiam derivatam a Zara זֶרַח, filio Iuda (*Fürst*). Fuit Semma de Harodi seu Arori (1 Par. 11, 27), nam eae duae formae constanter permutantur, ergo ex eodem loco unde v. 11 alter Semma. Unde suspicatur *Calm.*, esse eundem virum : potuitque nomen h. l. repeti ad duos Haroditas, Semma et Elica, copulandos, uti v. 24 copulantur duo Bethlehémitae, v. 28 sq. duo Netophathitae, v. 33 rursum duo Haroditae, v. 38 duo Iethrithae (*Wellh.*). Sed obest, primum quod Semma stirpis Zarahi Arorites non tamen evidenter idem sit atque Semma, filius Age, Arorites ; dein quod, si unus esse supponantur, heroum nomina ad triginta sex reducantur, cum v. 39 esse triginta septem affirmentur. Sed ad hoc respondebimus v. 34.

« *Elica de Harodi* » : excidit is 1 Par., et h. l. apud *LXX Syr.*, idque facile potuit obtinere propter bis repetitum *de Harodi*. 26 « *Heles de Phalti* », quem *Then.* oriundum putat ex Bethphelet tribus Iuda Ios. 15, 27. Is 1 Par. 11, 27 ; 27, 10 dicitur Phalonites. « *Hira, filius Acces, de Thecua* », cf. 1 Par. 11, 28 ; 27, 9 ; quoad Thecuam 2 Reg. 14, 2. — v. 27 « *Abiezer de Anathoth* », urbe sacerdotali tribus Beniamin Ios. 21, 18, haud longe ab Ierusalem, patria Ieremiae prophetae, cf. 1 Par. 11, 28 ; 27, 12. « *Mobonnai de Husathi* ». Pro מובני legendum esse *keri* סבכי, Sobbochai, patet ex 21, 18 ; 1 Par. 11, 29 ; 20, 4 ; 27, 11. — v. 28 « *Selmon Ahohites* ». Ad stirpis nomen cf. v. 9. Pro צלמון legit 1 Par. 11, 29 עילי ; formam intermediam exhibet h. l. *LXX* Ἐλλών. « *Maharai Netophathites* ». Cf. 1 Par. 11, 30 ; 27, 13, ubi is dicitur « de stirpe Zarahi », de qua ad v. 25 disseruimus. Netupham habes 4 Reg. 25, 23 ; 1 Esdr. 2, 22 ; 2 Esdr. 7, 26. Ex ultimo textu et ex 1 Par. 2, 54 efficitur, locum haud longe abfuisse a Bethlehem. v. 29 « *Heled, filius Baana, et ipse Netophathites* ». חלב habent *Hebr. Chald. Syr.*, הלד *Vulg. LXX*, 1 Par. 11, 30 ; 27, 15, ubi additur « de stirpe Gothoniel », patriarchae cuiusdam (4, 13) tribus Iuda. « *Ithai, filius Ribai, de Gabaath filiorum Beniamin* », utique diversus ab Ethai Gethaeo 15, 19 ; cf. 1 Par. 11, 31. — v. 30 « *Banaia Pharathonites* », cf. 1 Par. 11, 31 ; 27, 14. Ex Pharathone terrae Ephraim fuerat iudex Abdon Iud. 12, 13. 15. « *Heddai de torrente Gaas* », vel *de convallibus Gaas*, utrumque enim hebr. vox sonat.

Pro הדו *Hebr. Vulg. LXX* 1 Par. 11, 32 חורי. De Iosue dicitur Ios. 24, 30 ; Iud. 2, 9 : « Sepelieruntque eum in finibus possessionis suae in Thamnath Sare, quae est sita in monte Ephraim, a septemtrionali parte montis Gaas ». Iam *V. Guérin* 1863 reperit sepulcrum Iosue in colle, ubi vicus Deir-ed-Dham, opposito reliquiis urbis Khirbet-Tibneh. Cf. *Vigouroux* : La bible et les découvertes modernes, 3e éd., t. III. p. 195.

v. 31 « *Abialbon Arbathites* », i. e. ex Beth Araba Ios. 15, 61 ; 18, 22, quae, ut comparatione Ios. 15, 6 et 18, 18 patet, etiam Araba vocabatur. Erat ea urbs in finibus Iuda et Beniamin sita. Abialbon apud *LXX* vocatur Ἀβιήλ (proprie Γαδαβιήλ, sed Γαδ non est nisi praecedens Gaas repetitum), item apud omnes 1 Par. 11, 32 ; unde coniicit *Wellh.*, nomen primitus fuisse Abibaal, quod hinc per metathesin evaserit Abialbon, illinc per nominis divini mutationem Abiel. « *Azmaveth de Beromi* ». Hic ברחמי, 1 Par. 11, 33 בחרומי ; Syr. h. l. חורים, qui secus Bahurim vocat בית חורים, cf. 3, 16 ; 16, 5 ; rursum 3, 16 legunt *LXX* Βαρακίμ. Hinc iam inferebat *Malv.* legi oportere h. l. Bahurim tribus Beniamin. v. 32 « *Eliaba de Salaboni* », fortasse Selebon שעלבין, Ios. 19, 42, urbs tribus Dan prope Beniamin. « *Filii Iassen, Ionathan* ». v. 33 « *Semma de Ororí* ». Textus restituendus ex 1 Par. 11, 33 : « Benihassem Gezonites. Ionathan, filius Sage, Arorites ». Semma videtur corruptum ex Sage, idque eo facilius fieri potuit, quod v. 11. 25 duo Semma Aroritae fuerint recensiti. Vel etiam dicas cum *Wellh.*, eundem esse Sage qui v. 11 Age, atque in patris locum nomen filii Semma subintrasse. Gezon ignoratur. « *Ahiam, filius Sarar, Arorites* ». Pro Sarar 1 Par. 11, 34 Sachar, quod videtur confirmari 1 Par. 26, 4, si tamen Sachar ibi appellatus, filius Obededom levitae, idem sit cum nostro Sachar vel Sarar. v. 34 « *Elipheleth, filius Aasbai, filii Machati* ». Avus nullibi secus in elencho recensetur. 1 Par. 11, 35 sq. habet : « Eliphal, filius Ur. Hepher Mecherathites ». אחכבי utique corruptum esse potest ex אור חפר, cum 1 Par. habeatur forma mixta Οὐρφάρ. Maachathites intelligitur vel oriundus ex regno Macha (10, 6), vel ex urbe Israelitica Abel Bethmaacha (20, 14). Cf. 4 Reg. 25, 23.

Cum ita h. l. ex uno Elipheleth fiant duo, Elipheleth sc. et Hepher, reapse nisi Semma v. 25 idem esse cum Semma v. 11 agnoscatur, pro triginta septem v. 39 in nostro elencho habebuntur triginta octo heroes. Tamen identitatis quaestio hinc necdum absolute solvitur, cum non sit impossibile, clausulam illam a non inspirato auctore post corruptum v. 34 fuisse introductam.

« *Eliam, filius Achitophel, Gelonites* ». cf. 15, 12 ; corrupte 1 Par. 11, 36 « Ahia Phelonites ». v. 35 « *Hesrai de Carmelo* », de Carmel civitate Iuda 1 Reg. 25, 2. « *Pharai de Arbi* ». *Vulg. LXX* ad 1 Par. 11, 37 mendose Naarai. Videtur intelligi Arab Ios. 15, 52 in montanis Iuda.

v. 36 « *Igaal, filius Nathan, de Soba. Bonni de Gaddi* ». Pro Igaal 1 Par. 11, 38 Ioel, et pro *filius, frater*. Si genuina sit lectio *frater*, quod quidem definiri aegre potest, tum lectio *de Soba* (cf. 8, 3) certe est erronea, cum ille, qui frater prae patre recensetur, non possit esse nisi vir notissimus (cf. v. 18. 24 « frater Ioab »), ergo Nathan propheta, qui erat Israelita, non Sobaita. *LXX* trahunt מצבה ad sequentia, scribentes nomen viri Πελουδυνάμεις, et pro בני legunt בן ; item 1 Par. 11, 38 omnes, legentes tamen ביבחר, Μεβαάλ pro מצבה. Ergo : Igaal (vel Ioel), filius (vel frater) Nathan. Misba (vel Mibahar), filius Agarai (vel Agaddi). v. 37 « *Selec de Ammoni* », i. e. de filiis Ammon. « *Naharai Berothites, armiger Ioab, filii Saruiae* », de Beroth Beniamin 4, 2. — v. 38 « *Ira Iethrites* », alius, uti videtur, ab Ira Iairite 20, 26. « *Gareb et ipse Iethrites* ». Iether 1 Reg. 30, 27, prope fines meridionales tribus Iuda. v. 39 « *Urias Hethaeus. Omnes triginta septem* ».

Iam totum nostrum heroum elenchum quod attinet, adverte eum ita esse constructum, ut primo loco nomen herois scribatur, dein nomen patris, inde nomen stirpis, tandem nomen loci originis ; non utique pro singulis singula. Pro patre bis frater ponitur (v. 18. 24 Ioab), fortasse etiam tertio (v. 36 Nathan), quoties sc. frater clarius sibi nomen comparavit. — Ex triginta septem heroibus quindecim certo oriundi sunt ex tribu Iuda, sex ex tribu Beniamin, duo ex Ephraim, unus ex Dan, unus ex Nephthali, alienigenae duo. Decem manent incerti : Iesbaam, Semma, Elica, Sobbochai, Benihassem, Ionathan, Ahiam, Elipheleth, Igaal, Mibahar ; quorum tamen plerique supponendi sunt ad tribus Iuda et Beniamin pertinuisse. Ex his ergo tribubus derivabantur Gibborim plerique. — 1 Par. 11 nostro elencho sexdecim saltem nomina adduntur. Unde quaeri potest, quot nomina exstiterint in antiquo documento, ex quo uterque elenchus derivatus est. Probabilius triginta septem ; in iis enim, quae adduntur, nominibus non tam accurate, quam in prioribus, stirps vel locus originis describitur ; posterius igitur illa nomina elencho adiecta esse videntur. Fortasse eorum virorum aliqui Salomonico potius, quam Davidico aevo floruerunt.

6) Populi census 2 Reg. 24, 1-25.

Arg. — Elatus animo David frustraque obnitente Ioab totum populum recenseri iubet. Quare Deus illi per Gad prophetam trium poenarum optionem dat. Quarum ille, quod Dei quam hominum manibus se credere mallet, pestem eligit. Plaga ipsam Hierosolymam iam attingente, miseretur Dominus et sacrificio in area Areuna oblato placatur.

Intime haec quoque narratio cum Historia David connectitur. Exhibetur sc. David eius neglectae fiduciae poenas ferens, cui tota domus eius a Deo aedificanda tamquam inconcusso fundamento erat superstruenda.

Alio omnino contextu eadem narratio 1 Par. 21 legitur : ibi quippe docemur, in loco, ubi apparuerit angelus, aedificatum esse postmodum templum. Verum id eventurum esse fortasse ignorabatur adhuc, quo tempore nostrum caput primum est conscriptum. Aliunde iam *Vatabl.* et *Malv.* ex prima voce *et addidit* (i. e. et rursum iratus est) et ex verbis, quae tam hic quam 21,14 narrationem claudunt : *et repropitiatus est Dominus terrae,* perspexerunt, nostram narrationem primitus intime fuisse connexam cum altera de clade Israeli ob iniuriam Gabaonitarum inflicta. Quibus verbis *Et addidit furor Domini* apte 1 Par. 21, 1 haec substituuntur : « Consurrexit autem Satan contra Israel », quin cum quibusdam, quorum meminit *S. Hier.* in Eph. 2,3 et quibus accedunt *Abul.* et *Sanct.,* asserere oporteat, furorem Domini h. l. intelligi ipsum satanam. Verba mutavit 1 Par., quia, cum omitteret primum furoris exemplum, non poterat incipere verbis « et addidit furor Domini ». Ab effectu recte asseritur furor Domini in aliquem exardescere, quando is tentationi exponitur, quam de facto non superat. Noster illa verba retinuit, primum quod eam narrationem tantum per modum fragmenti suae narrationi adnecteret, dein quod generatim ab inspiratis, quae adhibebat, documentis mutandis, religiose abstineret, cf. 1 Reg. 7,13 sqq. ; 17, 55 sqq.

Cap. XXIV v. 1 « *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem : Vade, numera Israel et Iudam* ». Clarius *: Commovitque Davidem in eos, dicens* (*LXX Syr.*) ; subiectum grammaticale est *furor Domini*, qui re idem utique est cum ipso Domino. 1 Par. « ut numeraret Israel », non quasi Dominus id iusserit, secus enim non fuisset peccatum, sed quatenus Domino adscribitur id, quod eo permittente factum est (*Sanct.*). « Est ergo perspicuum, permissionem cum vocasse mandatum, quoniam, cum posset prohibere, non prohibuit, volens per hoc castigare iniquos » (*Theodoret.*). v. 2 « *Dixitque rex ad Ioab, principem exercitus sui : Perambula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabee, et numerate populum, ut sciam numerum eius* » ; « ut sciat quot et quantos ipse habeat subditos, quotque ex iis apti sint, ut in milites conscribantur, indeque sciat suum robur, quot sc. milites in aciem educere possit » (*Lap.*).

Cum 1 Par. legendum esse *ad Ioab et ad principes* suadetur ex v. 4 *obtinuit autem sermo regis verba Ioab et principum exercitus*, ex v. 2 *numerate* (*Hebr. Vulg.*), ex *Arab.*, qui h. l. legit uti 1 Par. et verba ponit in plurali, ex addito אשר אתו, quod mero titulo *princeps exercitus* adnecti haud consuevit.

v. 3 « *Dixitque Ioab regi : Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum*

tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re huiuscemodi? » Quare concupiscit rem huiuscemodi, sc. ut numeretur populus? Nonnihil differt 1 Par. : « Nonne, domine mi rex, omnes servi tui sunt? » nonne hoc sufficit? quid ultra opus est numerare? « Quare hoc quaerit dominus meus? quare erit ipse in peccatum Israeli? » Differentia orta est vel inde, quod, quibusdam originalis textus vocibus tempore auctoris 1 Par. obliteratis, ipse alias sensui conformes substituerit, vel inde quod alteruter s. auctor voluerit textum liberius et non ad literam reproducere, quod ipsi omnino licitum erat. — Refragatur autem Ioab, quod regis voluntatem ex ambitione profectam esse intelligat, censumque populo minus feliciter cessurum esse pertimescat.

Copulam in יוסף ignorant cum 1 Par. *Vulg. Syr.*; qua retenta intricatior evadit constructio. *Then.* : « Non solum adaugeat Dominus... sed etiam videat dominus meus rex », i. e. illud incrementum te superstite obtineat. *Keil*, cui adhaeret *Clair* : « (Si laetaris de aucto populi numero), adhuc augeat Deus populum ». — *Quantus nunc est* : ita recte *Vulg.* reddit *sicut sunt et sicut sunt*. Praeter Vulg. omnes, etiam 1 Par., copulam alio loco inserant : *Augeat Dominus populum tuum, quantus nunc est, centum vicibus*, i. e. centuplicet eum, *et oculi domini mei regis videant.*

v. 4 « *Obtinuit autem sermo regis verba Ioab et principum exercitus* », i. e. *praevaluit sermo eius prae etc.* (*Hebr.*), « *egressusque est Ioab et principes militum a facie regis, ut numerarent populum Israel* ». v. 5 « *Cumque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis, quae est in valle Gad* ». Sequentem locorum enumerationem omittit 1 Par. et, post enuntiatum Ioabi egressum, illico subnectit verba v. 8 « et reversus est Ierusalem ». Sensus versuum clarus est universim. Describitur circuitus ducum per totam regionem Israel, et quidem per eius peripheriam, 1 Par. 27, 24 enim asseritur numeratio non esse completa, et 21, 6 Beniamin (et Levi) esse omissus, i. e. praecise pars regionis centralis. Iter vero procedit ab Aroer transiordanico, quod erat in ripa fluminis Arnon, septemtrionem versus, et inde descendit secus litus Maris Mediterranei usque ad urbem maxime meridionalem terrae sanctae, Bersabee. Inde reditur Ierusalem, peragrata utique universa tribu Iuda.

Singula quod attinet, reiicienda est interpunctio, qua Vulg. contra omnes transsumit ואל־יעזר ad v. 6; sequens verbum *transierunt* apud omnes copulam habet, et אל, secus h. l. semper terminum itineris significans, non potest hic verti *per*. Rursum Aroer, urbs celebris, secus (Deut. 2, 36; 3, 12; 4, 48; Ios. 12, 2; 13, 9. 16; 4 Reg. 10, 33) semper describitur his verbis : « Aroer, quae sita est super ripam torrentis Arnon ». Eam nunc describi per verba : *ad dexteram urbis, quae est in valle Gad*, perquam improbabile est; esset enim descriptio noti per ignotum, cum vallis Gad et urbs ibidem sita hoc unico loco nominentur. Ergo cum *Wellh.* trahimus *Gad* ad

sequentem vocem : *venerunt... in Gad et usque Jazer*, Jazer quippe erat urbs fere in media tribu Gad sita, dum Aroer esset in tribu Ruben. Urbis vero cuiusdam Aroer Gad, ab Aroer Arnon distinctae, existentia ex Ios. 13, 25 et Iud. 11, 26. 33 non sufficienter probatur ; et ea urbs, si exstiterit, h. l. non intelligitur, agitur enim evidenter de circuitu incipiente a limite maxime meridionali transiordanico, et terminante in limite maxime meridionali cisiordanico ; tandem, si circuitus inciperet in tribu Gad, non esset numerata tribus Ruben, cum 1 Par. 21, 6 solae tribus Levi et Beniamin excipiantur. Ergo ita vertendum est cum *Calm.* : *Et castra locaverunt* (*Hebr. LXX Chald.*) *in Aroer, ad dexteram huius urbis, quae est in media valle.* Ioab cum numeroso comitatu videtur in variis successive locis consedisse, quo omnes late incolae ad profitendum confluerent. Dexteram urbis intellige, si orientem respicias, ergo meridiem urbis. Sensus aut is est, consedisse illos in parte meridionali ipsius urbis, in media valle ; aut nonnihil ad meridiem urbis, in media valle, quo sc. facilior esset undequaque accessus. Sequentia dein verba *in Gad et usque Jazer* directionem itineris indicant ab Aroer continuati, s. auctore iam prae oculis habente sequens verbum יבאו (*Keil*). Sed fatendum, totam constructionem planissimam reddi levi aliqua emendatione, מערוער loco בערוער, a *Wellh.* proposita : *et venerunt* (*Vulg. Syr.*) *ab Aroer, parte australi civitatis, quae est in media valle, in Gad et usque Jazer.* ב et בי saepissime permutantur ; ב vero in omnibus nunc textibus legi, etiam inde esse potest, quod corruptio fuerit omnibus versionibus antiquior. Notantur vero numeratores incepisse ab ipsa media valle, qua tribus Ruben a Moabitis separabatur, ut ostendatur, quam completa fuerit numeratio. — Obiicies, יהנו non significare *venerunt*, sed *consederunt* (*Hebr. LXX Chald.*) : at *venerunt* certe habent *Vulg. Syr.*, licet, quid legerint, non ita perspicuum sit.

v. 6 « *Et per Iazer transierunt in Galaad, et in terram inferiorem Hodsi, et venerunt in Dan sylvestria* ». Secundum antea dicta *et usque Iazer* ad praecedentem versum remisso, vertendum : *Et venerunt in Galaad etc.*

Hodsi nomen est de reliquo ignotum, et sine dubio corruptum. Ex directione itineris haec terra quaerenda est inter Galaad et Dan Lais, quae in tribu Nephthali versus septemtrionem est extrema. Basan habet *Arabs*, sed utrum ex emendatiore manuscripto an ex coniectura, decernere non ausim. Pro תחתים, voce aenigmatica, quam *Vulg.* vertit *inferiorem* et *Chald. australem*, *LXX Alex.* habet Ἐδωών, legebat ergo החתים, *in terram Hethaeorum*, quod optime quadrat. חדשי *Wellh.* transformat in קדשה, *usque Cades*, quae emendatio non est spernenda, meliore deficiente. Intelligenda autem erit Cades tribus Nephthali Ios. 21, 32 ; Iud. 4, 6 ; 1 Mach. 11, 63 ; Tob. 1, 2 sec. LXX ; non, quam praefert *Wellh.*, Cades aliqua in insula fluminis Orontis exstructa, haud longe ab Hamath : recte enim monet *Theu.*, ex v. 2 describi numerum tribuum Israel a Dan usque Bersabee, non vero gentium a Davide subactarum Euphraten versus. Probabilius igitur vertes : *et venerunt in terram Hethaeorum, versus Cades.* — *Dan silvestris* intelligitur eadem Dan, quae v. 2. Sequitur *Vulg. keri* יער, et apte describitur haec Dan silvestris, in oppositione ad ipsam regionem tribus Dan, quae fere plana est. *Chald.* retinet *kethib* יען, et haec lectio praeferenda : nam ex nummis Caesareae Philippi, quae haud longe a Dan Lais aberat atque in desertae urbis locum successerat, efficitur numini, quod in ea civitate colebatur, nomen fuisse Baal Iaan ; ergo minime dubitandum, etiam urbi fuisse nomen Dan Iaan. Cf. *W. Smith*, The book of Moses, London 1868, I, 448 sqq.

« *Circumeuntesque* » — verbum in plurali legisse videntur aut certe interpretati sunt *Vulg. LXX Syr.* —« *iuxta Sidonem* », v. 7 « *transierunt prope moenia* », i. e. arcem, cf. Ios. 19, 29, « *Tyri, et omnem terram Hevaei et Chananaei, veneruntque ad meridiem Iuda in Bersabee* », v. 8 « *et lustrata universa terra, affuerunt post novem menses et viginti dies in Ierusalem* ». Enumerationis ordo ostendit, per terram Hevaeorum et Chananaeorum intelligi occidentalem terrae sanctae plagam, quae alias Philisthaeis tribuitur. Eae gentes mixtim ibi habitabant, et Ioab eas recensuit urbes, quae prius ad eas gentes pertinuerant, nunc autem in Hebraeorum erant potestate.

Sed iam quaeramus, *quale in ea numeratione Davidis peccatum fuerit* ; nam fuisse peccatum colligitur ex Ioabi verbis dissuadentibus, « quod in peccatum reputetur Israeli » (1 Par. 21, 3), ex regis v. 10 confessione « Peccavi valde in hoc facto » (cf. v. 17), ex divina punitione v. 12 sqq. — *Houb.* ex 1 Par. putat, ideo iratum fuisse Deum, quod David instigante *satana* peregerit numerationem. Sed adhuc quaeritur, quaenam fuerit eius numerationis intrinseca malitia. Quodsi enim talis malitia non adfuisset, qui David percipere potuit, instigationem a satana esse profectam ? — *Theodoret.* censet, factam numerationem fuisse tantum *praetextum* poenae, quae fuerit populo inflicta ob alias rationes, uti ob secutum Absalomem (?) : at certe tam Ioab v. 3 quam David v. 10 peccatum in ipsa numeratione agnoscebant. Id quidem veri habet Theodoreti sententia, potuisse poenam infligi ob alia *etiam* delicta a numeratione distincta. — *Aug.* (34. 642), cui assentitur *Sanct.*, putavit, numerationem populi institui non licuisse, nisi Deo diserte iubente ; ast eiusmodi restrictio nullibi in scriptura asseritur. — *Ios., Est., Tir., Bonfr., Sanct.* rationem peccati cernunt in neglecta a singulis, qui numerarentur, dimidii sicli solutione, tabernaculo tribuendi Ex. 30, 12 sq. : « Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, et non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi ». In poena neglectae solutionis « plaga » proponitur, et in nostro textu plagae poena infligitur : ergo haec plaga videtur obtinuisse, vel quod populus dimidium siclum pendere neglexerit (*Sanct.*), vel quod eundem David sibi reservaverit (*Mar.*), quod tamen avaritiae genus a Davidis indole longissime abest. Sed notat *Calm.*, eam dimidii sicli pensionem non lege perpetua fuisse sancitam, sed pro solo Moysis tempore, quando de exstruendo tabernaculo ageretur. Neque de eius pensionis omissione, sed de ipsa numeratione conqueri videtur Ioab his 1 Par. verbis : « Quare hoc quaerit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli ? » *Sulpitius Severus* (Hist. lib. I.), *Ambr.* (17. 982), *Greg.* (76. 344), *Est., Menoch., Gord.* rationem peccati primariam cernunt *in ambitione* seu *ambitiosa curiositate*. Idem *Calm.* : « Agnoscendum est igitur, peccatum hoc Davidis totum in imo viri corde sese continuisse. Fastus, ambitio, superbia et inane studium sciendi numerum subditorum sibi hominum ac virium suarum magnitudinem, amplitudinem imperii, quasi haec omnia accessio essent gloriae,

maiestatis ac famae nominis sui : haec Davidis crimina fuerunt et culpa ». Cui explicationi optime aptantur verba Ioab 1 Par. : « Nonne, domine mi, omnes servi tui sunt ? » quae verba susceptam numerationem superfluam esse affirmant : quodsi superflua, ex quonam tandem motivo nisi ambitionis profecta erat ? Obiicit quidem *Sanct.* : « Si vanum *tantum* intercessisset gaudium, non puto, tam esset rex cum populo vexatus hostiliter, neque ulla apparet causa, cur ideo populus tam graviter mulctari debuerit ». Ergo res penitius discutienda.

Numerationis is proximus erat finis, ut vires imperii accurate noscerentur, essentne sufficientes ad bella contra exteros gerenda et rebelliones reprimendas. Sed aderat praeterea promissio divina, ad quam 1 Par. 27,23 explicite provocat, multiplicatum iri Israel sicut stellas coeli (Gen. 22,17 ; 26,4 ; Ex. 32,13), dummodo Israel Deo serviret ; quae promissio eidem illi fini longe perfectius prospiciebat, dum numeratio divinae promissionis vel oblivionem vel diffidentiam arguebat. Pulchre explicat *Duguet*, quomodo populus tot victoriis elatus coeperit suae virtuti gloriose acta adscribere, contemnere inimicos, gloriari de praeclare gestis, oblivisci Deum victoriae largitorem ; quos sensus publice profiterentur, approbarent atque in se ipsis augerent, unde iuste cum rege punitus fuerit populus. Rex vero florentem post tot bella reipublicae conditionem cum perditis fere initio regni rebus comparans, elevabatur animo ; instituit numerationem « contra promissiones Dei, contra fidem suam priorem » (*Malv.*). *Clair.* : « Coepit David animadvertere ostentationem illam virium, quarum censum fieri curaverat, fiduciamque, quam in illis collocabat, oportere Deo ingratas esse, cum Deus saepius ostendisset, se exiguis copiis adesse potius quam magnis, si modo exiguarum copiarum duces ad eius auxilium confugerent, atque in eo fiduciam collocarent ». Nec tamen, ubi hoc animadvertit, a coepta numeratione destitit. *Peccatum erat elationis*, tam in rege quam in populo.

Dicta confirmantur ex iis, quae 1 Par. 27 hunc censum consecuta esse vel cum eodem connexa fuisse narrantur. Primum enim v. 1-15 constituit rex duodecim turmas, quarum singulae viginti quatuor millia bellatorum numerabant, et singulis mensibus regi ministrabant. Ubi conferas 1 Reg. 13,2 de Saul, qui sibi tria tantum virorum millia adsciverat, eosque, uti videtur, constanter eosdem. Quo efficiebat David, ut sufficiens sibi iugiter praesto esset contra inimicos externos et internos subito insurgentes praesidium, ut 288,000 (12 + 24,000) e virorum bellatorum numero sibi essent addictissimi, quod singulis quotannis mensibus penes regem versarentur. Similiter v. 16-22 videtur David singulis tribubus duces praeposuisse, vel saltem eos, qui duces erant, approbasse : qua ratione rursum tribus sub suam plenius redigebat potestatem. v. 25-31 legimus administratores constitutos pro possessionibus regis. v. 32-34 enumerantur ii, qui primaria officia in aula regis obtinebant. Haec omnia exhibent, quod vocabulis recens effictis organizationem et centralizationem vocamus. Rex potestatem, quam sibi, si recte ageret, perduraturam Deus promiserat, mediis mere humanis contra adversa quaevis munire contendebat. Etiam tempus, quo haec gesta sint, ex 1 Par. 27 coniectura assequi licet. Gesta fuerunt ex v. 33 vivo adhuc Achitophel, eoque fortasse suggerente. Imo inchoata fuere ex v. 7 superstite Asael,

fratre Ioab, ergo quamdiu David solo regno Iuda potiebatur. Eo iam tempore obtinuerat duodecim turmarum formatio, sed postero tempore res constanter ad maiorem perfectionem est deducta ; primum rex sapienti ratione et fortasse ex prophetarum placito agebat, postea elatus in mediis humanis totam fiduciam reponere coepit, tandem de describenda universa natione cogitavit.

v. 9 « *Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi, et inventa sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, et de Iuda quingenta millia pugnatorum* ». 1 Par. 21, 5 habentur de Israel 1,100,000 et de Iuda 470,000 ; *Ios.* scribit de Israel 900,000 et de Iuda 400,000. Pugnatores numerabantur a viginti annis, cf. 1 Par. 27, 23 : « Noluit autem David numerare eos a viginti annis inferius ».

Numerorum diversa lectio probabilius h. l., uti alias, orta est ex corruptione. Tamen h. l. etiam alia explanatio se offert. 1 Par. 27, 24 dicitur : « numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David » ; aliis verbis, non exstabat *authentica* ratio illorum numerorum. Qua animadversione numeri tam 2 Reg. 24, 9 quam 1 Par. 21, 5 descripti, ab ipso s. auctore declarantur non authentici : ergo eorum falsitas, etiamsi ipse auctor eos descripsit, veracitati s. textus non officit, cum s. auctor implicite declaret, se illos ex fontibus indubiae auctoritatis non hausisse. Imo ea nos animadversio monet, s. auctores historiae regum, praeter documenta authentica, quandoque etiam documentis non authenticis esse usos : unde, quos ipsi numeros describunt, supposita textus incorruptione, tum utique premere licet, quando ad fontes authenticos, v. g. fastos regios, provocant ; non ita, quando ex aestimatione hominum vel secundum documenta minus authentica loquuntur. Aliquid eiusmodi etiam *Malv.* videtur esse subodoratus, scribens esse « forsan diversas editas summas a diversis scribis, ut res aegre ac permoleste peragebatur ». Similiter *Duguet.* — Nostros iam numeros quod attinet, audi *Calm.* : « Inter duos hosce numeros ingens adeo est discrimen, ut praestare videatur alterutrum deserere, quam irrito conatu conciliationem tentare : saepe enim invita conciliatio dubia et ambages auget, non removet..... Si census Par. teneatur, quo sc. exhibentur quindecies centena ac septuaginta millia idoneorum ad arma, non comprehensis tribubus Levi et Beniamin, neque facile etiam servis advenisque, mulieribus, pueris, senibus : id utique summam hominum efficiet adeo immanem, ut fidem omnem superet ». Stemus ergo numeris 2. Reg. 800,000 + 500,000 i. e. 1,300,000. — Calm. huic numero armatorum censet correspondere universorum civium (ergo etiam Levi et Beniamin numerum sex vel septem millionum ; cui fere consentit *Keil.* plus quinque millionibus statuens pro octo tribubus recensitis, quod viri viginti annis maiores fere quartam partem totius populi constituant. Habebis pro sola tribu Iuda duos milliones (500,000 × 4). Habebis plus undecies millenis incolis pro singulis leucis quadratis, cum tota regio videatur fuisse 530 leucarum ; porro recole, tantae molis urbes, quales nunc sunt, non exstitisse, plures tractus desertos in ea regione fuisse, plures incolas Chananaeos etc. — Rursum totum illum censum

perfecit Ioab novem mensibus et viginti diebus i. e., si simplicitatis gratia menses singulos triginta dierum statuamus atque sabbata et aliquos pro festis dies subtrahamus, circiter 245 diebus. Quem numerum si cum 1,300,000 compares, habebis plus 5,300 viros bellatores quotidie descriptos, quibus correspondet numerus incolarum 21,200. Minime quidem putandum est, solum Ioab in describendis numeris fuisse occupatum, habebat adiutores non paucos ; at strenue negotium egisse, quis infitiabitur ? Non ausim dicere, numeros in 2 Reg. descriptos impossibilitate laborare ; at, eos non esse exaggeratos, improbabile apparet, imprimis si recolamus regionis conditionem regnante Saule, quando certe magna populi pars pascendis gregibus occupabatur, quod vitae genus densam populationem non admittit. Plura de hac quaestione vide apud *Cler.*

Aliqua narrationi addit 1 Par. ; et quidem 21, 6 duas tribus non esse numeratas : « Nam Levi et Beniamin non numeravit, eo quod Ioab invitus exsequeretur regis imperium ». Rursum 27, 24 docemur, ipsam plagam fuisse causam, cur numeratio non fuerit completa (*Tir.*) : «Ioab, filius Saruiae, coeperat numerare nec complevit, quia super hoc ira irruerat in Israel ». Tandem 27, 23 : « Noluit autem David numerare eos a viginti annis inferius, quia dixerat Dominus, ut multiplicaret Israel quasi stellas coeli ». Quibus verbis affirmat *Duguet* exprimi concessionem aliquam a Davide Ioabo factam. Urserat is, uti videtur, non decere populi censum institui, ubi Deus promisisset se multiplicaturum Israel quasi stellas coeli : viam mediam ingressus David, neque integrum populum numeravit, neque tamen a recensendis bellatoribus abstinuit. Sed non effugit elationis et diffidentiae peccatum et poenam.

v. 10 « *Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus, et dixit David ad Dominum : Peccavi valde in hoc facto ; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis* ». Cor eius palpitavit, cf. 1 Reg. 24, 6 ; haud dubium, quin ea anxietas iam ante completum censum inceperit, et sensim increverit. Expressionem transferendi peccati habes 12, 13.

כן in אחרי כן legebat etiam *Chald.*, neque evidens est *Vulg. LXX Syr.* id ignorasse ; potuit eiusmodi כן pleonasticum ab usu linguae hebr. non penitus abhorrere. 1 Par. 21, 7 : «Displicuit autem Deo, quod iussum erat, et percussit Israel». Non potest alter textus ex altero derivatus ostendi, sed alteruter s. auctor libere antiquiore documento usus est.

v. 11 « *Surrexit itaque David mane, et sermo Domini factus est ad Gad prophetam et* »—omitte copulam — « *videntem David, dicens :* » v. 12« *Vade et loquere ad David : Haec dicit Dominus : Trium tibi datur optio ; elige unum, quod volueris ex his, ut faciam tibi* ». *Surrexit etc :* hoc incisum, licet 1 Par. desideretur, tamen h. l. in omnibus exstat textibus, nequaquam cum *Wellh.* expungendum. « Eam noctem videtur rex insomnem habuisse, plenam perturbationis et metus » (*Sanct.*). — Cur *prophetae* appellatio 1 Par. 21, 9 desideretur, praeter s. auctoris

placitum ratio assignari vix potest. Expressionem explicat *Sanct.* : « quo David sic utebatur familiariter, ut propheta aut videns vocaretur Davidis ». *Calm.* : « Destinatus videtur a Deo tamquam familiaris regis propheta, in omnibus rebus consulendus ».

Datur optio : ita *Vulg.* h. l. et 1 Par. 21, 10, ubi pro נוטל *elevans* legitur נטה *expandens*. Voces hebr. facile commutari potuerunt ; ceterum, *dare optionem* utrique respondet, cum res optionis gratia sive elevari sive expandi possit, ut melius videatur. Hinc correctione textus abstinendum.

v. 13 « *Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei dicens : Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos et illi te persequentur, aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera et vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem* ». Propheta non solum defert Dei verbum ad hominem, sed etiam hominis responsum ad Deum.

Septem annis : LXX h. l. et 1 Par. 21, 12 omnes habent *tres*, cui lectioni quadamtenus etiam favere videtur contextus : « tribus annis ... tribus mensibus ... tribus diebus » (*Houb.*, *Calm.*). Aliunde, intuitu symmetriae cum aliis membris, facilius potuit *septem* deteriorari in *tres*, quam *tres* in *septem*. *Ios.* legebat *septem*. Lectionem oportebat primitus eandem esse h. l. et 1 Par. — *Fugies*. 1 Par. 21, 12 legebant *Vulg. LXX* uti h. l. נסך ; quod ibi habent *Masor.* נספה *peribis*, parum quadrat et corruptione facile oriri poterat. — *Et illi te persequenter*. *Vulg. LXX* h. l. correctius videntur legisse והם רדפיך pro *Masor.* והוא רדפך ; cf. 1 Par. 21, 12 *Masor. LXX* « et gladius inimicorum tuorum ad assequendum », *Vulg.* « et gladium eorum non posse evadere ». — *Aut certe tribus diebus etc.* Haec amplificat 1 Par. : « aut tribus diebus gladium Domini et pestilentiam versari in terra, et angelum Domini interficere in universis finibus Israel ».

v. 14 « *Dixit autem David ad Gad : Coarctor nimis ; sed melius est, ut incidam in manus Domini, multae enim misericordiae eius sunt, quam in manus hominum* ».

Nimis. *LXX* h. l. et *Vulg.* 1 Par. 21, 13 vertunt *ex omni parte* : pro מאד videntur legisse יחד, cf. *Chald.* לחדא et Os. 11, 7. — *Ut incidam* : ita *Vulg. LXX Chald.* et ad 1 Par. praeter *Syr.* omnes. *Masor.* h. l. et *Syr.* utrobique *incidamus*. Critice prior lectio praevalet ; insuper probabilius David, ex magno affectu loquens, prima persona singulari loquebatur, non universalem aliquam reflexionem enuntiabat.

Sanct. : « Rationem adducit David a divinae clementiae sumptam magnitudine, quam facile flectunt miserorum lacrymae, cum tamen hominum ingenia obstinato furore persequantur iniurias, neque noxam remittant, si quando in illos peccatum fuerit ». *Menoch.* : « Quocunque modo plecteretur David, semper incidebat in manus Domini, nec homines plus illi nocere poterant, quam Deus permisisset ; sed loquitur iuxta popularem loquendi aut sentiendi modum, quo dicere solemus, mitius nobiscum Deum agere quam homines. Deus enim ut pater castigat, parentes vero humanius filios puniunt, quam iustitiae ministri ». Non solum « iuxta popularem loquendi modum » David loquitur, sed omnino

secundum rem. Deus punit ex solo paterno affectu, homines, quibus forte instrumentis utatur, etiam ex malevolo animo : sed levius fertur castigatio tota ex paterno affectu procedens.

Verum iam, quid David elegerit, disputatur. Apud omnes constat, eum repudiasse bellum, nam hoc revera est « incidere in manus hominum ». Sed praeterea affirmant *Vatabl.*, *Sanct.*, *Est.*, *Tir.*, *Duguet*, eum repudiasse etiam famem, et solam pestem elegisse ; et dices fame hominem compelli, ut alio commeatus petendi causa proficiscatur, imo ut se liberosque in servitutem vendat, et ita « in manus hominum incidat ». Favet eidem opinioni 1 Par., pestem exhibens tamquam manu angeli inflictam ; attamen sic quoque manet quaestio, cur non etiam fames ab angelo potuerit concipi inflicta ; neque penitus absurda est hypothesis, verba illa in 1 Par. adiecta glossema quoddam esse sacro textu recentius. Unde haud improbabiliter censent *Sa*, *Malv.*, *Menoch.*, Davidem profiteri animum ad subeundam sive famem sive pestem paratum. — Hucusque secundum textum receptum disputavimus. Sed longe diversa legunt *LXX* (non tamen 1 Par.) : «et elegit sibi David mortem». v. 15 «Et erant dies messis tritici, et dedit Deus mortem in Israel a mane usque ad tempus prandii, et coepit perturbatio in populo ». Haec fere omnia in textu recepto desunt. Si admittantur, iam explicite affirmatur elegisse David mortem, i. e. pestem. Non videntur haec orta esse ex corruptione textus recepti, cum nullam cum eo affinitatem prodant. Ergo aut ex illo exciderunt, aut ad illum addita sunt. Addita esse inde est improbabile, quod nequaquam sint ad instar aliorum glossematum, sed omnino novas aliquas suggerant ideas, v. g. luem ortam esse tempore messis triticeae. Quod autem in solo textu graeco exstent, inde explicari potest, quod tempore perantiquo ex exemplaribus hebr. exciderint, non tamen ex illo, quod LXX transtulerit. — Alias quasdam *Wellh.* rationes affert, ut evincat, textum graecum esse genuinum, quae tamen minus efficaces esse videntur. Putat illa additamenta omnino ex ingenio auctoris hebraei fluxisse. Verum est, illa non difficile in sententias hebr. retroverti posse ; sed quid inde ? ad summum sequitur additamenta esse versione LXX antiquiora. Putat, mentionem messis triticeae explicare, cur sequentia in « area » locum habuerint ; eadem illustrari verba 1 Par. 21,20 « eo tempore terebat in area triticum ». Sed haec omnia perspicua sunt, etiamsi illa mentio supponatur non esse genuina. Putat illis additamentis planiorem evadere sensum v. 15, sc. statim initio plagae mortuos esse septuaginta millia, et postea utique plures ; cum in textu recepto illico numerus totalis exprimatur, et postea v. 16 sqq. plagae processus describatur. Sed eiusmodi ὕστερα πρώτερα in s. scriptura non ita sunt infrequentia. — Potius ergo dicamus, additamenta LXX an sint genuina necne, non posse clare demonstrari.

v. 15 « *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel de mane usque ad tempus constitutum ; et mortui sunt ex populo a Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum* ». *Hebr.*, unius vocis repetitione, *septuaginta septem millia ;* id mendum esse, evincunt versiones omnes et copulae defectus. « Ita sibi invicem et rectorum merita connectuntur et

plebium, ut saepe ex culpa pastorum deterior fiat vita plebium, et saepe ex merito plebium mutetur vita pastorum » (*Greg.* 76. 334).

De mane usque ad tempus constitutum omittit 1 Par. 21,14. Difficultatem fecit ועד עת בוער, quod *Vulg.* vertit sensu maxime obvio *usque ad tempus constitutum*, i. e. completum triduum v. 13 indictum (*Abul.*, *Lap.*) ; *LXX*, *Ios.*, *Kimchi usque ad horam prandii*, et in idem recidit *Syr.*, *usque ad horam sextam. Chald. a tempore, quo mactatur iuge*, *quousque adoleatur* ; quod explicat *Ps. Hier.*, « tempus constitutum dici, quando sacrificium vespertinum offerebatur. Ubi recte *Sanct.* : « Cur tempus prandii tempus debeat vocari constitutum, non video ; neque enim hora prandii ita celebris est inter Hebraeos, ut hoc sibi nomen vindicare debeat. Tempora illa sane magis nota sunt, quae homines orationis ac sacrificiorum gratia solent obire ». — Contra omnes has explicationes obiicitur, desiderari in hebr. articulum, ideoque exprimi tempus non determinatum sed indeterminatum : aliquod tempus constitutum, aliquod ientaculum, aliquod sacrificium. Urgent Os. 9,5 et Thren. 2, 7. 22 legi יום בועד sine articulo et tamen cum sensu determinato *dici festi*, unde versionem Chald. esse praeferendam. Respondeo, illis locis non agi de die determinati festi, sed de die festivo generatim, ergo explicari omissionem articuli ; h. l., secundum Chald., agi de tempore determinati omnino sacrificii, ergo non posse omitti articulum. Et reapse ex ipso modo vertendi versionum concludo, eas *legisse* articulum (הבועד), qui in nostro hebr. interciderit. Sed, articulo semel admisso, non est cur ad artificiosam magis LXX vel Chaldaei versionem recurramus, sed servanda planior Vulgatae versio. Obiicit *Keil*, si pestis toto triduo saevierit, non esse « misertum » (v. 16) Dominum ei finem imponendo. Respondeo, potuisse eum id facere ex motivo simul fidelitatis et misericordiae, quae se invicem non excludunt ; insuper fuisse miserationis ipsum decretum, quo pestis ad triduum restringeretur, cum absque iniustitia potuisset diutius infligi. *Calm.* miserationem in hoc reponit, quod triduum non fuerit plenum, sed ad instar tridui, quod Christus transegit in sepulcro. *Welh.* vituperat, secundum Vulg. versionem enuntiari v. 15 totam pestis durationem et integrum interemptorum numerum, et *postea* narrari quae durante peste locum habuerint. At solemne est s. scriptoribus, primum summam alicuius eventus enuntiare, atque inde ad particularia narranda descendere.

v. 16 « *Cumque extendisset manum suam angelus Domini super Ierusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus afflictione, et ait angelo percutienti populum : Sufficit, nunc contine manum tuam. Erat autem angelus Domini iuxta aream Areuna Iebusaei* ». Agitur de visione Davidi facta, pestilentiam terminante, quam ita explicat *Calm.* : « Angelum super montem David intuitus est, suspensum inter coelum et terram, paratumque inferre gladium in novam urbem Sion et veterem Ierosolymam ; audivitque facile datam e coelo vocem inclamantem : Satis est, ne caedas. Vel forte reputavit Deum angelo imperasse, ne caede-

ret, quod sc. reducentem gladium illum in vaginam aspexerit. Ego sum, qui peccavi — ita fatetur David, antequam aspiceret angelum vaginae gladium restituentem ». — Area Arcuna seu Ornan erat is locus in monte Moria, ubi postmodum exstructum est templum 2 Par. 3, 1. Erat locus a civitate David distinctus illaque excelsior, septemtrionem versus situs et simul ab oriente urbis Ierusalem, quam Hebraei iam ante Sionem occupaverant. Videtur *Ios.* exinde, quod angelus extra eam, quae tunc esset, urbem apparuerit, conclusisse, pestem ad ipsa usque urbis ostia neque tamen intra urbem penetrasse. Verum adverte, ideo eum esse apparitionis selectum locum, ut designaretur, non quousque pestis penetrasset, sed qui locus esset divino cultui et postmodum exstruendo templo secernendus.

Angeli species fusius describitur 1 Par. 21, 16 : « Levansque David oculos suos vidit angelum Domini stantem inter coelum et terram, et evaginatum gladium in manu eius, et versum contra Ierusalem ; et ceciderunt tam ipse, quam maiores natu, vestiti ciliciis, proni in terram ». — *Domini* addit *Vulg.*, sed non quadrat illud cum articulo, quem reliqui ante *angelus* legebant. Duo hic difficultatem faciunt : angeli abrupta mentio, de quo antea sermo non fuerat, et vocum ordo וישלח ידו המלאך, cum obvius ordo esset וישלח המלאך ידו. 1 Par. 21, 15 habet וישלח האלהים מלאך, *et misit Deus angelum*, quae lectio correctionem nostrae lectionis suggerit וישלח יהוה מלאך (*Movers*), nam יהוה facile deformabatur in ידו ה, et nomina divina inter librum Samuelis et Par. saepissime commutantur. Quod obiicit *Then.*, repugnare ut eodem tempore miserit Deus angelum destructorem contra civitatem et misertus sit civitatis, solvitur vertendo prius verbum plusquamperfecto : « et miserat Dominus angelum ». Ceterum de visione agitur, non de eventu. — *Arabs* et interpretatio *LXX* aptius iungunt : *Sufficit nunc* ; *contine manum tuam*. Consonant *Vulgatae* « codices non pauci et antiquiores editiones » (*Verc.*).

v. 17 « *Dixitque David ad Dominum, cum vidisset angelum caedentem populum : Ego sum, qui peccavi, ego inique egi : isti, qui oves sunt, quid fecerunt ? Vertatur, obsecro, manus tua contra me et contra domum patris mei* ». Verba amplificat 1 Par., praemittens « Nonne ego sum, qui iussi, ut numeraretur populus ? » et concludens « populus autem tuus non percutiatur ». Insignis Davidis in populum, pastoris in gregem amor : potuit pro peccato regis etiam populus percuti, neque maior erat ratio, cur domus David, quam cur reliquus populus percuteretur ; offert tamen David se ipsum, imo domum suam, dummodo populo parcatur, « imitans filium suum et dominum, qui animam suam posuit pro ovibus » (*Theodoret.*). *Duguet* : « Intellexit tandem David, quam parum in tot millibus bellatorum esset fiducia reponenda, ubi cernebat pestem populum decimantem et cadavera multiplicantem ». v. 18 « *Venit autem Gad ad David in die illa et dixit ei : Ascende et constitue altare Domino in area Areuna Iebusaei* ». 1 Par. : « Angelus autem Do-

mini praecepit Gad, ut diceret Davidi ». v. 19 « *Et ascendit David iuxta sermonem Gad, quem praeceperat ei Dominus* ».

1 Par. 21, 19 « quem locutus ei fuerat ex nomine Domini » ; dein pergit : « Porro Ornan, cum suspexisset et vidisset angelum, quatuorque filii eius cum eo, absconderunt se ; nam eo tempore terebat in area triticum ». Secundum quae non solus David, sed Ornan et filii et fortasse alii visionem angeli viderunt. Sed vexata est lectio. Recte utique *Vulg.* pro ויושב, « reversus est » (undenam ? *Hebr. LXX*), legebat וישקף (cf. 2 Reg. 24, 20) vel ויבט (1 Par. 21, 21), « suspexit ». Dein vero *LXX* loco המלאך, « angelus » (*Hebr. Vulg.*), legebat המלך « rex », quo sensus funditus mutatur : « Suspexit Ornan et vidit regem et quatuor filios eius cum ipso, se abscondentes ; Ornan autem terebat triticum ». Sed quatuor isti regis filii sine dubio sunt spurii ; unde probabilis fit sententia *Bertheau*, textum 1 Par. 21, 20 non esse nisi corruptionem eius, qui 2 Reg. 24, 20 legitur.

2 Reg. 24, 20 : ויבט ארונה וירא את המלך ואת עבדיו עברים עליו
1 Par. 21, 20 : וישב ארנן וירא את המלאך וארבעת בניו עמו

וארבעת mera literarum transpositione ex ואת עבד בניו עמו, facile ex עברים עליו oriri potuit. Restat vox מתחבאים, « se abscondentes », quam transcripsit *LXX* μεθαχαβεν, quamque coniicit *Then.* ortam esse ex מתחת באים, « venientes deorsum », quod non sit nisi aliis verbis expressum עברים עליו, « transire ad se » ; id tamen perquam dubium est, videturque ordo vocum debuisse esse inversus באים מתחת. Quibus interim vocibus omissis, videtur textus 1 Par. 21, 20 sq. primitus fuisse hic : « et Ornan terebat triticum ; et suspexit et vidit regem et servos eius transeuntes ad se » (cf. 1 Reg. 6, 13). Quo etiam ordine *Ios.* textum, licet iam ex parte corruptum, legisse videtur : « Ornan autem frumentum terens, ut vidit regem cum filiis suis omnibus versus se tendentem, ad ipsum accurrit ».

v. 20 « *Conspiciensque Areuna, animadvertit regem et servos eius transire ad se* » ; v. 21 « *et egressus adoravit regem prono vultu in terram, et ait : Quid causae est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum ?* » Quaestionem omittit 1. Par. « *Cui David ait : Ut emam a te aream, et aedificem altare Domino, et cesset interfectio, quae grassatur in populo* ». 1 Par. : » Pretio pleno dabis mihi, et cesset plaga de populo ». Voluit auctor Par. iam h. l. exprimere, quod v. 24 repetit ipse, quodque habetur 2 Reg. 24, 24 ; potuit utique in seligendis vocibus dirigi recordatione textus Gen. 23, 9 (*Bertheau*). v. 22 « *Et ait Areuna ad David : Accipiat et offerat dominus meus rex, sicut placet ei : habes boves in holocaustum, et plaustrum et iuga boum in usum lignorum* ». 1 Par. : « et triticum in sacrificium ». Areuna omnia offert, quae ibi in area praesto erant. 1 Par. 21, 23 ויעל, *et offerat,* transit in ויעש, « et faciat », sensu substantialiter eodem.— v. 23 « *Omnia dedit* », i. e. dare voluit, obtulit, « *Areuna rex regi* ». Vocem *rex* habent *Hebr. Vulg. Chald.* ; sed evidenter irrepsit incuria librarii hebraici ; *Calm.* aliique hinc ansam sumpsere fabulandi, Areunam fuisse regem Iebusaeorum. — « *Dixitque Areuna ad regem : Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum* ». *Hebr.*

te benigne suscipiat. Haec omnia 1. Par. resumit vocibus « omnia libens praebebo », orationem praecedentis versus continuantibus. Nulla tamen ratio est, cum *Wellh.* nostri textus secundum 1. Par. corrigendi. v. 24 «*Cui respondens rex, ait : Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, et non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream et boves, argenti siclis quinquaginta* ». Ita h. l. omnes, *Ios.*, *Syr.* ad 1. Par. ; reliqui 1. Par. «siclos auri sexcentos». Illud aequivalet 156·25 fr., hoc 28,125 fr. — *Keil* monet, Gen. 23,15 Abraham emisse agrum pro sepultura 400 siclis argenti seu 1250 fr., ideoque summam 156, 25 fr. videri admodum exiguam, et summam 1 Par. esse praeferendam. — v. 25 « *Et aedificavit ibi David altare Domino, et obtulit holocausta et pacifica ; et propitiatus est Dominus terrae, et cohibita est plaga ab Israel* ». *LXX* addunt : *et ampliavit postmodum Salomo hoc altare, quoniam parvum fuerat primum.* Animadversio est hebraici cuiusdam scriptoris, cf. *Then.* — 1 Par. 21,26 sq. : « et exaudivit eum in igne de coelo super altare holocausti. Praecepitque Dominus angelo, et convertit gladium suum in vaginam », non necessario visibili visione, sufficit assumere rem describi ab eventu. « Inde ab eo tempore David, cum vidisset, quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Iebusaei, sacrificabat ibi. Tabernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, et altare holocaustorum ea tempestate erat in excelso Gabaon. Sed non praevaluit David, ire ad altare (illud), ut quaereret Deum ; terrore enim cohibebatur gladii angeli Domini » ; hoc gladio sibi significari videbatur, non alio, quam quem angelus indicaverat loco, sibi Deum fore propitium.

A. M. D. G.

INDEX

INTRODUCTIO.

1) Librorum nomen et unitas. 1
2) De libri Samuelis auctore et fontibus variae sententiae. . . 1
3) De fastis regis David (1 Par. 27,24), ut fonte libri Samuelis. . 4
4) De aliis fontibus seu partibus libri Samuelis. Expeditur praevie Thenii partitio. 8
5) Historia Samuelis 1 Reg. 1-7. 9
6) Historia Saul 1 Reg. 8-16. 11
7) Historia David exulis 1 Reg. 17-31. 14
8) Historia David regis 2 Reg. 1-20. 16
9) De fine et modo, quo hae quatuor partes in unum fuere collectae. 20
10) Appendix 2 Reg. 21-24. 23
11) Chronologia regni Davidici. 25
12) De libri Samuelis interpretibus. 26

COMMENTARIUS

HISTORIA SAMUELIS

1) Samuelis nativitas 1 Reg. 1,1-2,11. 29
Canticum Annae. 41

2) Filiorum Heli peccatum 2,11-17. 47
3) Annae pietas et fecunditas 2,18-21. 49
4) Heli in filios praevaricatores lenitas 2,21-25. 50
5) Viri Dei in Heli obiurgatio 2,26-36. 53
6) Visio Samuelis 3,1-18. 59
7) Strages atque victoria apud Lapidem Adiutorii 3,19-7,17. . 64
Historiae Samuelis conclusio 7,13-17. 89

HISTORIA SAULIS

PARS I. SAULIS AD REGNUM ASSUMPTIO.

1) Regni fundandi occasio 1 Reg. 8,1-22. 96
2) Saulis unctio 9,1-10,16. 103
3) Saulis publica electio 10,17-27. 118
4) Saul post Ammonitas devictos ab omnibus agnoscitur 11,1-15. 121
5) Samuel iudicis officium abdicat 12,1-25. 124

PARS II. SAULIS A REGNO REPROBATIO.

1) Saul ob diffidentiam Galgalis admissam carpitur 13,1-16. . 132
2) Bellum Philisthaicum 13,17-14,52. 140
3) Saul ob inobedientiam bello Amalecitico admissam reiicitur 15,1-35. 155
4) David ungitur successor 16,1-23. 164

HISTORIA DAVID EXULIS

PARS. I. DAVID IN AULA SAUL.

A. Davidis in aulam adventus 1 Reg. 17,1-18,5. 171
B. Latentes Saulis insidiae.
1) Insidiarum initia :
a) Ortarum inimicitiarum occasio 18,6-9. 187
b) Consilium effectu carens transfigendi Davidis 18,10-12. . . 188
c) David specioso praetextu ab aula remotus 18,13-16. . . . 189
2) Insidiae praetextu nuptiarum regiarum 18,17-28. 190

C. Patens Saulis odium

1) Saul suos ad necem Davidis provocans 18,30-19,7. . . . 193
2) Saul Davidem interficiendum perquirens 19,7-24. . . . 194
3) Reconciliatio tentata sed repudiata 20,1-43. 197

Pars II. David fugitivus in terra Iuda.

1) David huc illuc incertus vagans 21,1-22,23. 205
2) Liberatur Ceila 23,1-13. 214
3) Mira Dei circa Davidem providentia 23,14. 216
a) David praesciudit oram chlamydis Saul 23,15-24,23. . . 218
b) David tollit hastam et scyphum Saul 25,1-26,25. Praemittuntur nuptiae cum Abigail initae, tamquam redintegrati odii occasio. . . . 225

Pars III. David inter Philisthaeos exul.

1) David secedit ad Achis 27,1-12. 239
2) Saul adit pythonissam 28,1-25. 242
3) David, ex acie relegatus, Amalecitas fundit 29,1-30,31. . . 253
4) Saul a Philisthaeis vincitur et opprimitur 31,1-13. . . . 261

HISTORIA DAVID REGIS

Pars I. Regnum Davidis in Hebron.

1) Davidis luctus de Saul 2 Reg. 1,1-27. 265
2) David Hebrone rex constitutus, eius in Iabesitas pietas 2,1-7 . 274
3) Isboseth ad regnum accessio, interitus Asael 2,8-32. . . . 276
4) Davidis regnum Hebrone confirmatum 3,1-5. 283
5) Abneri interfectio 3,6-39. 284
6) Isbosethi interitus 4,1-12. 293

Pars II. Regnum Davidis in Ierusalem.

A. Excerpta ex Fastis.

1) Praeparatur promissio Davidi facienda
a) David universi Israel rex agnoscitur 5,1-5. 298
b) David regni sedem Hierosolymis figit 5,6-10. 299
c) Davidis palatium, uxores, filii recensentur 5,11-16. . . . 303
d) Excutitur iugum Philisthaeorum 5,17-25. 305
e) David arcam in Sion traducit 6,1-23. 308

2) Domus Davidi aedificanda promittitur 7,1-29. 316
3) Regnum Davidicum bellis firmatur et ampliatur 8,1-10,19.
a) Summarium bellorum David 8,1-18. 326
b) Historia Miphiboseth 9,1-13. 334
c) Bellum Ammoniticum 10,1-19. 336
B. Peccatum David eiusque sequelae
1) Peccatum David 11,1-27. 342
2) Reconciliatio David 12,1-31. 349
3) Davidis peccati sequelae
a) Interitus Amnon 13,1-14,33. 356
b) Interitus Absalom 15,1-20,26.
Absalomis defectio 15,1-16,14. 375
Absalomis strages 16,15-20,26. 387

APPENDIX

1) Ulterior ruina domus Saul 2 Reg. 21,1-14. 420
2) Quatuor bella contra Philisthaeos gesta 21,15-22. . . . 424
3) Canticum petrae 22,1-51. 427
4) Davidis ultimum eloquium propheticum 23,1-7. 428
5) Catalogus heroum David 23,8-39. 434
6) Populi census 24,1-25. 445

IMPRIMERIE SAINT-MÉDARD. — SOISSONS

P. LETHELLEUX, Éditeur, 4, rue assette, Paris

S. THOMÆ AQUINATIS, O. P.

DOCTORIS ANGELICI
ET OMNIUM SCHOLARUM CATHOLICARUM PATRONI

SUMMA THEOLOGICA

ACCURATISSIME EMENDATA AC ANNOTATIONIBUS
EX AUCTORIBUS PROBATIS ET CONCILIORUM PONTIFICUMQUE DEFINITIONIBUS
AD FIDEM ET MORES PERTINENTIBUS ILLUSTRATA

A QUIBUSDAM SCHOLÆ S. THOMÆ DISCIPULIS

Sequentibus tabulis perutilibus

5 forts volumes petit in-4°, (*sous presse*), (*le premier est publié*), 40,00.

T. I. *Prima pars.* — T. II. *Prima secundæ.*
T. III. *Secunda Secundæ.* — T. IV. *Tertia pars.* — T. V. *Supplementum et Tabulæ.*

RATIO
HUJUS EDITIONIS

Hanc Summæ Theologicæ editionem in lucem emittimus, ut ad D. Thomæ doctrinæ notitiam, de qua promovenda Summus Ecclesiæ Pastor est eximie sollicitus, quam facillimus pateat aditus. Ad quem finem intenti, nec ingentibus editis voluminibus quorum est operosa moles, nec ita exiguis ut eorum numerus indebite augeatur, ea inter alia delegimus quorum ope sacræ scientiæ addicti, non indecora fragmenta, sed completam materiam præ manibus habere possint.

Studiose et summa cura recognovimus editiones quæ jure merito habentur optimæ, ut scriptura nostrorum librorum sit emendatissima. Ex quo insuper, ne sit ardua legentibus, tolluntur impedimenta multarum lectionum, quoniam enim hæ variæ lectiones et sæpius ortæ sunt ex irreptis amanuensium mendis, et plerumque nihil absolute prosunt. Eæ solæ a nobis produntur, quas novimus aut immutare sensum aut utiles ad eum planius intelligendum.

Hæc vero loca quæ ab Angelico Doctore ex Sanctis Libris aut variis auctoribus allata sunt italicis litteris imprimenda curavimus, ut in ipso textus obvia sint. Ex quibus aliquorum præ cæteris eminentium fidem valde exquisitam esse nos non latuit ; quocirca operæ pretium fuit nobis ut ea sint conspicui nitoris et optime recensita ; sic se habent adjecta quibus alii loci Summæ Theologicæ memorantur, necnon et præcipue divinæ Scripturæ verba. Præterea cum hæc sacra Verba non sint a D. Thoma, juxta Vulgatæ editionem excerpta, quæ aliter leguntur in Vulgata iis adnotandis consuluimus. Cui toti operi complendo, multa de esse notum est in Summæ Theologicæ libris antea editis.

In gratiam addiscentium diversa argumenta partitamve explicationem Doctoris Angelici, mediciis lineolis in textu distinximus. Studio fuit quibusdam editoribus, aut in ipso libri textu, post argumentum *sed contra*, aut in uniuscujusque articuli capite *Augustini Hunnæi Conclusiones* inserere ; ex multis illa additamenta non laudantibus, quia non pertinent ad proprium Auctoris scriptum, alii inter adnotanda ponunt, alii autem quibus non aliud esse videtur quam enarratio Auctoris fastidiose repetita, et obscurior sæpius, plane omittunt.

Illud vero acceptum fore speramus hanc viam a nobis assumi novam, qua conclusionibus ex ipso textu depromptis, et ita crassioribus litteris inscriptis ut eniteant ob oculos, statim occurrit studentibus responsum quæsito articuli a S. Præceptore datum.

Tandem indicantur in notis, S. Scripturæ loca quæ attinent ad articuli doctrinam, et etiam nomina sive antiquorum sive recentiorum auctorum qui de occurrente materia tractantes celebre nomen merito acquisierunt, adeo ut non solum auctis præsidiis theologiæ cultur fruatur sed etiam ipsi præstentur ea quæ nobis in S. Doctrina discenda pro consuetudine nostrorum temporum postulari visa sunt, et amplioribus studiis facilius operam dare possit.

Hæc autem non satis ; adduntur enim quæ semper optatissima sunt in saeris scientiis, Conciliorum scilicet Summorumque Pontificum definita. Quinimo, nonnulla selecta sunt a nobis apud auctores probatissimos, quibus breviter quidem, sed lucide digestis opus nostrum compleatur et illustretur. Verumtamen cautissimi, disputationes inter catholicos doctores agitatas ingressi non sumus. Non enim tam late patet humile nostrum opus et nobis non est in votis debitos ipsi fines præterire.

Utinam illud in honorem D. Thomæ elaboratum tam excellentis Magistri discipulis non sit ingratum !

O bonam mercedem, si votis Leonis XIII Pontificis Maximi pro viribus attente obsecuti modestis nostris auxiliis Summæ Theologicæ præcepta celerius divulgentur et in omnium mentibus insideant !

BIBLIOTHECA THEOLOGICA SELECTA

(N.-B. — Une série de volumes uniformes donnera sous ce titre un ensemble de chefs-d'œuvre sur chaque branche de la Théologie).

BEAUX VOLUMES N-8 ÉCU, FORMAT MANUEL ET ÉLÉGANT

THOMAS AQUIN. (S.), O. P.

De Veritate catholicæ fidei contra Gentiles, seu **Summa philosophica.** — Très fort volume à deux colonnes. . . 6 00

THOMAS AQUIN. (S.), O. P.

Opuscula, 3 vol. 18 50

THOMAS AQUIN. (S.), O. P.

Quæstiones disputatæ. 3 vol. . . 21 00

REGINALDUS O. P.

Doctrinæ D. Thomæ Aquinatis tria principia cum suis consequentiis, ubi *totius doctrinæ compendium* et *connexio* continetur. — Fort vol. à deux col. 7 50

LESSIUS, S. J.

Opuscula : I. — De Perfectionibus moribusque divinis, libri XIV . . 7 00

LESSIUS

Opuscula : II. — De Gratia efficaci. — De Prædestinatione et reprobatione angelorum et hominum. — De Prædestinatione Christi 7 00

LESSIUS

Opuscula : III. — De Summo bono. — De Providentia. — De Immortalitate 7 00

MOLINA, S. J.

Liberi Arbitrii cum gratiæ donis, divina præscientia, providentia, prædestinatione, et reprobatione **Concordia.** — Adjecti indices, rerum alter, alter Scripturæ locorum, auctoris opera prioribus accuratiores. — Accedit nunc appendix ad hanc Concordiam. — Très fort volume 7 50

DUVALLIUS, Dr SORB.

Tractatus de suprema Romani pontificis in Ecclesiam Potestate. Edidit ac notis illustravit presb. Ed. Puyol. . 6 00

SCHRADER S. J.

De theologico Testium Fonte, deque edito testimonio, seu de Traditione commentarius. *Opus posthumum.* 6 00

SCHRADER

De triplici Ordine, naturali, præternaturali, supernaturali, commentarius. Secunda editio ab auctore emendata 6 00

CERCIA, S. J.

Demonstratio catholica : I. De Ecclesia vera Christi : II. De Romano pontifice. — Editio quinta ab ipso auctore novis curis emendata et aucta. 2 vol. 10 50

CERCIA

Tractatus de Gratia Christi : — I. Apparatus sive Prolegomenon ad doctrinam de Gratia Christi : — II. De Gratia Christi actuali : — III. De Gratia Christi habituali. — Editio tertia ab ipso auctore recognita et emendata, 3 vol. . 12 00

Le tome 3e, *inédit*, se vend aussi à part. 2 50

CERCIA

In Epistolam S. Pauli ad Romanos commentarius (Ex *de Gratia*, t. I). 1 50

MARIANO A NOVANA, O. M. C.

De Originaria Lapsi Hominis conditione, 1 vol. 3 00

BUCCERONI, S. J.

Commentarius de Sacramentorum Causalitate. 1 vol. 3 00

JUNGMANN

De Deo Creatore. in-8. . . . . 5 00
De Deo uno et trino. in-8. . . . 4 50
De Gratia. in-8. . . . . 4 00
De Novissimis. in-8. . . . . 4 50
De Vera Religione. in-8. . . . . 3 50
De Verbo incarnato. in-8. . . . . 5 00
Dissertationes selectæ in Historiam ecclesiasticam. T. I, II, III, IV et V, in-8, *net.* 25 25

— Un 6e vol. est sous presse.

En souscription :

ANGELIS (DE)

Prælectiones Juris Canonici ad methodum decretalium Gregorii IX exactæ. — Le volume. 8 00

Il y aura 8 volumes, dont le 7me va paraître. Prix net pour les souscripteurs, 6 00 le volume.

N. B. — *Toutes les grandes publications théologiques d'Italie, d'Allemagne,* etc. (Ballerini, Mazella, Palmieri, Franzelin, Varceno, Hurter, Kleutgen, etc., etc...), se trouvent toujours dans nos assortiments, en nombre et aux meilleures conditions. — *Nous en distribuons un catalogue spécial.*

32565
CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V017
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISHS
3 0311 00015 7839

BS
475
.C6C8 Cornely, Rudolph, 1830-1908
AUTHOR
31065
V.17 CURSUS SCRIPTURAE SACRAE.
TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME

~~220.6~~ C977c ~~v.10~~

~~STUDENT~~ 1951
~~LIBRARY~~

BEFORE TAKING BOOK
from library, remove slip from this pocket; put your name and date on it and place it in the box provided for the same.

WHEN RETURNING BOOK
return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.
Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

3 0311 00015 7839